JOANNIS DALLAEI DE PSEUDEPIGRAPHIS APOSTOLICIS, ...

Jean Daillé, Christianus Schoettgenius

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
12 A
48
VITT. EMAN
A
R
34
13-17. c. 16
III
14
F
VII
11
E
Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS DALLÆI
DE
PSEUDEPIGRAPHIS
APOSTOLICIS,

SEU

Libris octo Conſtitutionum Apoſtolicarum apocryphis,

LIBRI III.



HARDERVICI,
Ex Officinâ JOHANNIS TOLLII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO MDCLVIII.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

15. 2. H. 18

Digitized by Google

Reverendo, Clariſſimoque Viro,

LUDOVICO CAPELLO,

*Euangelii Miniſtro, Theologiæ & Ebræa-
rum litterarum in Salmurienſi Scho-
la Profeſſori eximio,*

JOANNES DALLÆUS
S. P. D.

QUANTA ſit antiquitatis apud homines vis atque auctoritas, CAPELLE præſtantiſſime, vel hinc diſcimus, quod eam, etiam qui oppugnant ac delent, ſimulant tamen & præ ſe ferunt, omnemque dant operam, ut quæ inſtituta fovent, ea tametſi recentia, & pene muſtea ſint, antiqua fuiſſe videantur. Id in Chriſtiana inprimis religione accidiſſe comperimus, cui cum ab hominum ingenio plurima omnibus fere temporibus præter optimi maximi auctoris mentem addita fuerint, ea qui ſectati ſunt ita ſemper & ipſi habuerunt, & ab aliis haberi voluerunt, quaſi non nuper inventa, ſed jam inde ab Euangelii initio conſtituta, & Eccleſiæ à Domini Chriſti Apoſtolis tradita eſſent. Mihi vero ab hoc fonte duo quædam graviſſima incommoda & primum exorta, & latiſſime deinceps cum magna rerum Sacrarum pernicie pervagata manaſſe videntur; quorum prius hoc fuit, quod homines vera ac genuina vetuſtiſſimorum Chriſtianorum monumenta, ne ex iis ſuæ diſciplinæ à veteri diverſitas proderetur, vel immani ſocordia abſumi, atque intercidere ſiverunt, vel ipſi etiam fortaſſe data opera aboleverunt. Alterum vero multo etiam nocentius huc acceſſit, quod impoſtores, eodem præſentium rerum ſtudio perciti, ſua ipſi opera antiquiſ-

Digitized by Google

tiquiſſimis, ac facile principibus litterarum Chriſtianarum ſcriptoribus affingere non dubitarunt, in quibus eas novitiam Eccleſiaſticæ doctrinæ, ac diſciplinæ formam commendare ac confirmare pro ſua libidine faciunt. Sceleratiſſima utrorumque fraude effectum eſt, ut antiquiſſimorum rei Chriſtianæ Scriptorum monumentis, & veris ſinceriſque ac genuinis pleriſque careamus, & falſis, ſuppoſititiiſque, atque commentitiis abundemus. Ac verorum quidem jacturam deflere licet; ſarcire vero, & quæ ſemel perierunt, revocare non licet. Itaque hoc unum ſupereſt, ut à ſuppoſititiis caveamus, eorumque fraudes ac venena pro virili noſtra aperiamus, ac detegamus: quo in genere nullius fuit imposturæ major impudentia, quam ejus, quæ ipſis Sanctiſſimorum Apoſtolorum nominibus illudere auſa eſt. Ac cætera quidem ab hæreticis in hac proprie ſpecie olim conficta, ſed jam tum ab omnibus Catholicis mature exploſa, nunc vero plane intermortua, ſoliſque titulis nota mitto. Diataxes vero & Canones, ſpurium maleferiati alicujus Græculi fœtum, cum impune volitare, & à Romanis Theologis magna veritatis fraude uſurpari, ac noſtris identidem objectari cernerem; cœpi univerſum opus paulo diligentius inſpicere ac rimari, cumque veris tum Apoſtolorum, tum Eccleſiaſticorum auctorum dogmatis, atque monumentis comparare, magnamque hinc emicantium argumentorum copiam annotare, ac colligere, quæ (quantum quidem ego judico) clariſſime demonſtrant, validiſſimeque conficiunt, neque Apoſtolum, neque Apoſtolici ſæculi virum fuiſſe, vel Conſtitutionum, vel Canonum parentem. Totam de his diſputationem, quam in libros tres digeſtam amicorum conſilio atque auctoritate compulſi nunc edimus, tibi (Frater ac conſerve in Domino Chriſto obſervandiſſime) ideo inſcribere placuit, tum ut conſtantem noſtri in te amoris, cultus atque obſequii fidem teſtemur; tum ut tibi pro eximio, quo nos pridem beaſti dono aliquam grati animi ſignificationem rependamus. Cum enim tua

& pie-

Digitized by Google

& pietas atque eruditio ſingularis, & induſtria in Chriſti negotio ante nos haud vulgari cum laude verſata expoſceret; adhæc autem & tuorum in nos meritorum magnitudo flagitaret, ut ego tecum hoc officii genere prior certarem, tu tamen quæ tua in nos fuit benevolentia, atque humanitas, hunc mihi locum jamdudum præripuiſti, cum ante annos octodecim chronologicæ Apoſtolorum hiſtoriæ, ſummo à te judicio, parique fide ex divinis libris accuratiſſime atque eruditiſſime contextæ, nomen meum honorifice præſcribere dignatus es. Quod ergo tibi munuſculum multis jam ante nominibus prior debebam, id vel nunc tandem liberalitate tua provocatus exſolvo. Sed & præter ipſam officii rationem, nonnulla me quoque mei cum tuo operis ſimilitudo invitavit, ut hanc potiſſimum diſputationem ad te mitterem. Commune enim utriuſque lucubrationis argumentum, Apoſtoli; quorum tu veros actus aſſeris, ego falſa fictitiaque ſcripta revinco, ac refello. Fateor in cæteris magnum eſſe diſcrimen, noſtraque cum tuis, non aliter, quam ut vitrum cum gemma, conferri poſſe. Sed inter amicos etiam χάλκεα χρυσέων ἀμείβεσθαι fas eſt; quod à Glauco (ut Porphyrius * interpretatur) magnanimo, & à Diomede olim factum apud ſummum Poëtam legimus. Hoc ego jure atque exemplo fretus, tibi pro libello aureo tenuem hunc exigui pretii commentarium reddere non dubito. Tu vero, CAPPELLE amiciſſime, facilis, ſat ſcio, accipies; neque tam noſtrum ex munuſculo animum, quam ex animo munuſculum æſtimabis. Ita te Dominus JESUS familiæ, amicis, & Eccleſiæ diu incolumem, ac florentem ſervet. VALE.

Dat. Lutetiæ PARISIORVM. Prid. Kal. Decembr. a. D. MDCLII.

* *Apud Euſtath. in Iliad.* 3. *vers.* 234.

Viro Maximo
JOANNI DALLÆO.

QUID ſi ipſum audires Lector, ſua verba tonantem,
Cum jacit æterno fulmina digna Deo;
Attonitoſque trahit populos, & pectora mulcet,
Eloquioque potens regnat, & aſtra quatit?
DALLÆUM *nemo,* DALLÆI, *dicere poſſes,*
Vox ſuperat calamum, ſolaque Lingua manum.
Attamen hoc præſto, Genium non defore chartis,
Quæ de DALLÆI *nomine nomen habent.*
Maxima pars iſto vel amœna effundimus ævo,
Vel gravia & nullo tincta lepore damus:
Pagina DALLÆI *quovis ſub judice punctum*
Omne tulit, lepidum ſeu grave quæris opus;
Hîc lepor occurrit, qualem decet eſſe virorum,
Qualis & Angelico fulget in ore lepor:
Hîc gravitas læto incedit perfuſa ſereno,
Cœleſti gravitas convenit illa choro.
Triſte ſupercilium procul hinc, procul omnis & horror,
Barbarieſque ipſo pœnè ſuperba ſitu:
Mollities tamen omnis abeſt, & luxus inermis

Frangens

Digitized by Google

Frangens in teneros languida verba ſonos.
Quicquid habet docti ſchola, quicquid Roma decôri,
Hoc Pietas uno junxit utrumque libro:
Pulveris at Schola quicquid habet, vel Roma veneni,
Hoc Bona mens toto pellit utrumque libro.
Cerne vices rerum! fidei quondam inclyta famâ
Roma fuit, quæ nunc deſtruit ecce fidem:
Nec non & pariter quo Roma vetuſta ſuperbit
Eloquio liber hic deſtruit ecce novam.

ALEXANDER MORUS.

Digitized by Google

Index
CAPITUM.

LIB. I.

Quo demonſtratur ex rebus ipſis libros 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum apocryphos eſſe, & Apoſtolis falſo & impudenter ſuppoſitos.

CAP. I. *Latinorum, & recentium (ut Bellarmini, Baronii, Perronii, Petavii &c.) & veterum, (ut Honorii Auguſtod. Humberti, Gelaſii &c.) de Conſtitut. judicia, apocryphas eſſe conſentientium.* 1

Cap. II. Æthiopum de Conſtit. error, eas divinis libris æquiparantium. Græcorum de iiſdem judicia. Memoratas ab Epiphanio Conſtit. neque noſtras eſſe, neque ab Apoſtolis conditas. 22

Cap. III. Falli Bovium, qui Conſtit. Cyrillo Hieroſol. cognitas fuiſſe putat. Cyrillum, quæ de phœnice tradit, ea ex Clementis ad Corinthios epiſtola habere, non autem ex Conſtitutionibus. 50

Cap. IV. Fruſtra pro Conſt. afferri Euſebii & Athanaſii teſtimonium. Demonſtratur eorum loca nihil ad Conſtitutiones pertinere. Quid ſit ἡ διδαχὴ τῶν Ἀποςόλων. 56

Cap. V. Conſtitutionum antiquitas multis arg. evertitur. 1. arg. quod eæ neque à Græca, neque à Latina Eccleſia vel olim, vel nuper, fuerint in divinorum librorum canonem relatæ, quod neceſſe erat fieri, ſi eæ pro Apoſtolicis litteris eſſent agnitæ. Bovii temeritas arguitur. 76

Cap. VI. Arg. 2. quod Conſtitutionum ſermo, qua à vocibus, qua à vocum συντάξει *ab Apoſtolico*

lica charactere abhorreat, multaque contineat ab Apoſtolis aliena. 87

Cap. VII. Arg. 3. quod ab Apoſtolica veritate aliena ſint, quæ Conſtitutiones de Dei Filio, deque. Sp. S. identidem philoſophantur. Bovii cavillatio refellitur. 97

Cap. VIII. Arg. 4. ab aliis non paucis, quæ Conſtit. habent ab Apoſtolico dogmate aliena, ut de conjugio, de heri cum ancilla fornicatione. Refutatur parum honeſta Bovii defenſio. 106

Cap. IX. Arg. 5. Negant Conſtitut. vere miniſtros eſſe, qui inſcitia, vel improbitate laborant. Inanis Bovii defenſio. arg. 6. Eadem baptiſmum ab hæretico collatum irritum decernunt. 110

Cap. X. Arg. 7. Conſtit. baptiſmi ritui addunt quædam Apoſtolis ignota. arg. 8. Euchariſtiam infantibus communicant. Arg. 9. De miniſtris quædam aliter, quædam contra quam Apoſt. docent. 117

Cap. XI. Arg. 10. Conſtit. Decimarum ſolutionem fidelibus omnibus præcipiunt. arg. 11. legem ſacri cœlibatus miram ſtatuant. arg. 12. feſta & jejunia nova & infra Apoſtolicos orta, ſtatuunt. 133

Cap. XII. Arg. 13. Conſtit. publicanos ſimpliciter damnant &c. arg. 14. de ſacrificiorum lege olim à Deo lata male philoſophantur, & quædam Moyſi falſo affingunt. 143

Cap. XIII. Arg. 15. Quod Conſtitutionum diſciplina in baptiſmi, & Euchariſtiæ, & pœnitentiæ adminiſtratione, in Epiſcopi ætate, & baſilicarum ſtructura ab Apoſtolor. ævo aliena eſt. 152

Cap. XIV. Arg. 16. Conſtit. multa ponere ab hiſtoria Apoſtolicæ veritate aliena; ut Stephanum vixiſſe Paulo in Apoſtolatum allecto, Jacobum Zebedæi poſt ſuam mortem vixiſſe, & cæteros Apoſtolos ſuperfuiſſe, cum Clemens Romæ epiſcopus

factus eſt, & cum iis dicata ſunt feſta. 163

Cap. XV. Arg. 17. Conſtitutiones Ebionæos, & alios hæreticos poſt Apoſtol. mortem exortos. Apoſtolis coævos; Clementem vero Petro vivo Romæ ſediſſe Epiſcopum, & alia fabulantur. 171

Cap. XVI. Arg. 18. Conſtitutiones Sibyllinos verſus, poſt Apoſt. mortem factos, citant & Romanos Principes Apoſtol. tempore Chriſtianos fingunt. Refelluntur Bovii & Turriani cavillationes. 177

Cap. XVII. Arg. 19. Conſtitutiones ῥήσεις ex libris N. T. citant, præter Apoſt. morem apocrypha V. T. laudant; Iſraelis etymon abſurdum ponunt; Philippum Apoſtolum, Ioannem non Apoſtolum mentiuntur; Mariam Lazari à Magdalena diſtinguunt; Moyſem & alias ſcripturas falſo citant. 186

Cap. XVII. Refelluntur Bovii & Turriani σοφὰ φάρμακα, quibus fruſtra ſtudent Conſtitutiones abſurdis liberare, quandam ſermonis ideam comminiſcentes, in qua vera falſaque, vetera & recentia permiſcere, fabulari denique ac mentiri ſine flagitio liceat. 204

Cap. XIX. Contra Bov. & Turrian. probatur non eſſe Clem. R. Conſtitutionum ſcriptorem. 223

LIB. II.

Conſtitutiones refellit ex earum cum libris & dogmatis Eccleſiaſticis comparatione,

CAp. I. Arg. 1. Conſtitutiones à nullo veterum, qui primis Chriſtianiſmi ſæculis floruerunt, memorari. arg. 2. Conſtitutiones ipſi Clementi, qui earum auctor fuiſſe fingitur, ignotas fuiſſe. 231

Cap. II. Arg. 3. Conſtitutiones Juſtino a. D. 163. mortuo; arg. 4. Et Athenagoræ ignotas fuiſſe. 244

Cap. III. Arg. 5. Irenæum a. D. 197. mortuum, Conſtitutiones neſciviſſe. Id fuſe ex veris ejus libris prob. 250

Digitized by Google

Cap. IV. *Arg.* 6. *ex apocrypha Barnabæ epiſtola oſtenditur Conſtitutiones impoſtoris opus eſſe.* 265

Cap. V. *Arg.* 7. *Conſtitutiones Clementi Alex. Arg.* 8. *& Tertulliano omnique ejus ſeculi Eccleſiæ plane penituſque ignotas fuiſſe: quod fuſe ex Tertulliani veris demonſtratur.* 267

Cap. VI. *Arg.* 9. *Conſtitutiones nondum extitiſſe Origenis temporib.* (*arg.* 10) *neque Cypriani,* (*arg.* 11) *neque Dionyſii,* (*arg.* 12) *neque Petri Alexandrini.* 298

Cap. VII. *Arg.* 13. *Conſtitutiones ignotas fuiſſe Patribus Eliberitanis, & Nicænis; adeoque nondum quarto ineunte ſæculo extitiſſe. arg.* 14. *à decimis. arg.* 15. *ab Epiſcoporum judiciali tribunali. arg.* 16. *à Paſchatis ritu apud Antioch. ante Synod. Nicænam.* 316

Cap. VIII. *Arg.* 17. *Et Arriani, & Catholici quarti ſæculi Conſtitutiones neſciverunt; &* (*arg.* 18) *Laodiceni Patres; &* (*arg.* 19.) *Baſilius Cæſar. Arcudii ſtropha excutitur & ſolvitur.* 322

Cap. IX. *Arg.* 20. *Conſtitutiones Chriſtianis quinti ſæculi ineuntis ignotos: quod probatur ex eo, quod ſabbato (niſi uno) jejunari ſeveriſſime vetant.* 339

Cap. X. *Arg.* 21. *Conſtitutiones vel neſciverunt, vel nihili fecerunt Hieronymus, Victor Ant. Auguſt. Socrates, Nicephor. Berno, Chryſoſt. Caſſian. Iſidor. Raban. omnis Latinorum Eccleſia; idque ex jejuniorum ratione certiſſime deprehenditur.* 343

Cap. XI. *Arg.* 22. *Idem probatur ex ea feſtorum ratione, quam ponunt Conſtitutiones* 352

Cap. XII. *Arg.* 23. *Conſtitutiones in omni Græca, Latinaque Eccleſia ſpretæ; quod probatur ex baptiſmo à laicis adminiſtrato.* (*arg.* 24.) *ex epiſcopatus à presbyterio diſcrimine* (*arg.* 25) *ex mediatione Paſtorum: ex Iudæ communione; ex Magdalenæ à Maria Laz. diverſitate.* 357

Cap. XIII. *Arg* 26. *Conſtitutiones vel ignotæ,*

vel ſpretæ Gregorio Romano, & Auguſtino Angl. Apoſt. & Bedæ, & pœne omnibus Liturgicorum interpretibus, etiam infimorum temporum. 366

Cap. XIV. Arg. 27. Conſtitut. Valafrido Straboni ignotæ: imo & toti (arg. 28) Latinorum Eccleſiæ, quæ duo earum de Exorciſtarum, & inferiorum miniſtrorum ordinatione decreta jampridem conſtanter negligit. 373

Cap. XV. Refellitur frivola, putidaque Trullanorum Patrum, & multorum recentium exceptio, Conſtitution. hæreticorum dolo & manu vitiatas fuiſſe cauſificantium. 376

Cap. XVI. Excutitur ac confutatur inanis atque abſurda Albaſpinæi de Conſtitutionibus conjectura, ſive potius deliratio. 316

Cap. XVII. De vero Conſtitutionum & auctore & tempore, parum liquere. Nihil cogere, ut ante Syn. Nic. multa ſuadere, ut diu poſt eam editas, publicataſque putemus. Concluſio diſputationis. 392

LIB. III.

De Canonibus Apoſtolicis, tum 85. Græc. tum 9. Turriani Antiochenis.

CAP. I. *De Canonibus, qui dicuntur Apoſtolici, ſeorſum diſputandum eſſe. Diverſa de iis Latinorum recentiorum judicia; Bellarm. 50. tantum admittentis, Baronii præter hos, 33. alios probantis; Turriani omnes 85. cum Græcis ſchiſmaticis defendentis.*

Cap. II. Græcorum de Canonibus ſententia in Trullana Synodo promulgata, omnes 85. can. vere Apoſtolicos eſſe. Latinos veteres ab a. D. 520. pleroſque admiſiſſe quidem 50. priores canones, ſic tamen

tamen ut eos non plane haberent pro authenticis. 422

Cap. III. *Gelaſium E. R. cum Romana Synodo a. D.* 494. *omnes omnino Apoſtolor. canones apocryphos cenſuiſſe. Iſidor. Hiſp. a. D.* 620. *idem ſenſiſſe. Bell. Baronii, & Turriani diverſa ad Gelaſii decretum gloſſa fuſe refelluntur.* 436

Cap. IV. *Solvuntur, quæ Turrianus Gelaſianæ ſententiæ objicit, quibuſque probare fruſtra nititur ipſum Gelaſium Canones pro vere Apoſtolicis agnoviſſe.* 471

Cap. V. *Solvuntur, quæ pro* 50. *Canon. Apoſtolicis contra Gelaſii decretum ex Tertulliano, Athanaſio, & Damaſceno attulit Bellarminus.* 483

Cap. VI. *Solvuntur, quæ pro Canon. ex Paulo contra decretum Gel. attulit Turrianus.* 489

Cap. VII. *Defenditur Gelaſii decretum contra alias Turriani ex Patribus objectiones. Ac primo rejiciuntur, quæ ille ex apocryphîs adduxit; ut ex Anacleti, Alexandri, Iulii, &c. urbis Epiſcoporũ ſtramineis epiſtolis; item ex Nicæn. Canon. Arabicis, ex fictitia Hieronymi ad Damas. epiſtola, & ex Pſeudo-Dionyſio Areop.* 492

Cap. VIII. *Quam ſtulta & abſurda ſit omnis Turriani ex veteribus hac in cauſa diſputatio. Expenduntur ac refelluntur ſigillatim, quæ ille ex Orig. & Cypr. & ex Synodis Nic. Ant. & Gangr. attulit; & oſtenditur quis ſit locorum ſenſus.* 499

Cap. IX. *Diluuntur, quæ Turr. ex Africanis Synodis; item ex Athan. Baſil. & Epiphan. pro ſuis Can. ſtulte & inverecunde obtrudit.* 519

Cap. X. *Expenduntur, quæ non minori impudentia ex quinto ſæculo Innoc.* 1. *item ex Ephes. & Chalcedon. Synodis, adhac ex Cyrillo & Leone Turrianus objicit.* 526

Cap. XI. *Aſſeritur & conſtituitur Gelæſii de Can. decretum. Diſputationis partes* 3. *Pars* 1. *qua*

oſtenditur

oſtenditur 35. *Canones ex* 85. *poſtremos non eſſe Apoſtolicos*. 1. *arg. ex omnium (uno dempto Turriano) Latinorum teſtimonio ductum.* 549

Cap. XII. *Arg.* 2. *ex* 1. *can. ductum. arg.* 3. 4. & 5. *ex canonibus* 9. 12. & 15. *qui explicantur, & à Turriani cavillationibus vindicantur.* 555

Cap. XIII. *Arg.* 6. *ex iis, quæ de quadrageſima, & aliis jejuniis decernit c.* 18. *Turriani objecta & gloſſa refelluntur, aperiturque inſignis ejus de Pſychicis Tertull. hallucinatio. arg.* 7. 8. 9. 10. *ex C.* 21. 22. 30. 34. *Immanis c.* 34. *abſurditas: & par Turriani in eo defendendo impudentia. Concluditur.* 1. *pars diſputationis contra* 35. *Can. poſtremos.* 575

Cap. XIV. *Altera pars diſputationis contra* 50. *priores Canon. Demonſtratur eos quoque falſos, atque apocryphos eſſe. Arg.* 1. *ex Iſidori Hiſp. & aliorum Latinorum veterum, nominatim Hincmari, teſtimonio. Arg.* 2. *ex. c.* 1. *de Epiſcopis. Arg.* 3. *ex C.* 4. *Arg.* 4. *ex C.* 3. *de incenſo.* 594

Cap. XV. *Arg.* 5. *ex C.* 7. *de non celebrando cum Judæis paſchate. arg.* 6. *ex c.* 8. *de clericis, & ex* 9. (*arg.* 7.) *de fidelibus poſt oblationem non communicantibus. Refelluntur Bellarmini & Binii cavillationes.* 601

Cap. XVI. *Arg.* 8. *ex can.* 16. *de clerico concubinario. Refelluntur Turriani ineptiæ.* 612

Cap. XVII. *Arg.* 9. *ex can.* 21. 22. 23. *de iis, qui ſe ipſos abſcindunt. arg.* 10. *ex c.* 26. 29. *de iis, qui Eccleſiæ dignitates poteſtatis ſæcularis favore invadunt. arg.* 11. *ex c.* 33. *de Metropolitanis. arg.* 12. *ex c.* 49. *de trina in baptiſmo merſione. adverſar. cavillationes refutantur.* 617

Cap. XVIII. 3. *pars diſputationis qua communibus in utramque partem argumentis evertitur tota Can. Apoſtolicorum* 85. *Sylloge. arg.* 1. *ex i-*

pſius

Digitized by Google

pſius ſermonis, quo ſcripti ſunt Canones, idea, ab Apoſtolorum oratione aliena. arg. 2. ab Epiſcopi & presbyteri diverſitate Apoſtolis ignota. Arg. 3. à reprobato collato ab hæreticis baptiſmo. Profligantur Binii vitilitigationes. 632

Cap. XIX. Arg. 4. inde ductum, quod Sylloge non fuerit à veteri Eccleſia in Apoſtolicarum Scripturarum canonem relata. arg. 5. ex eo ſumptum, quod non fuerunt iſti Canones Eccleſiaſtico Canonum codici inſerti à veteribus. Univerſalis Eccleſiæ codex vetus. 642

Cap. XX. Arg. 6. inde ductum, quod omnes iſti Canones omnibus priorum quatuor ſæculorum Chriſtianis ignoti fuerint; ut ex eo apparet, quod à nullo iſtorum temporum ſcriptore memorati uſpiam reperiantur. Concluditur tota contra hos can. diſputatio. 658

Cap. XXI. Expenditur ac refellitur muſtea Albaſpinei de Canonibus hariolatio, ſomniantis eos diverſis quidem temporibus conditos, ſed ſenſim alios aliis adjectos, excreviſſe tandem in eam, quam hodie habemus, ſyllogen. Eam videri quinto, ſed adulto, ſæculo factam. 667

Cap. XXII. Altera quæſtio de aliis novem Canonibus, quos velut ab Apoſtolis in Antiocheno neſcio quo Concilio factos obtrudit Turrianus, & ex eo Baron. & Binius. Totam horum Can. molem una Turriani fide niti, quæ quam ſubleſta ſit, oſtenditur. 687

Cap. XXIII. Probatur iſtos 9. can. falſos eſſe & apocryphos, 1. ex eo ipſo Pamphilo Martyre, qui eorum teſtis à Turr. laudatur, librumque ſcripſiſſe fingitur, contra diſertum Euſebii teſtimonium negantis eum quicquam ſcripſiſſe. 2. ex Euſebii de iis ſilentio. 3. ex eo, quod clariſſime deprehenditur, eos & Origeni, in cujus tamen bibliotheca fuiſſe finguntur, plane ignotos fuiſſe. 4. ex eo quod Synodus illa

Digitized by Google

Apoſtolorum Antiochena in omni retro Eccleſia inaudita & incognita fuit. Inſignis Hincmari locus. Objectus pro ea Synodo ex Innocent. ep. 18. à Baronio locus, mendoſus. Emendatur & explicatur. Gregorii Piſinuntenſis pro eadem teſtimonium, velut merito ſuſpectum, rejicitur. Peſſima Patrum Synodi 7. fides notatur. 695

Cap. XXIV. Expenduntur ipſi Canones a Turr. editi. C. 1. notata in lectione diverſitas, ejuſque, quod ibi decernitur, abſurditas. C. 2. ineptia, circumciſionem ſuperflue vetantis. C. 9. prodigioſa ineptia, immaniſque in ſcriptura deprædicanda impudentia. c. itidem 3. ineptum & ridicule Apoſtolis affictum eſſe. 712

Cap. XXV. Oſtenditur, quam falſus, vanuſque ſit octavus canon. 1. ex triplici lectionis diverſitate. 2. ex vere Apoſtolica doctrina. 3. ex vetuſtiſſimorum Patrum fide, & dogmate. 4. ex ipſius Synodi 7. totiuſque Græcæ Eccleſiæ de imaginibus ſententia, & praxi. Binii in voce ϛήλη *fraus detegitur; cujus etymon, veruſque ex eo ſenſus explicatur, & aſſeritur. Tota de Apoſtolicis pſeudepigraphis diſputatio concluditur.* 722

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS DALLÆI
DE
PSEUDEPIGRAPHIS APOSTOLICIS
LIBER I.

CAP. I.

Latinorum, & recentium, ut Bellarmini, Baronii, Perronii, Petavii, *&c. Et veterum, ut* Honorii, Humberti, Gelaſii *&c. de Conſtitutionibus judicia, opus adulterinum & apocryphum eſſe conſentientium.*

CONSTITUTIONES Apoſtolorum octo libris comprehenſas è Græco in Latinum ſermonem tranſtulit Carolus Bovius Epiſcopus Oſtunenſis, & anno 1563. edidit. Eaſdem Ieſuita nobilis, Franciſcus Turrianus, homo apocryphorum avidiſſimus, Latinè quoque eſt interpretatus. Habetur opus & ſeorſim ſæpius, & una cum Conciliis à Surio & Binio in primis Conciliorum editionibus, & una cum canonicis Zonaræ commentariis conjunctim Græcè Latinéq; publicatum. De eo opere quid ſenſerint veteres ac recentiores Chriſtianorum Theologi, ac utrum Clementis, cujus nomen præfert, verè ſit, operæ pretium eſt inveſtigare.

Ac noſtri quidem ad unum omnes ſpurium ac adulterinum eſſe fœtum contendunt; multis poſt Clementis Romani dormitionem annis natum, idque haud ſegniter validis argumentis probant. Ex adverſariis pauci, quos Romanæ adverſum nos cauſſæ ſtudium egit præcipites, reclamant; ut Bovius, Turrianus, Stapletonus, qui eo uſque progreſſus eſt, ut librum hunc ſcripſerit a *Spiritu Apoſtolico pleniſſimum eſſe*; & alibi definierit b, *nullam rationem obſtare, quin ſi præſens Eccleſia referret has Conſtitutiones Apoſtolicas, à Clemente editas, in canonem Sacræ Scripturæ; nos eas pro Canonicis admittere debeamus æque atque epiſtolam Iacobi*. Paria de iis jactant minutiores quoque non pauci earundem partium Scriptores. Quorum vero nunc præcipua fertur ex adverſariorum Theologis eruditio, ac fama, ii fere omnes in noſtrorum ſententiam pedibus eunt.

a *Def. Eccl. author. l. 2. c. 11.*
b *Princ. fid. doctr. contr. 5. q. 2. art. 3*

Bellarminus *c* quidem cum dixiſſet, ſe probabile exiſtimare, non eſſe Clementis, quæ ejus nomine circumferuntur, *Recognitiones*, eaſque idem opus eſſe cum eo, quod *Itinerarium*, vel *Circuitus Petri* dicitur, quodque apocryphum eſſe conſtat; cum illa inquam, dixiſſet, continenter hæc ſubjicit: *De libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi authori tribuuntur, idem ferè judicium*

c *L. de ſcriptor. Eccl. 1. ſæc. in Clemente p. 53.*

dicium fieri debet , ac de libris Recognitionum. Ergo & has perinde ac Recognitiones apocryphas eſſe vult, Clementiſque nomen mentiri. Tum ait, *eas in Eccleſia Latina nullum ferè nomen habere, ipſoſque etiam poſteriores Græcos in Concilio Trullano can. 2. improbare has Conſtitutiones , ut ab hæreticis depravatas.* Denique notat plura, quæ in iis libris occurrunt, peccata, quæque ſatis arguunt, quam falſum id ſit, quod titulus præfert, hæc vel ab Apoſtolis tradita , vel à Clemente Romano, ſtudioſiſſimo ac fideliſſimo eorum diſcipulo, conſcripta.

Baronii quin eadem fuerit de his Conſtitutionibus ſententia, dubitandum non videtur. Cum enim quædam ex hoc volumine ſibi ipſi de Mariæ Magdalenæ â Maria Lazari ſorore diverſitate objeciſſet, *Sed uno verbo* (inquit *a*) *his liberari poſſemus, ſi apocryphũ eſſe librũ exciperemus. Sane quidem ſi hæc dicta ſunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re ſcripſerunt? cum præſertim tanti authoris præcipua fuerit authoritas in Eccleſia: adeò ut licet ejus epiſtola ad Corinthios ſcripta penitus exciderit; tamen quod ſæpius citata reperiatur, benè reviviſcat integra in fragmentis.* Hæc ille; clariſſime ex eo, quod veteribus ignotus fuerit Conſtitutionum liber, conficiens falſum, & ab homine Clemen-

a *Tom. 1. ann. Dom. 32. §. 18.*

 men-

mentis ævo recentiore confictum eſſe. Mox illud a *de apocryphi exceptione*, quo ſibi uti licuiſſe dixerat *confugium honeſtum* vocat. Sed & in alia operis ejus parte *Clementis conſtitutiones* memorans, eas *Clementis* nomine ita indigetat, ut & *Apocryphas* eſſe obiter moneat; *Putarunt aliqui* (inquit *b*) *eandem ſententiam ex ejuſdem Clementis Conſtitutionibus, ſed apocryphis roborari.* Idem alibi Athanaſio, & Epiphanio, aliiſque veteribus viſas fatetur; ſed *inter apocrypha ab omnibus adnumeratas.* Tum, *Sicut aliqua* (inquit *c*) *quæ in eis ſunt, hæretici ſunt perperam interpretati; ita etiam ab iiſdem multa fuiſſe corrupta, canon nomine ſextæ Synodi teſtari videtur. Aliqua inſuper in eas ex Græcorum fontibus effluxiſſe, mihi facilè perſuadeo.* Hæc ille; & librum per ſe apocryphum eſſe, adhæc ab hæreticis & ſchismaticis corruptum, atque adulteratum diſertiſſime cenſens.

a *Ibid.* §. 19.

b *An. D.* 44. §. 36.

c *T.* 2. *an D.* 102. §. 9.

Margarinus *de la Bigne*, qui Bibliothecam Patrum edidit, idem Conſtitutionum opus in apocryphorum cenſum liquido refert, dum hanc ex iis deſumptam apud Anaſtaſium Nicænum ſententiam *d*, *Epiſcopus ignorantia, aut mala mente oppreſſus, non eſt amplius Epiſcopus*, hac in margine appoſita annotatione, velut obelo confodit; *Cautè lege ita ex apocrypho libro accepta.* *Nam*

d *T.* 3. *Bib Patr. edit.* 3. *in Anaſt. Nic. q. in Script. col.* 44.

Nam Epiſcopus malus, aut imperitus, verus Epiſcopus eſt.

Iacobus Davius Perronius Cardinalis, cujus nomine nullum fere eſt apud adverſarios illuſtrius, de his Conſtitutionibus ita loquitur in grandi de Euchariſtia volumine *a*: *Hoc opus* (inquit) *à multis gravibus authoribus veteris ac recentis memoriæ in dubium vocatur. Epiphanius* libri meminit id nomen præferentis, aitq́ multos ſuo tempore eum in dubium revocare; ſe verò eum nequaquam rejicere. Synodus Conſtantinopoli in Trullo, multis poſt Epiphanium temporibus ſub Iuſtiniano Rhinotmeto habita, opus condemnat. Photius* b *verò Conſtantinopolitanus Patriarcha, ipſa illa ſynodo recentior, vix Arianiſmo purgari poſſe ait; quod ſuſpicari cogit librum hunc vel non eundem eſſe cum eo qui Epiphanii temporibus hoc nomine cenſebatur, vel certè ab Arianis poſtea corruptum, adulteratumque fuiſſe. Sanè multa apud veteres inde deſcripta reperiuntur, quæ cum iis, quæ nunc circumferuntur, exemplaribus non congruunt. Cardinalis Beſſario* c *Marco Epheſio, quendam ex his Conſtitutionibus locum objectanti, reſpondet opus eſſe apocryphum.* Hactenus Perronius. Idem in alio opere *d*; *Quæ* (inquit) *Clementis nomine Apoſtolicæ Conſtitutiones circumferuntur, non ſunt ejus fidei, ut*

a L. 2. c. 1 p. 174.

* *hær. Audian.*

b *in Bibl. cod.* 113.

c *Sixt. Sen. in Bibl. Sanct.*

d *Perron. Replic. l.* 1. *c.* 24.

ut in rebus ad religionem pertinentibus authoritatem habeant deciſivam. Sive enim jam ab initio Clementis nomine ſuppoſitus, ſive ab hæreticis poſtea interpolatus, atque adulteratus fuerit hic liber, conſtat, ſuſpectam eſſe ejus authoritatem. Memorat Epiphanius a *librum iſtius nominis, quem ait ſuo tempore à multis in dubium vocari, à ſe nequaquam rejici. Synodus quidem Trullana, diu poſt Epiphanium Conſtantinopoli habita, eum damnat*; & cætera omnino cum iis, quæ nuper ex alio ejuſdem Perronii opere deſcripſimus, eadem.

a *Contr. Audian. ſect.* 70.

Gabriel Albaſpineus, Aurelianenſis Epiſcopus, non tantum hos libros dubios atque apocryphos cenſet, ſed & eos, qui aliter de iis ſentiunt, *imperitiæ* palam arguit, Turrianum, & Bovium, & Stapletonum, ni fallor, tacite perſtringens ac ſugillans; *Certè ſiquis eſſet* (inquit *b*) *qui canones Apoſtolorum, & Divi Clementis Conſtitutiones, Apoſtolorum authoritate ſancitas publicataſque certò affirmaret, imperitus cenſeretur. Nam qui antiquarum conſuetudinum gnari, quo quidque tempore, aut loco obſervari deſitum ſit, aut mutari cœptum norunt, de iis ne dubitare quidem poſſunt. Et verò, quæ mox dicam, ita clara ſunt, ea ut revinci à nullo poſſint*. Hæc ille. Quæ autem his ſe ſubjecturum profitetur, ea nos poſtea ſuo loco,

b *Obſerv. Eccleſ.* 1. *c.* 13. *p.* 37.

loco, ubi de re ipſa dicendum erit, afferemus.

Dionyſius Petavius, quo nemo hodie vivit in ea, quam falſo vocant, Ieſu ſocietate, eruditionis ac doctrinæ nominibus clarior, ad locum Epiphanii, in quo is Conſtitutionum Apoſtolicarum meminit, deque iis jam tum à nonnullis dubitatum fuiſſe ſcribit, *Eodem* (inquit) *nomine circumferuntur hodie in VIII libros diſtinctæ; quæ à prioribus illis ac nihilominus dubiis, quarum meminit Epiphanius, diverſæ videntur. Etenim V. ex illis ſententiæ hoc & ſequenti numero citantur, quæ in vulgatis nuſquam reperiuntur; imò verò contraria quædam in iis leguntur.* Id verò exſecutus ita concludit; *Apparet igitur, aliud fuiſſe Conſtitutionum genus, quam quibus hodie Clementis nomen inſcribitur.* Atque ex his liquet Petavium tantum ab eo abeſſe, ut eas, quas nunc habemus Conſtitutiones, verè vel Apoſtolorum, vel Clementis eſſe putet; ut ne eas quidem exiſtimet eaſdem cum illis eſſe, quæ Epiphanii temporibus hoc nomine circumferebantur, dubiæ tamen ipſæ incertæque, ac eo ipſo tempore controverſæ fidei. Idem alibi *a*, *De Diaconiſſis* (inquit) *nugatur Pſeudodiataxis Clementis L. II. c. XXVI.* quæque inde refert, ea γραώδη, id eſt *anilia*, vocat; & quidem

a *Ibid. ad expoſit. fid. p.* 349.

merito, ut mox ſuo loco demonſtrabimus. Sed & poſtea in eodem opere, quod in iſtis Conſtitutionibus de Sabbato decernitur, id Petavius idem pronunciat (& quidem verè meritoque) *nunquam ab Apoſtolis toti Eccleſiæ fuiſſe præſcriptum*, *approbare conſenſum ſanctiſſimorum Patrum*. Mox quod in iiſdem Conſtitutionum libris *a* habetur de ſabbato feriando decretum reſigens ac refutans Petavius, & *ab Apoſtolis manaſſe* (ſane veriſſimè) negans, hoc opus non Διατάξεις, qui ei vulgo titulus præſcribitur, ſed *Pſeudodiataxes Apoſtolicas* nominat *b*. Sed idem in noviſſimo de Theologicis dogmatis opere, quid de Conſtitutionibus ſentiat, alicubi clare quoque profeſſus eſt, ubi poſt recitata Athenagoræ, Tatiani, Theophili, Irenæi quædam loca; *Poterat* (inquit *c*) *ante omnes illos, quorum hactenus memini, vetuſtatis unius nomine commemorari Clemens Romanus; ſiquidem germana eſſent, quæ illius inſcripta nomine circumferuntur. Sed non ſunt. Hic igitur in Conſtitutionibus* d *Apoſtolicis ridiculum neſcio quid, & hæreticum de Trinitate poſuit*. Id autem quid ſit, poſtea ſuo loco explicabimus. Vides ut rotundè neget Clementis eſſe, quæ ejus nomine habentur *Conſtitutiones*, cæteraque ejuſdem & tituli & ingenii opera.

a *Conſt. l. 8. c. 33.*

b *Pet. ad Epiph. expoſit. fid. p. 360.*

c *T. 2. l. 1 de Trinit. c. 3. §. 7. p. 15.*

d *Conſtit. l. 2. c. 26.*

Atque hæc quidem de recentioribus adverſa-

verſariorum Theologis ſatis ſunt; quibus nihil eſt in iſtorum partibus, quod jure opponi aut exęquari poſſit. Nam ſive eruditionem, ſive dignitatem, aut famam, nominiſque celebritatem ſpectes, quid noſtra parentumque ætas apud Romanam communionem tulit cum Bellarmino, Baronio, la Bigne, Perronio, Albaſpineo, & Petavio comparandum? Horum autem, ut liquet, concors eſt ſententia, Conſtitutiones Apoſtolicas, Clementis nomine vulgatas, dubias, incertas, apocryphas, falſas, corruptas, adulteratas, nullius in religionis rebus fidei vel authoritatis eſſe. De iis in ſuperioribus quidem, ſed tamen noſtro proprioribus ſæculis, vel nulla, vel admodum rara, tenuiſque occurrit apud Romanos homines mentio; ut veriſſimè à Bellarmino ſcriptum ſit, eas in Eccleſia Latina nullum fere nomen habere: quod ipſum invicto argumento eſt, falſas eſſe & ſuppoſititias. Nam ſi verè Clementis (id eſt primi, vel certe primo proximi Romanorum Epiſcopi) hoc eſſet opus; ſi vere ſacram doctrinam ὁμόστοιχον ταῖς ἐνδόξοις φθογγαῖς τοῦ Σωτῆ- a Conſt. l.
ρος. *Salvatoris, glorioſis vocibus æquiparandam* (ut reddit Bovius) ſi ſancitam omnium 1. c. 1.
Apoſtolorum voce atque authoritate diſciplinam contineret; quis *Eccleſiam* Latinam, *cæterarum* omnium (ſi ipſi credimus) *ma-*

 giſtram,

giſtram, ac ducem, id per tot ſęcula adeo contemptim habituram fuiſſe crediderit, ut toto eo tempore nullius fere apud ipſam nominis extiterit? Repertum recenti tandem memoria ſive Bovium, ſive Turrianum, qui tantum ſcilicet theſaurum de contemptus (ut ſic dicam) pulvere ac ſitu, in quo tandiu jacuerat, erutum ac vindicatum, ſuæ dignitati, ſuoque nitori poſtliminio reſtitueret? Certè Honorius Auguſtodunenſis, qui ante quingentos annos in noſtra Gallia vixit, circa a. D. 1120. omnia, quæ Clementi Romano tribuuntur (adeoque & Conſtitutiones) inter apocrypha rejicit; excepta una ad Corinthios epiſtola. Hæc autem ſunt ejus in opere de ſcriptoribus Eccleſiaſticis verba, pene omnia ex Hieronymo deſumpta; *Clemens* (inquit) *cujus Apoſtolus ad Philippenſes meminit, quartus poſt Petrum Apoſtolum Romæ Epiſcopus (ſiquidem ſecundus Linus, tertius Anacletus fuit) ſcripſit Epiſtolam ad Corinthiorum Eccleſiam, valde utilem; & Itinerarium Petri; & diſputationem Petri & Appionis, &* MULTA *alia, quæ inter apocrypha recenſentur.* Sed & 150. ante Honorium annis, quod eſſet Latinæ Eccleſiæ de his Conſtitutionibus judicium exſertè apertèque docuerat Humbertus Cardinalis, Epiſcopus Sylvæ Candidæ, à Leone

nono

nono legatus Conſtantinopolim miſſus, vir ſui ſæculi longe doctiſſimus (vixit autem anno Domini 1054. ante annos ſexcentos) qui Nicetæ Pectorato Conſtitutionum Apoſtolicarum, itemque Canonum, qui Apoſtolici dicuntur, loca quædam contra Sabbati jejunium objectanti, his verbis reſpondit, *Nos* (inquit *a*) *reprehendens, cur jejunemus Sabbatis, dicis*, quarta & ſexta feria jugiter jejunandum; una propter traditionem, altera propter paſſionem Domini: ſabbato autem nunquam, niſi uno; *& hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari ſententia ſanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis librum, id eſt Itinerarium Petri Apoſtoli, & canones Apoſtolorum numeravere inter Apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxiæ adjungenda. Unde nos quoque omne apocryphon* b *abjicientes, dedignamur audire eorum fabuloſas traditiones, quia non ſunt ut lex Domini.* Hactenus Humbertus. Neque quenquam moveat quod librum illum Clementis dicat eſſe *Itinerarium Petri*. Omnino id Clementis opus intelligit, quod *Conſtitutionum Apoſtolicarum* titulum præfert; ut liquet, ſiquis rem attentè conſideret. Nam imprimis obſervandum eſt, Nicetam, cui reſpondet, nullum ex eo volumine, quod *Petri Itinera-*

a *Contr. Nicet. Pector. T. 4. Bib. Patr. part. 2. p. 243. a. b. & in append. T. 11. ann. Bar.*

b Bar. *omnē apocryphum.*

nerarium propriè dicitur, locum pro ſua (id eſt Græcorum) ſententia attuliſſe: ſed duntaxat ex Conſtitutionibus & Canonibus Apoſtolicis. Sic enim habet *a*; *Apoſtolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de martyribus inſcribitur, juxta Clementem, Quartam feriam & ſextam præcepit* b *nobis jejunare Dominus: unam quidem propter traditionem, alteram propter paſſionem. Ipſum autem ſabbatum non tradidit jejunare, quoniam non oportet, præter illud ſolum omnium, quo* c *Creator ſub terra fuit. Unde juxta calcem ejuſdem libri iterum ſic loquitur*, Omne quidem ſabbatum & omnem Dominicum celebrandum eſſe dicimus. Gaudere enim oportet in his, & non lugere. *Septimo quidem libro earum Conſtitutionum juxta viceſimum* d *caput hoc inquiunt*; Sabbatum namque & Dominicam celebramus; quia illud quidem divinæ operationis eſt memoria *e*; hic vero tantum Sabbatum cuſtodiendum eſt in toto anno ſepulturæ Domini, quo jejunare oportet. Quando enim Chriſtus in ſepulchro jacuit, diſcipuli potentiorem circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria divinæ operationis. Hæc Nicetas ex quinto & ſeptimo *Ordinationum*, ſive *Conſtitutionum* (id eſt διατάξεων) Apoſtolicarum libris; quæ & in noſtris codicibus

a *Nicetas ibid. p.* 235. & 236. *a.*

b Bar. *præceperunt.*

c Bar. *eo quod Creator ſub terra fuit.*

d Bar. *viceſimum quartum capitulum.*

e Bar. *hæc vero reſurrectionis. Unum vero tantũ.*

totidem

:otidem pene verbis habentur. Prima enim
ententia extat in Grȩcis exemplaribus, l. 5.
:. 14. *a* in Bovii vero editione l. 5. c. 16. a *Apud*
ͅ τετράδα δὲ καὶ παρασκευὴν προσέταξεν *Zonar. p.*
ἡμῖν νηστεύειν. τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, *929. a. b.*
τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. Tuin; αὐτὸ δὲ νηστεῦσαι b *fol. 70.*
τὸ σάββατον, οὐχ ὅτι δεῖ τὸ σάββατον νηστεύ- *recto. ex-*
ειν, κατάπαυσιν δημιουργίας ὑπάρχον, ἀλλ' *tr.*
ὅτι ἐκεῖνο μόνον χρὴ νηστεύειν, τοῦ δημιουργοῦ ἐν
ἑαυτῷ ἔτι ὑπὸ τὴν γῆν ὄντος. Quæ ſic red-
didit Bovius: *In quarta feria & paraſceve*
nobis jejunium indixit; in illa ob proditio-
nem, in hac ob paſſionem, &c. *Iuſſit in ipſo*
ſabbato jejunare, non quod oporteat in ſab-
bato jejunium ſervare, cum in eo ceſſatio
conditi operis (id eſt creationis) *ſit, ſed quod*
in illo tantum jejunare oportet, in quo opi-
fex ipſe ſubtus terram manſit. Secundam
vero ſententiam, in eodem libro quinto,
& quidem extremo, quod monet Nicetas,
noſtri quoque codices exhibent *c*; πᾶν μέν c *c. 20.*
τοι σάββατον, ἄνευ τοῦ ἑνὸς, καὶ πᾶσαν κυριακὴν *extr. p.*
ἐπιτελοῦντες συνόδους εὐφραίνεσθε, &c. εὐ- *936. d.*
φρανθῆναι γὰρ δεῖ ἐν αὐταῖς, ἀλλ' οὐ πενθῆσαι.
Sic etiam apud Bovium *d*; *In omni Sabbato* *l. 5. c. 21.*
(excepto uno) atque die Dominico conven- *extr. fol.*
tus celebrantes exhilaramini, &c. *Per hos* *74. ver-*
enim dies exhilarari oportet, non lugere. *ſo.*
Tertia denique ſententia ipſa quoque in
noſtris codicibus legitur, libro ſeptimo,
unde

a apud Zonar. p. 978. c.

unde eam citat Nicetas, cap. 24. *a* Τὸ σάββατον μέντοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα. ἡ δὲ ἀναστάσεως. ἓν δὲ μόνον σάββατον ἡμῖν φυλακτέον ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ, τὸ τῆς τοῦ Κυρίου ταφῆς, ὅπερ νηστεύειν προσῆκεν, ἀλλ' οὐχ ἑορτάζειν. ἐν ὅσῳ γὰρ ὁ δημιουργὸς ὑπὸ γῆν τυγχάνει, ἰσχυρότερον τὸ περὶ αὐτοῦ πένθος τῆς κατὰ τὴν δημιουργίαν χαρᾶς. *Sabbatum & Dominicum diem feſtum agite, quoniam illud quidem naturæ conditæ eſt monimentum, ſive recordiatio, hic vero reſurrectionis. Unum vero tantummodo ſabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, ſabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti; quo quidem jejunare deceat, non autem celebrare feſtum. Dum enim author mundi ſub terra eſt, validior eſt de eo luctus, quam de mundo condito lætitia.* Hactenus noſtri Clementis codices. Cum hæc ergo ex Clementis Apoſtolicis ſive *Ordinationibus* ſive *Conſtitutionibus* afferentem Nicetam Humbertus dicat diſputare, ſuaque aſſerere *ex Apocryphis libris, ſententia ſanctorum Patrum repudiatis*; reſpondeatque, *ſe omne apocryphon abjicientem dedignari audire eorum fabuloſas traditiones*; clarum eſt, eum ipſas illas Clementis Conſtitutiones, quæ tum apud Græcos in pretio habebantur, nunc vero etiam apud nos circumferuntur, inter *apocrypha*,

rypha, *ſententia Patrum repudiata*, ac in-
er *fabuloſas Græcorum traditiones* cenſuiſ-
e; putaſſeque nullam earum in Chriſtianæ
el fidei vel diſciplinæ rebus habendam eſſe
ationem. Quæ cum ita ſentiat, ac ſcribat,
on imperitus aliquis de plebis fæce, ſed
ir ſui ſæculi maximus, ac doctiſſimus, ad-
æc Eccleſiæ Romanæ Cardinalis Epiſco-
us, Pontificiſque Romani Legatus; du-
itandum non eſt, quin eadem tum de his
bris & Romani Pontificis, & totius Ro-
nanæ Eccleſiæ fuerit ſententia. Vide ergo
uantum ab his veris, germaniſque Ro-
nanis degenerarint Turrianus, & Bovius,
: alii ſiqui ſint hodierni Romulidæ, qui
pocryphas iſtas, à ſuis majoribus damna-
as ac rejectas pſeudodiataxes in cœlum
ollant.

Jam vero quod ait Humbertus, Clemen-
is librum illum à Niceta laudatum, eſſe *iti-
erarium Petri*; id fateor mirum iis viſum
ri, qui Itinerarium Petri volumen eſſe pu-
ant ejuſdem quidem Clementis, ſed tamen
b Apoſtolicis Conſtitutionibus diverſum;
uorum in numero eſt Bellarminus, qui
Recognitionum & *Itenerarii* idem eſſe o-
us cenſet. Sed utcunque ſe res ipſa vere
abeat, illud quidem liquet, non *Recogni-
ionum*, ſed *Conſtitutionum* opus Hum-
erto idem viſum fuiſſe cum *Petri Itinera-*

rio

rio. Neque enim dubitandum eſt, quin id ipſum Clementis opus intelligat, quod & nunc paſſim cenſetur, & à Niceta olim cenſebatur *Conſtitutionum* nomine. Itaque Papæ Gelaſii decretum, quo *Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur Sancti Clementis libri octo*, in apocrypha refertur, omnino de Conſtitutionibus accepit Humbertus: non ut Bellarminus de *Recognitionibus*. Certe Humberto favet librorum numerus. *Recognitionum* enim libros decem eſſe conſtat; *Conſtitutionum* vero non plures quam octo.

Ex quibus liquet Humberti, adeoque Latinæ, quæ tum erat, Eccleſiæ judicio, jam anno Chriſti 494. à Gelaſio urbis Epiſcopo, totaque Romana Synodo, à 70. Epiſcopis præſide Gelaſio habita, damnatas, rejectaſq; in apocryphorum cenſum fuiſſe Clementis nomine vulgatas, & in octo libros digeſtas Apoſtolorum Conſtitutiones, eo canone, qui his verbis expreſſus habetur a: *Item Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur S. Clementis libri octo, apocryphum.* Non de aliis quam de *Conſtitutionum* octo libris hæc intellexit Humbertus, omninoque huc reſpexit, cum *libros*, è quibus ſua aſſerebat Nicetas, *pari ſententia Sanctorum Patrum repudiatos* fuiſſe ſcripſit. Nimirum illo de Apocryphis

a *Syn. Rom. I. Sub Gel. I. notitia libror. apar. T. 3. Conc. p. 662. col. 2. E.*

decreto

ſecreto à Gelaſio, & ſeptuaginta aliis Epiſcopis damnatum eſt utrumque illud volumen, è quo ſua defendebat Nicetas: prius quidem *Conſtitutionum*, iis verbis, quæ modo deſcripſimus; poſterius vero *Canonum*, his, quæ ibidem poſt multa leguntur a; *Liber Canonum Apoſtolicorum apocryphus.*

a Ibid. p. 663. col. 1. d.

Hinc in ulteriora ſecula ſurſum aſcendentibus, nulla, quod ſciam, occurrit Conſtitutionum Clementinarum apud Latinos mentio. Hieronymus quidem in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis illius Epiſtolæ, quam ad Corinthiorum Eccleſiam ex perſona Romanæ Eccleſiæ Clemens ſcripſit, magna cum laude meminit, eamque tradit nonnullis locis etiam publice lectam fuiſſe; ſed tacitis, altoque ſilentio tranſmiſſis Conſtitutionibus, hæc tantum de Clemente addit; *Fertur & ſecunda ex ejus nomine Epiſtola, quæ à Veteribus reprobatur. Et diſputatio Petri & Appionis, longo ſermone conſcripta, quam Euſebius in tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ volumine coarguit. Objit tertio Trajani anno, & nominis ejus memoriam uſque hodie Romæ extructa Eccleſia cuſtodit.* Unde nemo non videt, vel nullas plane tum extitiſſe apud Latinos Apoſtolicas Clementis Conſtitu tiones; vel certe nullo in pretio, nulloque in uſu fuiſſe, ſed

inter apocryphorum vana ac fabuloſa jacuiſſe. Librum enim tanti viri, tantiſque de rebus ſcriptum (ſiquidem verus ac legitimus fuiſſet, imò ſi vel in mediocri uſu fuiſſet) Hieronymo Latinorum ſcriptorum eruditiſſimo ac florentiſſimo ignotum, vel indictum futurum fuisse, quis ſanæ mentis putaverit? Unde ſatis refellitur frigida Bovii, Turrianique conjectura *a*, qui hos ipſos Conſtitutionum libros ab Hieronymo Latine olim converſos fuisſe ſuſpicantur. Atqui ne notos quidem ei fuisſe, vel pro Eccleſiaſticis habitos, hinc clarum eſt. Cur enim Clementis opera vel vera, vel etiam notha in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tradens, nobiliſſimum ejus authoris (ſi iſtis credimus) opus omitteret, ſiquidem id ei notum, ac pro Eccleſiaſtico habitum fuisſet? Sed Hieronymus (inquiunt) Latinam Origenis in Epiſtolam ad Romanos interpretationem ſuam concludens, teſtatur ſe in convertendis Clementis operibus verſari: Quæ autem Clementis circumferebantur apocrypha, cum a Ruffino iam fuiſſent Latinè edita, nihil erat quod in iis Hieronymus inſudaret. Itaque veriſimile eſt, libros, quos ille à ſe converti ait, has ipſas eſſe Apoſtolorum Conſtitutiones. Verba autem illa, quæ citant, habentur in peroratione translatoris Commenta-

a *Præfat. in Conſtit.*

entariorum Origenicorum in Epiſtolam
l Romanos; in qua iſte, quiſquis eſt, pro-
:etur, ſe Clementina Latinè editurum:
oſt hoc ſane (inquit *a*) *vocat nos opus,* a T. 2.
uod olim quidem injunctum eſt, ſed nunc à Orig. p.
. Gaudentio epiſcopo vehementius perur- 634.
:tur, Clementis ſcilicet Romani Epiſcopi,
Ipoſtolorum comitis, quorum ut ſucceſſori-
us darem cognitionem, libri à nobis in La-
num vertuntur. In quo opere bene novi,
uod laborem labor multiplicat, ſi ſortem
ſcipiat. Satisfaciam ſane in eo amicis
:eis. Dabo titulo nomen meum; authoris
ihilominus vocabulo permanente. Nam
Iieronymi ne putetur, Clemens ſcribetur.
Iem paulo ante; *Ajunt mihi* (inquit) *In*
:s quæ ſcribis, quoniam plurima in eis tui
eris habentur, da titulum nominis tui,
ſcribe; Hieronymi (verbi gratia) in Epi-
olam ad Romanos explanationum libri.
Iæc Bovio, Turrianoque impoſuerunt, ut
atinam Origenis in epiſtolam ad Roma-
os interpretationem, Hieronymi eſſe pu-
rent. Sed jampridem monuerat, variiſ-
ue argumentis evicerat Eraſmus, eam
uffini eſſe *b*; *Librarios* verò *magnificè* b *Cenſu-*
erfricuiſſe frontem & in præfatione & in *ra* Orig.
:roratione pro Ruffino Hieronymum ſup- *de hom.*
onentes; quod hujus ſcilicet gratioſum, *in gen. &*
lius invidioſum nomen eſſet. Ipſe ſane *de comm. in ep. ad Rom.*

 Hiero-

Hieronymus, ſua in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis opera a. D. 392. recenſens, a c. 135. profitetur *a ſe homilias in Hieremiam & Ezechielem Origenis XXVIII de Græco in Latinum vertiſſe*; commentarios ejuſdem in epiſtolam ad Romanos nullus memorat. Huc accedit, quod hujus operis tranſlator in præfatione non diſſimulat, ſibi conſilium eſſe, quæ in Græco Origenis codice deerant, ea ex ſuo ingenio ſupplere, & ingens commentariorum corpus abbreviare, & ad media ſi fieri poteſt ſpatia coarctare; quam in alienis operibus immutandis, ac pro libidine abbreviandis, ac producendis temeritatem Ruffini quidem ſingularem fuiſſe, omnes norunt: ab Hieronymo viro longe doctiſſimo ac graviſſimo uſurpatam, nemo ſanus dixerit. Ad hæc Hieronymum quicquam ex Clemente tranſtuliſſe, non ipſe, non quiſquam alius prodidit: Ruffinum Recognitionum Clementis Romani libros Latinè interpretatum eſſe atque edidiſſe, & Gennadius *b*, & Honorius Au- b c. 17. guſtodunenſis, & cæteri teſtantur, & opus ipſum fatetur, quod etiam hodie extat cum præfatione ad ipſum illum Gaudentium, cujus in peroratione Origenicorum in Paulinam epiſtolam commentariorum meminit. Vana ergo, falſaque eſt omnis Bovii hariolatio: cum & author illius perorationis,

orationis Ruffinus ſit, non Hieronymus; & Clementis, ad quod convertendum ſe iſte accingebat, opus *Recognitionum* volumen ſit, non *Conſtitutionum*: nulli Latinorum iſtis quidem ſęculis viventium memoratum. Jam ulteriora ſupra Hieronymum nihil neceſſe eſt perſequi; cum omnes confiteantur, totis quatuor ſæculis, quæ a Chriſti natalibus ad Hieronymi mortem fluxerunt, nullam planè extare apud Latinæ Eccleſiæ ſcriptores Conſtitutionum iſtarum Clementinarum mentionem, Quod unum, ſi benè reputes, argumentum ſatis eſt ad abrogandam omnem iſtius voluminis fidem: quod ſi vere Clementis eſſet, nuſpiam majori in pretio atque authoritate fuiſſet, quam Romæ, cujus ille ſcilicet Eccleſiam vel ſtatim, vel certe proxime poſt Apoſtolos, rexit. Vides ex Hieronymo, quanta fuerit in authoritate ejuſdem viri vera ad Corinthios epiſtola; ut etiam publicè apud Chriſtianæ plebis collectas legeretur. Quis dubitaverit, quin & alterius operis, ſi agnitum, ac pro ejuſdem parentis fœtu habitum eſſet, eandem quoque futuram fuiſſe apud veteres, præſertim Latinos, gratiam, atque dignitatem? maxime cum Apoſtolos ipſos ſcriptor iſte loquentes, omnemque Chriſtianæ religionis fidem ac diſciplinam ore ſa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cro exponentes ac definientes inducat? Apage Turriani & Bovii, hominum nudiustertius natorum, adhæc ingenio fabularum ac quiſquiliarum avidiſſimo, nupera muſteaque judicia. Quaſi vero duobus iſtis heroibus hanc felicitatem fata ſervaverint, ut quæ omnis Latinorum Eccleſia totis quindecim ſæculis vel plane penitusque neſcivit, vel certe cognita contempſit ac nihili fecit, iſti ultimis demum his temporibus inuſitata ſpiritus copia perfuſi, vera genuinaque Apoſtolorum dictata eſſe agnoverint, ac orbi Occidentali manifeſtarint. Nobis ſatis ſunt, quæ ab initio toti Eccleſię tradita, toti agnita, Apoſtolorum monumenta in publica apud Occidentem ęquè ac apud Orientem luce extiterunt. Iſta tam ſero ab hominibus novis, & quidem merito ſuſpectis, revelata, apocrypha, ut fuerant hactenus, ita quoque deinceps ſunto.

Cap. II.

Æthiopum de Conſtitutionibus error, eas divinis libris æquiparantium. Græcorum de iis judicia. Epiphanio memoratas Conſtitutiones, neque noſtras fuiſſe, neque vere ab Apoſtolis conditas.

HÆc de Latinis hactenus. Nunc cæteras Eccleſiæ Chriſtianæ partes videamus. Idem ille Bellarminus,

ius, qui Conſtitutiones *nullum fere nomen apud Latinos habuiſſe fatetur*, ait *a* eas *à Græcis veteribus magni fieri*: tum *audire ſe* addit, *Æthiopes his uti, ut vere Apoſtolicis*. Ego vero de Æthiopibus quidem fateor, quibus facile fuit in ſumma rerum, ac temporum Eccleſiæ ignorantia verſantibus, veteris impoſtoris ludos pro Apoſtolorum ſtatutis obtrudere. Certe in ſuo de rebus Abyſſinis libro *b* narrat Alvares, Abyſſinos ſive Æthiopes *habere librum in octo partes diviſum, quem ab univerſis Apoſtolis Hieroſolymæ congregatis ſcriptum ferunt, quemque ipſi vulgo* Manda & Abetilis *vocant*. Clarum eſt, Clementinas Conſtitutiones intelligi; quę & in 8 libros, ut notum eſt, diviſæ ſunt, & velut ab Apoſtolis una congregatis dictatæ finguntur. Hos autem octo libros, alioſque ejuſdem farinæ non paucos, et Canones fortaſſe Apoſtolorum, & similes, eodem, quo ſacros veteris novique Inſtrumenti codices, loco & numero cenſere Æthiopes, ex eo liquet, quod iidem apud Alvarem *c jactant, ſe veteris ac novi fœderis libros habere LXXXI.* qui numerus (quod nemo neſcit) verorum ac legitimorum & à Spiritu Sancto inſpiratorum librorum numerum haud modice ſuperat. Tam craſſi autem erroris hanc habent Æthiopes ab ipſo Bellarmino *d* obſervatam, mercedem, quod

a *De ſcript. Eccl. a.d. 29. in Clem.*

b *c. 81. extr. in vol. Navig. di Gioann. Batt. Romaſio.*

c *Ibid. c. 90.*

d *1. De ſcript. Eccl. in Clem.*

circa cultum Sabbati & diei dominicæ et circa miniſtrum baptiſmi, & in aliis quibuſdam dogmatibus, graviter hallucinantur; cæcum ſcilicet cæci ducem ſequuti.

Sed Æthiopes quidem mittamus, quorum non niſi recentiſſima novimus; antiqua plane ignoramus; tum ob rara & difficilia noſtrorum hominum cum remotiſſima ac pœne inacceſſa gente commercia, tũ etiam ob veterum apud eam monumentorum penuriam. Ad Græcos veniamus; quibus neq; recentioribus neque priſcis, in pretio fuiſſe iſtas Conſtitutiones, clarum eſſe videtur; & miror, quod Bellarminus aliud ſenſerit. Hieremias ex recentiſſimis Conſtantinopoleos Patriarchis anno ſuperioris ſeculi 76. ad Virtenbergenſes ſcribens fatetur *a*; νενοθεύσθαι τὰς Κλημεντείους διατάξεις, *adulteratas fuiſſe Clementinas Conſtitutiones.* Balſamon, qui an. D. 1191. floruiſſe perhibetur, in Canonem, ut vocant, Apoſtolorum LXXXV. *b* Σὺ δὲ γίνωσκε (inquit) ὡς εἰ καὶ γέγραπται ἐνταυθοῖ ἀναγινώσκειν ἡμᾶς τὰς διαταγὰς τοῦ Κλήμεντος, πλὴν μὴ δημοσιεύειν αὐτὰς, ἀλλ' ὁ β' κανὼν τῆς ἕκτης συνόδου ἀπηγόρευσε τὴν τούτων ἀνάγνωσιν, διὰ τὸ γενέσθαι παρωμοίησιν ἐν αὐταῖς. *Tu autem intilligas, quod etſi hic ſcriptum eſt, Conſtitutiones Clementis legi à nobis, ſed non devulgari debere, ſecundus tamen ſexta Synodi canon earum lectionem*

a Reſp. 1. c. 13. p. 103.

b p. 279. c.

lectionem prohibuit, quod in eis adulteratio facta ſit. Zonaras de iiſdem Clementis Conſtitutionibus *a*, Αὗται (inquit) παρὰ κακοδόξων τινῶν, ἐνοθεύτησάν τε καὶ παρεφθάρησαν. διὸ καὶ ἀναγινώσκεσθαι ὅλως αὐτὰς ἀπηγόρευσεν ἡ οἰκουμενικὴ ἕκτη σύνοδος. *Ab heterodoxis & ſectariis quibuſdam adulterata & corrupta fuerunt. Quapropter iſtas omnino legi vetuit Oecumenica ſexta Synodus c.* 2. Similia habet Alexius Ariſtenus, interpres ineditus, à Rev. Vſſerio *b* allata: ὁ δεύτερος κανὼν τῆς ἐν τῷ τρούλλῳ γενομένης ἕκτης συνόδου παντελῶς ἀποβάλλεται τὰς τοιαύτας διαταγὰς, διὰ τὸ ἐν αὐταῖς ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων προστεθῆναί τινα νόθα, καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας. *Secundus canon Synodi ſextæ in Trullo habitæ Conſtitutiones haſce omnino rejicit, propterea quod iis nonnulla adulterina ab heterodoxis adjecta fuerint, atque à pietate aliena.* Ergo ſiquis ex Græcis recentioribus, ut Nicetas, Conſtitutionũ authoritate utitur, vel eas in pretio habet, id præter communem ſuæ gentis ſententiam facit, cauſæ fortaſſis adverſus Latinos ſtudio abreptus; quod non pauca ſint in iſtis Conſtitutionibus, quę Gręcis evidenter favent. Neque vetuſtiorũ, qui plurimi apud eos eruditione celebres fuerunt, alia de his ſententia fuiſſe videtur. Photius C P. epiſcopus, vir omnium Gręcorum ſui ſeculi longe eruditiſſimus (floruit autem anno 859. vive-

a *In can. Ap.* 85. *p.* 43. *c.*

b *Diſſertat. de Ignat.*

re deſiit anno 889) de his Apoſtolorum Conſtitutionibus ita ſcribit, quo loco Clementis opera à ſe lecta recenſet *a* : Αἱ δ᾽ ἄγε διαταγαὶ τρισὶ μόνοις δοκοῦσιν ἐν ἔχεσθαι· κακοπλαστίᾳ ἣν οὐ χαλεπὸν ἀποσκευάσασθαι. καὶ ὅτι κατὰ τοῦ δευτερονομίου ὕβρεις τινὰς ἐπαφίησιν, ἃς καὶ ῥᾷστον διαλύσασθαι. καὶ ἔτι ἀρειανισμῷ, ὅπερ ἄν τις καὶ βιαίως διακρούσαιτο. ἡ μέντοί γε τῶν πράξεων βίβλος τῷ τε λαμπρῷ καὶ τῇ σεμνότητι. καὶ ἔτι τῷ καθαρῷ καὶ συντόνῳ καὶ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ τοῦ λόγου καὶ πολυμαθείᾳ τοσοῦτον ἔχει πρὸς τὰς διαταγὰς τὸ παραλλακτὸν, ὡς μηδὲ συγκρίσει τῇ κατὰ τοὺς λόγους πρὸς ἀλλήλας παραβάλλεσθαι τὰς βίβλους. Hactenus Photius: quem vera, ut liquet, videntem, & argumenta, quibus horum librorum falſitas ac vanitas deprehenditur, animadvertentem, cauſæ ut videtur adverſus Latinos ſuæ ſtudium tranſverſum egit, ut ſcriberet, duo priora facile, tertium ægre quidem, ſed tamen & ipſum quoque ſolvi ac dilui poſſe. Nos infra ſingula expendemus, & quæ ſit eorum vis diſpiciemus.

a Bibli Ab. cod. 113. p. 156.

Qui vero annis ante Photii Epiſcopatum 170. vixerunt, Græcę Eccleſię Patres, a. D. 692. in Trullo congregati, exſerte liquidoque adulteratas ab hæreticis Conſtitutiones agnoſcunt, & ab Eccleſiaſticorum librorũ cenſu rejectas, abdicant atque explodunt his verbis *b* , Ταῖς τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ

b Trull. Can. 2. T. 5. Concil. p. 320.

Κλήμεντος διατάξεις πάλαι ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων ἐπὶ λύμῃ τῆς Ἐκκλησίας νόθα τινὰ καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας παρενετέθησαν, τὸ εὐπρεπὲς κάλλος τῶν θείων δογμάτων ἡμῖν ἀμαυρώσαντα, τὴν τῶν τοιούτων διατάξεων προσφόρως ἀποβολὴν πεποιήμεθα πρὸς τὴν τοῦ χριστιανικωτάτου ποιμνίου οἰκοδομὴν καὶ ἀσφάλειαν, οὐδαμῶς ἐγκρίνοντες τὰ τῆς αἱρετικῆς ψευδολογίας κυήματα, καὶ τῇ γνησίᾳ τῶν ἀποστόλων καὶ ὁλοκλήρῳ διδαχῇ παρενείροντες. *His Apoſtolorum per Clementem Conſtitutionibus jam olim ab iis qui à fide aliena ſentiunt, ad Labem Eccleſiæ aſpergendam, adulterina quædam & à pietate aliena introducta ſunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem at decoram ſpeciem obſcurarunt, has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem conducibiliter* REIECIMUS, *hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes.* En, ut à veteribus Græcis magnificiant hæ Pſeudodiataxes: qui eas exſertè rejiciunt, & extra Eccleſiaſticorum Scriptorum ordinem eſſe jubent! Hic vero mirari ſubit Nicetæ Pectorati; & aliorum ſiqui ſint ex recentibus Græcis, temeritatem atque impudentiam: qui quas ipſorum Patres in celeberrima hac & apud eos receptiſſima Synodo Trullana, tam aperte rejiciunt

jiciunt Clementis Conſtitutiones, ipſi laudant, atque exoſculantur, & Latinis velut legitima ac Canonica Apoſtolorum opera objectare non verentur. Nimirum unum cauſæ adverſus Latinos ſtudium eorum animos ſic excæcavit, ut Patrum alioqui ſcitis addictiſſimi, hic ea ſecurè negligant; & quæcunque fors obtulit, ea nullo diſcrimine in adverſarios mittant. Hæc Humbertus Nicetæ Diataxes ſibi objectanti reponere poterat; & feciſſet haud dubie, ſi diſputanti hic Trullanæ Synodi canon in mentem veniſſet.

Jam totis tribus ſeculis, que a quarto ſeculo jam affecto ad Trullanam Synodum fluxere, nemo Grecorum Patrum occurrit, qui Clementinas illas Conſtitutiones aliqua cum laude vel nominaverit, ſi unum Epiphanium, qui a. D. 375. ſcripſiſſe perhibetur, exceperis. Is ſane hujus operis aliquoties meminit. Nam hæreſi XLV. hec habet a: Ἀλλὰ καὶ οἱ Ἀπόστολοι φασὶν ἐν τῇ Διατάξει τῇ καλουμένῃ, ὅτι φυτεία Θεοῦ καὶ ἀμπελὼν ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία. *Quin & Apoſtoli in eo libro, qui* Διάταξις, *hoc eſt Conſtitutio vocatur, Dei ſtirpem ac vineam eſſe Catholicam Eccleſiam produnt.* Hæc autem verba etiam in noſtris, hoc eſt noſtro tempore vulgatis Conſtitutionibus, in ipſo operis limine occur-

a §. 2. p. 390. a.

occurrunt *a*; Θεοῦ φυτεία ἡ καθολικὴ Ἐκκλη- a *Conſt. l.*
σία καὶ ἀμπελὼν αὐτοῦ ἐκλεκτός. Meminit & *1. c. 1.*
alibi contra Meſſalianos diſputans *b*; περὶ *init.*
μὲν οὖν τοῦ γενείου (inquit) ἐν ταῖς διατάξεσι τῶν b *hær. 80.*
Ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ δι- *§. 7. p.*
δασκαλία, μὴ φθείρειν· τουτέστι μὴ τέμνειν *1075. c.*
τρίχας γενείου, μηδὲ ἑταιρισμῷ κατακοσμεῖ-
σθαι, μηδὲ ὑπερηφανίας ὑπόδειγμα δικαιο-
σύνης τὴν προσέλευσιν ἔχειν. *Atqui quod ad
barbam attinet, in Apoſtolorum Conſtitu-
tionibus divino ſermone ac dogmate præ-
ſcribitur, ne ea corrumpatur; hoc eſt, ne
barba ponatur neve meretricius cultus &
ornatus uſurpetur; ac ne per arrogantiam
& faſtum affectata quadam juſtitiæ ſpecies
in congreſſu, ac conſuetudine præferatur.*
Hæc Epiphanius; quorum aliquid ſimile
etiam hodie in vulgatis Conſtitutionibus
legitur; quo loco poſtquam nimium ca-
pillorum cultum, totiuſque veſtis impen-
ſiorem ornatum viris author ille prohibuit,
eaque omnia ἑταιρισμοῦ τεκμήρια ὑπάρχειν,
meretriciæ conſuetudinis indicia eſſe di-
xit *c*, mox hæc quoque de barba adjicit; c *l. 1.*
χρὴ δὲ οὐδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν *Conſt.*
μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάσσειν. *c. 3.*
*Sed neque barbam corrumpere decet, neque
formam hominis contra naturam immuta-
re.* Alibi contra Aerium de Paſchate di- d *Hær.*
ſputans *a*; Εἰ δὲ καὶ χρὴ (inquit) τὸ τῆς δια- *75. §. 6.*
p. 910. b. c

τάξεως

τάξεως τῶν Αποςόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὡείζοιτο τετράδα, καὶ προσάββατον νηςείαν διὰ παντὸς, χωεὶς Πεντηκοςῆς; καὶ περὶ τῶν ἓξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα, πῶς παραγγέλλουσι, μηδὲν ὅλως λαμβάνειν, ἢ ἄρτου, καὶ ἁλὸς, καὶ ὕδατος; ποίαν τε ἡμέραν ἄγειν, πῶς τε ἀπολύειν ἐς ἐπιφώσκουσαν κυριακὴν, φανερόν ἐςι. *Quod ſi ex Apoſtolorum Conſtitutione repetenda nobis authoritas eſt, cur illis quarta ſextaque feria jejunium perpetua lege ſancitur, excepta Pentecoſte? Cur ſex Paſchatis diebus nihil omnino ad cibum præter panem, ſalem & aquam adhibendum difiniunt? Quamnam verò celebrari diem, & in illuceſcentem Dominicam dimittere præcipiant, nemini eſſe poteſt obſcurum.* Hæc autem de quartæ ſextæque feriarum jejunio, deque Paſchatis hebdomadis Xerophagiis decreta, etiam in noſtris hodie Conſtitutionibus leguntur libro quinto, capitibus XIV. & XVII *a*. Sed inſignis præ cæteris eſt Epiphanii de Conſtitutionibus locus in hæreſi Audianorum, quos ait ſuum de Paſchate cum Judæis celebrando errorem ex Apoſtolorum Conſtitutionibus confirmaſſe: Εἰς τοῦτο δὲ (inquit*) οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ παραφέρουσι τὴν τῶν Αποςόλων διάταξιν, οὖσαν μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον. πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίςεως,

a Apud Bovium 16. & 19.

b Hær. 70. §. 10. p. 822. A.

πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως, καὶ κανόνος, καὶ πίστεως· τὸ δὲ ῥητὸν ἀφ' οὗ λαμβάνοντες περὶ τοῦ πάσχα κακῶς παρερμηνεύουσιν οἱ προειρημένοι, καὶ ἀγνοοῦντες ἑτέρως ὑπολαμβάνουσιν. Ὁρίζουσι γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ διατάξει οἱ Ἀπόστολοι, ὅτι ὑμεῖς μὴ ψηφίζητε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε. *Audiani verò ad inſtitutum ſuum quandam ex Apoſtolorum Conſtitutione authoritatem accommodant; qui liber tametſi dubia apud multos* (τοῖς πολλοῖς, *non apud nonnullos*, quod habet Petavius) *fidei ſit, non eſt tamen improbandus. Nam in eo quæ ad diſciplinam Eccleſiæ attinent omnia comprehenduntur; neque quicquam aut in fide ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi, ac decretis contrarium continent. Sed quod ad locum illum attinet, unde ſuam de Paſchate ſententiam affirmare conantur, hunc illi perperam interpretantur, & ad alienum ſenſum per inſcitiam traducunt. Etenim Apoſtoli in illa Conſtitutione ita definiunt; Vos, inquiunt, temporum rationes ne ſubducite; ſed eo tempore celebrate, quo fratres veſtri, qui ex Circumciſione prodierunt. Cum iis itaque Paſcha peragite.* Tum narrat Epiphanius poſt illam Apoſtolorum de Paſchate Conſtitutionem, quindecim ſe-

diſſe

diſſe Hieroſolymis è Circumciſione Epiſcopos; *quorum authoritatem omnis* (inquit) *Chriſtianus orbis ſequi, & cum illis celebrare Paſcha debuit; una ut omnium concordia, una profeſſio, una celebritatis obeundæ ratio ac conſuetudo firmaretur.* Quin & ait, Apoſtolos ipſos in illa ſua Conſtitutione præcepiſſe, ut etiam errantes in Paſchatis celebratione Hieroſolymitanos cæteri Chriſtiani nihiloſecius ſequerentur: ὅτι κἄντε πλανηθῶσι (inquiunt) μηδὲν ὑμῖν μηλέτω, *quamvis aberrent ipſi, nihil id vos commoveat.* Nunc ex his Epiphanianis duo ſunt obſervanda, quorum hoc quidem prius eſt, eas, quæ Apoſtolorum nomine tunc extabant, Conſtitutiones, diverſas ab iis fuiſſe, & quæ nunc circumferuntur, & quæ Trullanorum Patrum tempore proſtabant. Illæ enim Epiphanianæ Apoſtolorum Conſtitutiones, *nihil aut in fide, ac Catholica profeſſione, depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi ac decretis contrarium continebant.* Contra vero, iis, quæ ſua memoria vulgo habebantur, Conſtitutionibus Trullani Patres affirmant, *jam olim ab heterodoxis adulterina quædam & à pietate aliena inducta eſſe, quæ divinorum decretorum elegantem ac decoram ſpeciem obſcurarent.* Photius vero eas itidem, quas legerat, Conſtitutiones Arianiſmi

niſmi purgari vix, ac ne vix quidem, poſſe, confitetur: quæ omnia iis quoque, quæ nunc circumferuntur, convenire, & liquet, & nos poſtea demonſtrabimus: ut eas veriſimillimum ſit plane eaſdem cum illis eſſe, quas & Photius, & ante ipſum, Trullani Patres viderant; Utraſque autem ab Epiphanianis diverſas eſſe, ex his, ut omnes intelligunt, neceſſe eſt. Sed & alio argumento, quod tum à Cardinali Perronio, tum etiam à Dionyſio Petavio obſervatum eſt, clariſſime probatur, noſtras ab iis, quæ ab Epiphanio commemorantur, diverſas eſſe. Nimirum quæ ex ſuis laudat, ac deſcribit hoc loco Epiphanius, ea nuſquam in noſtris occurrunt; *Imo vero* (inquit Petavius) *contraria quædam in iis leguntur.* Duas jam ex Epiphanio contra Audianos Conſtitutionum ſententias exhibuimus; Apud eundem & hoc & ſequenti numero hæ quoq; velut ex iiſdem allatæ leguntur; hæc quidem *τὴν ἀγρυπνίαν φέρειν μεσαζόντων τῶν ἀζύμων*, *medio azymorum tempore pervigilia obeunda.* Numero vero ſequenti, *a* hæ; Ὅταν ἐκεῖνοι (οἱ Ἰουδαῖοι) εὐωχῶνται, ὑμεῖς νηστεύοντες ὑπὲρ αὐτῶν πενθεῖτε, ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς τὸν Χριστὸν ἐσταύρωσαν. καὶ ὅταν αὐτοὶ πενθῶσι τὰ ἄζυμα ἐσθίοντες ἐν πικρίσιν, ὑμεῖς εὐωχεῖσθε. *Dum epulantur illi,* (Iudæi) *vos jejunantes*

a ut ſupr. §. 11. p. 823. c. d.

pro iis lugete, quoniam feſto illo die Chriſtum in crucem ſuſtulerunt. Cumque illi lugentes azymis, & lactucis agreſtibus veſcantur, vos epulamini. Mox & hęc ex Diataxi affert Epiphanius : ὅτι ὁ κακῶν ἑαυτοῦ τὴν ψυχὴν ἐν Κυριακῇ, ἐπικατάρατός ἐστι τῷ Θεῷ, *Qui afflixerit animam ſuam Dominica die, maledictus eſt Deo.* Hæ ergo quinq; ſententiæ, quæ in Epiphanianis Conſtitutionibus extabant, nuſquam in noſtris hodie leguntur : imò vero quædam in iis leguntur, quæ cum prima & ſecunda ex illis ſententiis obverſa fronte pugnare videntur. Statuebant enim duæ illæ ſententiæ, cum iis Chriſtianis, qui ex circumciſione Hieroſolymis erant, paſcha celebrandum, adeoque cum Judæis, quorum illi diem celebrabant. Atqui plane contra ſciſcunt hodiernæ Conſtitutiones a : Μηκέτι δὲ παρατηρούμενοι μετ' Ἰουδαίων ἑορτάζειν· οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς. *Neque amplius cum Iudæis tempus celebrandi Paſcha obſervetis. Nulla enim nobis nunc cum eis communio eſt. Hæc ſi in antiquis illis Conſtitutionibus legebantur, mirum eſt* (inquit Petavius) *hoc tam præſenti ac diſerto teſtimonio uſum non eſſe contra Audianos Epiphanium; qui Iudæorum more celebrandum Paſcha iiſdem ex Conſtitutionibus affirmabant.* Ex quibus concludit, *aliud tum fuiſſe Conſti-*

a L. 5. c. 17. Bov. 18.

Conſtitutionum genus, quam quibus hodie Clementis nomen inſcribitur. Unde porro manifeſtum eſt, nihil ad hodiernas Conſtitutiones ea pertinere, quæ de ſuis illis Conſtitutionibus hic ait Epiphanius: quæ ſcilicet aliæ, quam noſtræ erant; fruſtraque eſſe Bovium *a*, qui hunc unum ferè Epiphanii locum omnibus iis objicit, quæ contra Conſtitutionum authoritatem afferuntur. Præterea Apoſtolicæ Epiphanii Διαταγαὶ quarta, ſextaque feria, & Dominica Synaxes fieri præcipiebant. Tradit enim Epiphanius *b* primo quidē in genere de quarta ſextaque feria *accurate* in eo opere *ſcripſiſſe Apoſtolos*; tum alibi hæc diſerte habet; *συνάξεις δὲ* (inquit *c*) *ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαί εἰσιν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, καὶ Κυριακῇ. Sacri porro conventus & Synaxes ab Apoſtolis inſtituti ſunt his diebus, quarta, ſextaque feria, & Dominica.* Noſtræ vero, id eſt Bovianæ Conſtitutiones, nihil hujuſmodi continent; Dominicam quidem una cum iſtis ſacris ſynaxibus dicant; cætera vero omnia diverſa ſunt. Nam conventibus Eccleſiaſticis ſabbatum conſecrant *d* (de quo nihil Epiphaniani Apoſtoli) & quam hi in eum uſum deſtinabant, quartam ſextamque feriam, illi utramque jejunio determinant *e*; de ſynaxibus utraque illa feria faciendis, ne

a *Præfat. in Conſt.*

b *Hær.* 75.

c *Expoſit. fidei.* §. 22. *in fine Panarii. p.* 1104. *c.*

d *l.* 5. *c.* 20. *extr.* & *l.* 8. *c.* 33.

e *L.* 5. *c.* 14. & *l.* 7. *c.* 24.

unum quidem μῦ ſcribunt. Unde liquet (ut hoc obiter dicam) quam falſo, quamq; inverecunde ſcripſerit Turrianus *a*, *tales habere noſtram ætatem Apoſtolorum Conſtitutiones, ſanas ſcilicet & incorruptas, quales Epiphanii ætas habuit*. Sed & illud ſecundo obſervandum eſt, ne ipſas quidem Epiphanianas Diataxes hinc effici veras fuiſſe, vel pro Apoſtolicis ab illorum temporum Eccleſia habitas; nedum ut noſtrarum, quæ ab illis omnino diverſæ ſunt, authoritas ex hoc loco conſtitui poſſit. Fatetur ipſe Epiphanius, diſertéque teſtatur, hanc à ſe memoratam, ab Audianis uſurpatam Διάταξιν, id eſt, interprete Petavio, conſtitutionis, ſive Conſtitutionum librum, fuiſſe τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, *dubiæ apud multos fidei*, controverſæque authoritatis. Ergo vel ex ipſo conſtat, non fuiſſe à Græca illius temporis (hoc eſt ſæculi à Chriſto in terris nato quarti jam adulti) Eccleſia publice receptam Conſtitutionum iſtarum, qualeſcunque de cætero fuerint, ſcripturam; ſed contra vulgo, & à compluribus rejectam, tanquam dubiam & incertam. Quod vel unum ſatis eſt ad convellendam omnem iſtius operis in rebus ad fidem pertinentibus authoritatem. Quis enim pro veris ac genuinis Apoſtolorum libris nunc ſibi obtrudi

a In proœmio verſionis latinæ.

trudi patiatur, quos multos quidem quarti ſæculi Chriſtianos in Eccleſia Græca velut ſpurios & ſuppoſititios abjeciſſe conſtat? ullos pro veris habuiſſe non conſtat? Epiphanium quidem eos tribus quatuorve locis uſurpaſſe concedo; eo fieri, ut pro vere Apoſtolicis habuerit, nego. Hoc quidem contra Audianos loco, qui omnium eſt luculentiſſimus, Conſtitutionum opus negat eſſe ἀδόκιμον, *reprobum*, ſive *reprobatum*, hoc eſt, ut ego quidem interpretor, publico Eccleſię decreto rejectum & exploſum. Laudat item, quod in *eo contineretur omnis ordo canonicus, nihil ineſſet vel à fide vel à diſciplina Eccleſiæ alienum.* At non ideo fit, ut libros à Clemente verè ſcriptos, vereque ab Apoſtolis inſtituta dictataque, quęcunque in illis narrantur, fuiſſe crediderit. Multis enim libris nihil ineſt vel à fide, vel à diſciplina Eccleſiæ alienum, quos non idcirco dixeris vel Clementinos, vel Apoſtolicos. Omnino videtur Epiphanius ſenſiſſe, illas Apoſtolorum nomine tum vulgatas Diataxes boni & Catholici viri opus eſſe non inutile; iiſque ſincere explicatam eſſe Eccleſiæ fidem, ac diſciplinam; Ut à Clemente ſcriptas, & ab ipſis Apoſtolis dictatas crediderit, nihil ſane cogit. Contrarium ſuadet, quod idem alibi de hujus, quem citaverat, libri autho-

a *Hær.* 75. §. 6. p. 910. c.

ribus, ut videtur, loquens, eos ait *a*, πρὸ ἡμῶν μάρτυρας γεγονέναι, ἔχοντας πρὸ ἡμῶν τὴν παράδοσιν ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τούτους παρειληφότας παρὰ τῶν αὐτῶν πατέρων, τῶν τὲ αὐτῶν πατέρων πάλιν μεμαθηκότων παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν γεγονότων, *ante nos teſtes extitiſſe, habentes ante nos traditionem in Eccleſia, quam & ipſi à parentibus ſuis acceperant, & ipſorum parentes à majoribus ſuis didicerant.* Hæc profecto neque Apoſtolis, neque Clementi ipſi conveniunt; qui quæ in Eccleſia inſtituerunt, non à parentibus, vel ab avis, ſed Apoſtoli quidem à Chriſto, Clemens vero ab Apoſtolis, acceperant. Sed concedamus tamen, vel certe donemus, fuiſſe in ea ſententia Epiphanium, ut exiſtimaverit, ſuarum illarum Diataxeon verè authores, ſcriptoreſque fuiſſe Apoſtolos; quorum nomen præferebant; non ideo confeceris, vel id verum eſſe, vel ſaltem idem ſenſiſſe Græcam illius temporis Eccleſiam. Ipſe tradit, multos de illo Conſtitutionum opere dubitaſſe. Si authores numeres, iniquum eſt unum multis præferri. Si ſententias expendas, haud obſcurum eſt, illos plures merito de hoc opere dubitaſſe; Epiphanium ſequiora hic, ut ſæpe alibi ſecutum; ſive judicii infirmitate, quadamque naturæ ſimplicitate, ac facilitate, ſive rerum veterum ignoratione dece-

deceptum, ſive denique, quod rem minus attente, neq; ea qua par erat diligentia conſideraſſet; quod illi haud paucis locis accidit. Quæſo enim ea ipſa quæ ille ex iſtis, quæ tum circumferebantur, Conſtitutionibus attulit, pauliſper intueamur, ac expendamus, an talia ſint, quæ Apoſtolorum nomen tueri & ſuſtinere poſſint. Facile deprehendemus, nihil pæne in iis ipſis reperiri, quod non Epiphanium fraudis monere debuerit; docereque, nunquam iſta ab Apoſtolis, quorum nomen mentiebantur, fuiſſe profecta. Quale eſt, verbi gratia, quod iſte Audianis concedit, fuiſſe ab Apoſtolis ex iſto Diataxeon volumine decretum, ac conſtitutum de Paſchate cum iis, qui ex circumciſione erant, celebrando? Audi Petavium de eo ipſo cum Epiphanio ſuo haud ſane timide, ſed ut ſolet, libere ac fortiter litigantem; *Falſum eſt* (inquit a) *decreviſſe unquam Apoſtolos, ut Judaico ritu Paſcha celebraretur; aut cum iis etiam Chriſtianis, atque Epiſcopis, qui Iudaice, ac minime legitimo tempore fungerentur. Quæ enim eſt iſta ratio: aut quid in mentem Epiphanio venit, ut ab Apoſtolis conſtitutum iſtud aſſereret; oportere Chriſtianos omnes ac τ̃ πάντα κόσμον cum recutitis Paſcha facere? Nimis hoc abſurdum decretum fuiſſet. Non negamus aliquot ſaltem Apo-*

a *Not. ad hær.* 70. *ad num.* 10. *p.* 291.

ſtolos initio ad Judæorum ſe tempus accommodaſſe: quod de Joanne Polycarpus, & Polycrates, Aſiaticique omnes contra Romanos Pontifices excipere ſolebant; ut Euſebius, aliique veteres teſtantur. Verum id ulla Conſtitutione definitum ab Apoſtolis, negamus omnino. Quin potius contrarium ab iiſdem illis conſtat fuiſſe traditum. Cujus παραδόσεως meminit Euſebius L. V. hiſt. C. XXIII. Nam cum dixiſſet Aſianos ἐκ παραδόσεως ἀρχαίας XIV luna Judaico more Paſcha peregiſſe, ὁποίᾳ δ᾽ ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, Subdit mox, in cæteris omnibus per orbem Eccleſiis ἐξ Ἀποστολικῆς παραδόσεως contrariam fuiſſe conſuetudinem. Hactenus Petavius: cui ſi credis, vel una hæc de Paſchate Conſtitutio, plane penituſque ab Apoſtolis aliena, perſuadere debuit Epiphanio, nihil minus quam Apoſtolicum eſſe eum codicem, qui leges ferret adeo abſurdas, & à veritate omni abhorrentes. Atque ego quidem doctiſſimo Ieſuitæ libens aſſentior, nunquam decretum præceptumve fuiſſe à Domini Chriſti Apoſtolis, ut Paſcha Chriſtiani una cum Iudæis celebrarent; Id enim & ab Euangelii ingenio, & ab omni primæ Eccleſiæ hiſtoria vehementer alienum eſt. Illud quod addit *traditum fuiſſe ab Apoſtolis,* ut aliter Chriſtiani Paſcha celebrarent, eo

nimirum

nimirum more rituque: quem Victor Romæ Epiſcopus obtinere voluit, quique diu poſtea ex Nicęnæ Synodi authoritate pene apud omnes receptus eſt; id, inquam, neque ipſe ſane, neq; quiſquam alius facile mihi perſuaſerit. Verius cum Socrate *a* & Nicephoro *b* putaverim, neque Chriſtum, neque Apoſtolos quicquam περὶ ταύτης νομοθετῆσαι τῆς ἑορτῆς, *de hoc feſto lege conſtituiſſe*: ejus ut cęterorum feſtorum obſervationem homines ſponte ſumpſiſſe, uſuque ſuo paulatim confirmaſſe; eoque factum eſſe, ut diverſa apud diverſos ejus celebratio eſſet: unde porro exorta eſt gravis illa inter Aſiaticos, & cæteros, controverſia, dum quiſque morem à ſuis acceptum retinet, & diverſo aliorum ritui præferendum putat. Quo ſenſu interpretanda eſt illa & ἀρχαίας & Αποστολικῆς παραδόσεως vox apud Euſebium, ex contendentium mente, non ex rei ipſius veritate. Nimirum & ſuam Aſiatici *veterem*, & ſuam alii Αποστολικὴν traditionem vocabant; & videntur Aſiatici ſuam Apoſtolicam quoque, perinde ut alii, jactaſſe. Certe qui eorum cauſam apud Euſebium agit Polycrates, Apoſtolorum quoque exemplis nititur, *Philippi* ſcilicet & *Joannis*. Sed hæc obiter. Redeo ad Epiphanium, qui ſi mentem intendere, & ad res ante ſe in Eccleſia

a *hiſt. l.* 5. *c.* 22.
b *l.* 12. *c.* 32. *extr.*

geſtas animum paulo diligentius advertere voluiſſet, dubitare non potuit, quin plane ἀδόκιμος, falſa ac adulterina eſſet illa Conſtitutio, quæ ab Audianis Apoſtolorum nomine laudabatur. Is enim ignorare non potuit, quod eſt in veteri primæ Eccleſiæ hiſtoria teſtatiſſimum, Paſcha aliter, atque aliter celebraſſe vetuſtiſſimos ſecundi ſæculi Chriſtianos; Aſianos *a* quidem cum Iudæis, quarta decima luna, in quamcunque hebdomadis feriam incideret; aliter cæteros, qui alia quam Dominica die ſolvere jejunia abſurdum & indecorum putabant. Neque inter plebes, aut plebeios tantum, verum etiam inter ſpectatiſſimos, probatiſſimoſque Epiſcopos, id obſervationis diſcrimen locum habuiſſe; quales, verbi gratia, fuere Polycarpus & Anicetus, ille Smyrnæ, hic Romæ Epiſcopus. Cum enim Polycarpus Romam veniſſet, & Anicetum, qui tum urbis Eccleſiæ præerat, officii cauſa inviſiſſet circa ſecundi à Chriſto nato ſæculi annum 60 (præfuit enim Anicetus circiter hæc tempora) amantiſſimus quidem, ac ſuaviſſimus, Chriſtianæque charitatis plenus fuit ſummorum præſtantiſſimorumque virorum congreſſus: cæterum neque Anicetus Polycarpo perſuadere potuit, ut à ſervato hactenus Aſiaticorum in Paſchate celebrando uſu diſcede-

a *Euſeb. hiſt. l. 5. c. 23.*

cederet; neque Polycarpus Aniceto, ut acceptam à ſuis deceſſoribus conſuetudinem mutaret. Sed omnis illa contentio intra verba ſtetit, & quidem amiciſſima; neutro ſe à fratris communione ob hanc ritus diverſitatem abrumpente, aut rejiciente, ut eſt ab Euſebio *a* ex pręclara quadam Irenæi ad Victorem urbis Epiſcopum epiſtola traditum. Neque tu hos ſolos fuiſſe putes qui diſſenſerint. Utrumque & viri ſanctiſſimi, & Eccleſiæ multæ magnæque magno ſtudio ſequebantur. Iam dic mihi, Epiphani, ſi quod tu vis, Apoſtoli totam hanc litem ſuo decreto ab ipſis Chriſtianiſmi incunabulis definiverant; ſi legem qua quid eſſet agendum, clare exſerteque edixerant, vel Clemens, vel ipſi in publicas tabulas relatam Eccleſiæ tradiderant; putas-ne fieri potuiſſe, ut eam viri excellentiſſimi, ævo Apoſtolico proximi, adhęc incomparabilis in rem Chriſtianam zeli, & quidem hujuſmodi, qui plerique martyrio poſtea functi ſunt, vel ignorarent, vel cognitam negligerent? Anicetus ſcilicet, & Irenæus, & omnes, quod ait Euſebius, pręter Aſiaticos, Chriſtiani, vel quid ſtatuiſſent Apoſtoli, nuper è terris ad ſuperos tranſlati, neſcierunt; vel quod ab iis decretum ſciebant, contemſerunt! Sed Epiphanius, multo etiam in Victorem, quam

a Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 26.

Digitized by Google

quam in cæteros, contumelioſior eſt; quem fingit Apoſtolicę legis uſq; adeo vel ignarũ, vel deſpectorem fuiſſe, ut non modo eam ipſe, quod majores quoque peccaverant, calcare & negligere auderet; ſed ultra etiam provectus, Aſiaticos, quod eam accurate arcteque ſervarent, pulſandos & excommunicandos putaret. Scilicet Apoſtolicus præſul, vir ſpiritus in martyrium ſuffecturi, fratres Apoſtolis obſequentes ferre non potuit! & ſumma apud Eccleſias pœna dignos cenſuit, qui legem ab Apoſtolis latam, à ſuo Clemente ſcriptam ac publicatam, religioſe ſervaſſent! Sed ut Victorem impium; ita & Polycarpum, & Polycratem, alioſque Aſiaticos ſtultos ac bardos facit hæc Epiphanii hypotheſis. Nam ſi, quod hic ſtatuit, Apoſtolorum lex ſcripta extabat, diſertis verbis edicens Paſcha cum Iudæis celebrandum; illos ſane ſtultiſſimos fuiſſe neceſſe eſt, qui de hoc à Romanis pulſati non ſuum illis Clementem ſtatim regeſſerunt, Apoſtolorumque traditas ab eo leges in medium attulerunt. Obvia hæc erat, facilis, ac expedita iſtorum defenſio, *Se id ſequi, quod Apoſtoli, unî noſtræ diſciplinæ duces, non modo fecerant, ſed & aliis lata lege faciendum edixerant, quodq; ipſe Clemens Romanorum antiquiſſimus ac laudatiſſimus Epiſcopus, ab Apo-*

ſtolis

ſtolis præceptum teſtaretur; ſe adeo inſontes, qui legi Apoſtolicæ obſequantur; Romanos, qui accuſant, reos manifeſtoſq; gravis criminis eſſe, qui & ab Apoſtolis latam, & à ſuo authore deſcriptam legem ſpernant. Atqui his, quæ etiam infans ad Aſiaticorum cauſam defendendam dicturus fuit, non Polycarpus apud Anicetum, non Polycrates apud Victorem uſus fuit. Uterque Ioannem & alios Apoſtòlos ita obſervaſſe ait: neuter lege lata præcepiſſe memorat. Utriuſq; enim extat apud Irenæum defenſio; in qua Polycarpus ſimpliciter ac in genere cauſatur, ſe Paſcha ita obſervare *a*, μετὰ a Euſeb.
Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοι- hiſt. l. 5.
πῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιέτριψεν, *cum Ioan-* c. 26.
ne Domini noſtri diſcipulo, & reliquis Apoſtolis, quibuſcum converſatus erat. Polycrates *b* vero, Epheſi Epiſcopus, eadem la- b Ibid. c.
tius exſequitur; Ut ipſe & Aſiatici obſer- 24.
vabant, ita quoque Philippum obſervaſſe, unum ex duodecim; ita obſervaſſe tres Philippi filias virgines, ſingularis ſanctimoniæ fœminas: ita obſervaſſe & Joan. Apoſtolum, & Polycarpum Smyrnæ Epiſcopū, Chriſti martyrē, & Thraſeam de Eumenia Epiſcopum itidem & Martyrem, & Sagarim ejuſdem dignitatis ac gloriæ virum, & beatum Papyrium, & Melitonem Sardenſem: quæ apud Hieronymum quoque habentur

bentur *a*. Horum omnium Aſiani uſum, nullius ſcriptam legem afferunt. Ergo nulla fuit quam afferrent, quam utique non erant omiſſuri, ſi fuiſſet aliqua. Ergo non Apoſtolorum, quod Epiphanius temere credidiſſe videtur, ſed impoſtorum fuit illa ab Audianis objecta pro ſuo errore Διάταξις. Quid illam alteram dicam, quam ibidẽ paulo poſt recitat Epiphanius *b*, *Qui afflixerit animam ſuam*, hoc eſt, qui jejunaverit *Dominica die, maledictus eſt Deo?* Ego vero miror, ac, ut mihi quidem videtur, merito indignor, putaſſe Epiphanium tam ſtultam, tamque ab Euangelicæ doctrinæ genio alienam vocem ſanctiſſimis Chriſti Apoſtolis excidere potuiſſe. Illine, qui paſſim dierum diſcrimina, planetariamque iſtam omnem certis temporibus affixorum rituum religionem ſuſtulerunt, nunc repente mutati diris devovent, qui una ex hebdomadis feriis jejunaverit? Abſit, ut cordatiſſimos viros tam pueriliter, mitiſſimos ac manſuetiſſimos tam atrociter ac immaniter de hominum factis judicaſſe, credamus. Atqui (ſiqua Hieronymo, viro & doctiſſimo, & Epiphanii amiciſſimo fides *c*) etiam *Apoſtolus Paulus, & cum eo credentes, diebus Pentecoſtes, & die Dominico jejunarunt*; idque *in Actibus Apoſtolorum*, haud paulo graviori libro,

a *De Scr. Eccl. c. 45. in Polycr.*

b *Hær. 70 Audian.*

c *Ep. 28. ad Lucin. Bæt. T. 1. fol. 69. b.*

bro, quam Conſtitutionum, *legitur*. Ergo-ne Paulus, ergo-ne ejus comites & diſcipuli ἐπικατάρατοι τῷ Θεῷ; Sane, ſi valet Epiphaniana Conſtitutio. Pereat vero quantumcunque eſt Clementinarum Conſtitutionum, potiusquam tantum nefas vel in mentem vel in aures admittamus. Non devoverunt, non damnarunt Chriſti Apoſtoli quod fecit Paulus; quod fecerunt Pauli exemplo ejus comites. Hi autem die Dominico jejunarunt. Non ergo vere Dominici, ſed ſtraminei, fictitiique Apoſtoli ſunt, qui maledictum Deo pronunciant, ſiquis die Dominica jejunaverit. Certe ne Bellarminus *a* quidem, quantumvis alioqui & Lunæ & Soli & diebus & elementis cum ſuis affixus, docet, nefas eſſe Dominico jejunare; ſed quæ à Patribus in hunc ſenſum dicta videri poſſunt, ea ipſe emollit, variiſque adhibitis diſtinctionibus, ac cautionibus, interpretatur. Itaque vel ex hoc abſurdo, ridiculoque decreto & nos diſcimus, & diſcere potuit Epiphanius, non fuiſſe Apoſtolicas illas, quæ ab Audianis obtrudebantur, Διατάξεις. Ejuſdem eſt farinæ, quod alibi, ut ſupra diximus, recitat ex eodem codice decretum *b*, quo *quartæ ſextæque feriæ jejunium perpetua lege ſancitur, excepta Pentecoſte*. Item illud aliud, quo *definitur ſex Paſcha-*

a *L. 2. de bon. op. in part. c. 23. §.* Sed illud.

b *Hær. 75. §. 6. p. 910. b. c.*

Paſchatis diebus nihil omnino ad cibum præter panem ſalem & aquam adhibendum. Scio, libenſque confiteor, hos jejuniorum & Xerophagiarum per illos dies ritus veteres fuiſſe, & multis ante Epiphanium annis receptos: ab Apoſtolis fuiſſe traditos, vel, quod gravius etiam eſt, certa & inviolabili, eaque ſcripta lege præceptos, ne hodierni quidem Romanæ communionis Theologi dixerint; apud quos neque quartæ feriæ jejunium, neque ſevera illa antepaſchalis hebdomadis Xerophagia vel omnibus præcipitur, vel in publico, communive multorum uſu eſt; ut ipſos fateri neceſſe ſit, vel ſpuriam falſamque eſſe hanc, quæ iſta præcipit, Epiphanianam Διάταξιν, vel certè ſe ſuoſque Pontifices à multis jam ſæculis ſpretæ violatæque Apoſtolicæ diſciplinæ reos. Sed illi quidem viderint. Certe ex primævę atque Apoſtolis proximę Eccleſiæ monumentis diſcere, explorateque ac certo cognoſcere & nobis nunc licet, & Epiphanio olim eo etiam facilius, quam nobis, licuit, quo propius à veri fontibus abfuit, nihil unquam hujuſmodi præcepiſſe Apoſtolos; falſam proinde, & Apoſtolis impudenter affictam eſſe eam, quæ iſta edicit, Conſtitutionem. Quod, quia eædem leges in noſtris quoque Conſtitutionibus habentur, infra, cúm de iis dicendum erit,

clariſſimè

Digitized by Google

clariſſimè demonſtraturos nos confidimus; ut nihil nunc quidem neceſſe ſit in eo probando immorari. Poſtremò ultimam illam, quam ab Epiphanio Apoſtolis quoque tribui diximus, de triplici totidem dierum (quartæ, ſextæque feriæ, & Dominicæ) ſynaxi, Conſtitutionem, ne ipſe quidem Petavius veram eſſe credit; *Haud ſcio* (inquit) *an ea ſatis certo conſtare queat. Nam primis Eccleſiæ temporibus unus duntaxat Dominicus dies ad eam rem obſervatus videtur; ut ex Apoſtolo. 1. Cor. 16. colligitur. Quin etiam Iuſtinus Martyr. Apol. 2. cum de Chriſtianorum conventibus agit, ſolius Dominicæ meminit. Quare magis id ex privato Eccleſiæ cujuſque ritu, quam ex communi Apoſtolorum præſcripto, derivatum exiſtimo, ut quarta ſextave feria, aut etiam ſabbato, ſynaxes, conventuſque fierent. Quam in rem egregius eſt Auguſtini locus ep. 118. qui mihi hic adſcribendus videtur.* Alia vero *(inquit)* quæ per loca terrarum regioneſque variantur; ſicuti eſt, quod alii jejunant ſabbato, alii verò non; alii quotidie communicant corpori, & ſanguini Domini; alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi ſabbato tantum & Dominico; alibi tantum Dominico; & ſiquid aliud hujuſmodi animadverti poteſt, totum

hoc genus rerum liberas habet obſervationes. Hactenus Petavius, Epiphanianorum Apoſtolorum de triplici ſynaxi Διάταξιν, & merito ſane, repudians, & egregie ex Auguſtino confutans. Itaque cum & ex iis, quę hactenus diximus, ſatis conſtet, & ex iis porro quæ infra adjiciemus, clarius futurum ſit, Epiphanianas ipſas Conſtitutiones falſas, & Apoſtolis affictas fuiſſe; apparet, nihil ex eo Scriptore præſidii iis Conſtitutionibus quæri poſſe, quæ nunc circumferuntur; etiamſi verum eſſet (quod ſupra falſiſſimum eſſe demonſtravimus.) illas plane eaſdem eſſe cum Epiphanianis. Sed jam cætera pertexamus.

CAP. III.

Falſo putaſſe Bovium ſuas Conſtitutiones Cyrillo Hieroſolymitano fuiſſe cognitas. Ratio, quam is errori ſuo obtendit, ſolvitur. Cyrillum, quæ habet de phœnice, ea ex Clementis Epiſtola ad Corinthios habere.

BOVIUS ſuo Clementi teſtem etiam citat Cyrillum Hieroſolymitanum, Epiphanio paucis annis vetuſtiorem. Is enim in quadam Catecheſi mirabilem avis phœnicis
a *Catech.* 18. *p.* 213. *d.* hiſtoriam ex Clemente ita narrat *; Τοῦτο (ὄρνεον) ὡς γράφει Κλήμης, καὶ ἱστοροῦσι πλεί-

Digitized by Google

ινες, μονογενὲς ὑπάρχον κατὰ τὴν Αἰγυ-
χώραν, ἐν περιόδοις πεντακοσίων ἐτῶν
μενον, δείκνυσι τὴν ἀνάστασιν, οὐκ ἐν
οις τόποις, ἵνα μὴ ἀγνοηθῇ τὸ μυστή-
γινόμενον, ἀλλ' ἐν φανερᾷ πόλει παρα-
μενον, ἵνα ψηλαφηθῇ τὸ ἀπιστούμενον·
ὶν γὰρ ἑαυτῷ ποιῆσαν ἐκ λιβάνου καὶ σμύρ-
καὶ λοιπῶν ἀρωμάτων, καὶ ἐν τῇ συμπλη-
ει τῶν ἐτῶν εἰς τοσοῦτον εἰσελθὸν, τελευ-
φανερῶς καὶ σήπεται· εἶτα καὶ τῆς σαπεί-
: σαρκὸς τοῦ τελευτήσαντος, σκώληξ τις
ννᾶται, καὶ οὗτος αὐξηθεὶς εἰς ὄρνεον μορ-
οῦται. *Hæc avis, ut ſcribit Clemens, &*
ii complures idem referunt, cum ſit una
ıntum & ſola, in terram Ægypti in ſpa-
:o quingentorum annorum venire ſolet, at-
ue demonſtrare reſurrectionem; non in lo-
:is deſertis, ne myſterium id ignoretur, ſed
n aperta (vel potius clarâ & nobili*) civi-*
tate conſiſtit, ut contrectetur, quod non
creditur. Loculum enim ſibi facit è thure,
& myrrha, cæteriſque aromatibus, & com-
pletis annis eo devenit: Moritur aperte
& putreſcit; deinde ex putrefacta carne
mortua, vermis quidam generatur, & hic
deinceps in avem efformatur. Hæc Cyril-
lus; quæ, quia in quinto Couſtitutionum
libro conſimilia de Phœnice narrantur, bo-
nus Bovius *a* eo avidiſſime retulit, inde- *a c. 6.*
que conficit ſuarum Conſtitutionum codi- *Bov. 8.*

 cem

cem pro vero ac genuino Clementis fœtu ab Hieroſolymitano illo antiſtite habitum. Ego vero fateor quidem, phœnicis hiſtoriam in Conſtitutionibus legi: inde eam Cyrillum hauſiſſe; vel hoc opus, dum Clementem laudat, intelligere, nequaquam concedo. Extabat enim ejus tempore aliud Clementis opus, & quidem longe nobiliſſimum, & apud Chriſti Eccleſias adeo receptum, ut in multis etiam publice legeretur, in quo eadem illa de phœnice narratio continebatur, nimirum Epiſtola illa ad Corinthios, de qua in ſuperioribus & Hieronymum, & Honorium Auguſtodunenſem inſigne teſtimonium perhibuiſſe diximus. In ea quippe Epiſtola memoratam fuiſſe à Clemente phœnicis hiſtoriam, & ex Photio pridem didicimus, qui eam dum à ſe lectam recenſet, inter cætera, reprehenſioni, ut ipſe putat, obnoxia, & hoc ponit *a*; ὅτι, ὡς παναληθεστάτῳ, τῷ κατὰ τὸν Φοίνικα τὸ ὄρνεον ὑποδείγματι κέχρηται, *quod phœnicis avis exemplo uſus eſt, tanquam veriſſimo*; & ex ipſa illa Epiſtola multo nunc clarius perſpicimus, Oxonii ante aliquot annos a Patricio Iunio ex manuſcripto codice edita, Conſtantinopoli ad Regem magnæ Britanniæ miſſo atque allato. Sic enim in eo exemplari de phœnice narrat Clemens *b*; Ὄρνεον γάρ

a *Cod.* 126.

b *Pag.* 34 *Extr.* 35.

ἐστιν

ὄρνεον (inquit) ὃ προσονομάζεται φοῖνιξ· τοῦτο μονογενὲς ὑπάρχον ζῇ ἔτη πεντακόσια· γινόμενόν τε ἤδη πρὸς ἀπόλυσιν τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸ, σηκὸν ἑαυτῷ ποιεῖ ἐκ λιβάνου καὶ σμύρνης καὶ τῶν λοιπῶν ἀρωμάτων, εἰς ὃν πληρωθέντος τοῦ χρόνου εἰσέρχεται, καὶ τελευτᾷ· σηπομένης δὲ τῆς σαρκὸς, σκώληξ τις γεννᾶται, & cætera, quæ deſcribere nihil neceſſe eſt. *Avis eſt, quæ Phœnix vocatur; hæc ſui generis ſola & ſolitaria exiſtens annos quingentos vivit, & cum morti vicinam ſe ſentit, è thure, myrrha, & reliquis aromatibus, loculum ſibi ſtruit, quem completo annorum ſpatio ingreditur, & vitam deponit; ex carne vero ejus putrefacta vermis quidam naſcitur,* &c. Ex his jam ipſe Bovius, ſi reviviſceret, haud dubiè intelligeret, nihil neceſſe eſſe, ad Conſtitutiones confugere, quo hæc Cyrillus dici poſſit ex Clemente referre; cum non rem modo ipſam, ſed verba etiam pleraque ex hoc Clementinæ ad Corinthios Epiſtolæ loco mutuatus ſit; qualia ſunt iſta, exempli gratia, μονογενὲς ὑπάρχον, σηκὸν ἑαυτῷ ποιήσαν ἐκ λιβάνου, σμύρνης, καὶ λοιπῶν ἀρωμάτων· Item, εἰς τοσοῦτον εἰσελθὸν τελευτᾷ, καὶ σήπεται· Denique, τῆς σαπείσης σαρκὸς σκώληξ τις γεννᾶται· quę in Epiſtola quidẽ leguntur fere totidem apicibus; in Conſtitutionibus pleraque non leguntur; nequid de rerum ipſarum diverſitate

tate dicam. Nam verus Clemens phœnicem in Arabia mori facit; hinc avem redivivam nidum, è quo effloruit, una cum reliquiis ſublatum Heliopolim in Ægyptum portare, advolantemque interdiu omnibus inſpectantibus ſuper ſolis altare collocare, atque ita eò, unde venerat, reverti. Conſtitutionum vero architectus plane aliter. Fingit *a* enim avem primũ venire in Ægyptum, ad eam aram quæ vocatur ſolis, cinnamomi, caſſiæ, & xylobalſami magnam copiam ferentem; ſtantemque ad orientem, precari ſolem, & ſponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renaſci, atque ex eo tepefacto formari novam avem, & cum facta eſt volucris, ferri in Arabiam, ἥπερ ἐςὶ περαιτέρω τῦ Αἰγυπτιακῦ νόμυ, *quæ eſt ultra Nomum Ægypti*. Mitto ineptias fabulatoris, ut quod ait, locum Ægypti, quo venit Phœnix, vocari *aram Solis*, cum Heliopolim, *Solis* non *aram*, ſed *civitatem* dici, & verus Clemens, & cæteri authores tradant: tum quod fingit avem τῷ ἡλίῳ προσεύχεσθαι, *ſoli ſupplicare*, eumque precari; quaſi novus Æſopus, mutis animalibus noſtros & mores, & ſenſus, noſtra etiam ſcelera, id eſt, idololatriam tribuens; denique quod ait Arabiam eſſe ultra *Ægyptiacum Nomum*. Quis enim, quæſo, eſt Ægyptiacus iſte Nomus?

a L. 5. c. 9. p. 919.

Digitized by Google

mus? Ægyptus ipſa in Nomos plures dividebatur, ut Tanitem, Pharbaitem, Bubaſtitem, Heliopolitem, &c. qui omnes *Ægypti*, vel *Ægyptiaci Nomi* erant. Qui unus ſingulariter *Ægyptiacus Nomus* diceretur, equidem non memini. Sed hæc, inquam, mitto. Illud unum nunc obſervo, id eſſe duarum iſtarum de phœnice narrationum diſcrimen, ut utraque unius ejuſdemque hominis eſſe non poſſit. At quæ in Epiſtola habetur, ea vere Clementis eſt. Non igitur Clementis, quæ in Conſtitutionibus legitur. Atque ita nobis Phœnix, præter Bovii ſpes & vota, Διαλέξεων codici non vitam & ornamentum, ſed cladem & perniciem attulit. Id vidit, & ad Tertullianum obſervavit Clariſſ. doctiſſimuſque Rigaltius: *Etſi autem* (inquit) *ejuſdem phœnicis hiſtoriæ exemplum reperiatur etiam in Conſtitutionibus ſupra citatis, tamen ex earum cum epiſtola Clementis comparatione hoc videmur aſſequi, vix eſſe, ut ejuſdem authoris utrumque opus cenſeri debeat.*

a *Ad libr. de reſurr. ad pag.* 387.

Cap. IV.

Fruſtra pro Conſtitutionibus afferri Athanaſii & Euſebii teſtimonium. Utriuſque loca explicantur, quæ ad Conſtitutiones noſtras nihil pertinere, demonſtratur. Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων quid fuerit.

Quid, quod etiam ex anterioribus temporibus Bovius ſuarum Conſtitutionum volumini præſidium petere auſus eſt, Athanaſiumque & Euſebium inter earum patronos edere? *Athanaſius* (inquit) *cujus teſtimonium graviſſimum eſſe debet, horum librorum mentionem facit, & de iis præclare ſentit.* Videamus ergo, quod ſit de his tanti illius viri teſtimonium. Id verò mox recitat Bovius, ex epiſtola (ut ipſe quidem ait) ad Ammum Monachum, ſed quod in noſtris codicibus extat in fragmento epiſtolæ heortaſticę 39. in hęc verba *a*; Ἀλλ' ἕνεκά γε πλείονος ἀκριβείας προστίθημι, καὶ τοῦτο γράφων ἀναγκαίως· ὡς ὅτι ἔστι καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις, καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· Σοφία Σολομῶνος, καὶ Σοφία Σιρὰχ, καὶ Ἐσθὴρ, καὶ Ἰουδὶθ, καὶ Τοβίας, καὶ Διδαχὴ καλουμένη τῶν Ἀποστόλων, καὶ ὁ Ποιμήν.

a T. 2. *Ath. p.* 39. *d.*

μίω. Καὶ ὅμως ἀγαπητοὶ, κἀκείνων κανονιζομένων, καὶ τούτων ἀναγινωσκομένων οὐδαμοῦ τῶν ἀποκρύφων μνήμη. ἀλλὰ αἱρετικῶν ἐστιν ἐπίνοια, γραφόντων μὲν ὅτε θέλουσιν αὐτὰ, χαριζομένων δὲ καὶ προστιθέντων αὐταῖς χρόνους. *Cæterum majoris & exactioris diſciplinæ cauſſa addo & illud ſcribens neceſſariò, præter ſuperiores* (utriuſque ſcilicet Teſtamenti nuper recenſitos) *libros eſſe alios, non quidem in canonem relatos, ſed veterum authoritate illis, qui pietatis elementis imbuendi eſſent, propoſitos: Sapientiam nempe Salomonis, Sapientiam Sirach, Eſther, Judith, & Tobiam, Doctrinam etiam, ut vocatur, Apoſtolorum, & Paſtorem. Verumtamen dilecti, cum & illi in canonem relati ſint, & hi legantur, nuſpiam eſt apocryphorum memoria; quæ ſunt hæreticorum inventum, ea quidem, quando lubet, ſcribentium; iis vero tempora largientium, ac addentium.* Quæ in his ab Athanaſio memoratur Διδαχὴ καλουμένη τῶν Ἀποστόλων, eam Bovius ſciſcit ſuum eſſe *Conſtitutionum Clementinarum* codicem; quæ ejus ſuſpicio noviſſimæ Athanaſii editionis authoribus *a* uſq; adeo placuit, ut eam non in libri margine, quo loco aſcribi nulla erat invidia, ſed in ipſo authoris, ut loquuntur, *textu*, velut Athanaſii ipſius voces, omnino ridicule legi voluerint his verbis

a Lut. Paris. 1627. p. 40. A.

expreſſam; *Videtur intelligere Apoſtolorum Conſtitutiones, quæ nomine Clementis nunc habentur.* Sed antequam hunc locum expendo, alter ei jungendus eſt ejuſdem ſcriptoris, ſed ex alio opere *a*: Τῆς νέας (inquit) Διαθήκης ἀντιλεγόμενα ταῦτα. Περίοδοι Πέτρου, Περίοδοι Ἰωάννου, Περίοδοι Θωμᾶ, Εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶ, Διδαχὴ Ἀποστόλων, Κλημέντια· ἐξ ὧν μετεφράσθησαν ἐκλεγέντα τὰ ἀληθέστερα καὶ θεόπνευστα, ταῦτα τὰ ἀναγινωσκόμενα. *Novi Teſtamenti quibus contradicitur, ſunt hi, Circuitus Petri; Circuitus Ioannis, Circuitus Thomæ, Euangelium Thomæ, Doctrina Apoſtolorum, Clementina. Ex his veriora quædam, & ſpiritus Dei inſtinctum reſipientia transſumpta, & ut legantur ſelecta ſunt.* His & iſta, obſervatu digna, continenter ſubjicit; Ταῦτα πάντα ἐξετέθησαν μὲν, ὅσον πρὸς εἴδησιν· παραγεγραμμένα δὲ εἰσι πάντως καὶ νόθα, καὶ ἀπόβλητα, καὶ οὐδὲν τούτων τῶν Ἀποκρύφων μάλιστα ἔγκριτον, ἢ ἐπωφελές, ἐξαιρέτως τῆς νέας Διαθήκης· ἀλλὰ πάντα, δίχα τῶν ἀνωτέρω διαληφθέντων καὶ ἐγκριθέντων παρὰ τοῖς παλαιοῖς σοφοῖς καὶ πατράσιν, ἀποκρυφῆς μᾶλλον, ἢ ἀναγνώσεως, ὡς ἀληθῶς ἄξια. *Hi omnes* (libri ſcilicet) *cognitionis quidem gratia expoſiti ſunt; cæterum omnino perverſe & falſo ſcripti ſunt, & nothi, ac reprobi; nihilque iſtorum, maxime apocryphorum, approbatum*

a *Synopſi S. Script. extr. T. 2. Ath. p. 154. d.*

tum aut utile eſt, præſertim novi Teſtamenti; ſed omnia (exceptis iis quæ ſupra digeſta ſunt & à vetuſtis ſapientibus, ac Patribus approbata, ſive in canonem relata) revera digna ſunt, quæ abſcondantur potius, quam ut legantur. Hactenus Athanaſius: qui quam præclarè de his libris ſenſerit, iſta poſtrema nos docent; *nothos* eſſe ſcilicet & ἀποβλήτυς, & παραγεγραμμένυς, id eſt, rejectaneos, ſpurios & adulterinos, digniores ſque qui abſcondantur, quam qui legantur. Hoc quidem nos Athanaſii de his *judicium graviſſimum* eſſe libentes Bovio aſſentimur. Sed ut omnis ejus in hoc Athanaſii teſtimonio ad ſuum pſeudoclementem inflectendo, vel fraus, vel inſcitia pateſiat; tum etiam, ut ſolvatur quędam, quę inter duo iſta Athanaſii de eodem libro dicta videtur exiſtere, contradictio, utrumq; diligentius eſt explicandum. Imprimis obſervandum; quam deſperata ſit Bovii cauſa, qui ſuarum Conſtitutionum decus in eo loco quærit, qui iis indelebilem ignominiæ notam inurit. Eſto enim, quod ille vehementer, quanquam falſo & inique ac nulla ratione, cupit, hæc ab Athanaſio memorata *Apoſtolorum doctrina*, ipſe ille Conſtitutionum codex, qui nunc nobis obtruditur. Quid inde fiet, niſi falſum & ementitum eſſe hunc librum, eoque, quem

ipſe

ipſe ſibi tribuit, loco ac numero (ex Athanaſii quidem & Patrum judicio) indignum? Nam Conſtitutionum quidem Bovianarum author in ipſo ſtatim operis limine

a *l.* 1. *Conſt.* *c.* 1.

a ſuam doctrinam audiri vult, velut divinam, & *æquiparandam glorioſis Chriſti vocibus*; eam omnem, velut ſacro Apoſtolorum ore dictatam, proponit; proque ſcriptura canonica hos, quibus ea continetur, libros haberi cupit. Ac ne eſſet obſcura ejus mens, diſerte in ultimo Apoſtolorum

b *Can. Apoſt.* 84. *al.* 85.

canone *b* (quod opus ejuſdem plane eſt cum Conſtitutionibus furfuris) decernitur, ut omnibus clericis & laïcis venerandæ & ſanctæ ſint *αἱ Διαταγαὶ, ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις* (inquit) *δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι*, *vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris edita*: quæ ideo in hoc ipſo loco libris Euangelicis & Apoſtolicis accenſentur, & in ſacro eorum canone collocantur. Athanaſius contra commemoratam à ſe *Apoſtolorum doctrinam* locat extra libros Novi Teſtamenti à ſe recenſitos, *ἔξωθεν τούτων*, inquit, *extra hos*: tum diſerte addit, *οὐ κανονιζομένων*, *non pertinere ad canonem ſacrum*; à Patribus ſcilicet receptum. Ergo, tum Athanaſius, tum illi Patres, ſi per hunc *Apoſtolicæ doctrinæ* librum Conſtitutiones Bovianas intellexerunt, mentitum earum ſcriptorem putarunt;

runt; mentitum Canonem illum inter Apoſtolicos ultimum, exiſtimarunt, qui ſcilicet quem hi Apoſtolis librum tribuunt, quem *Chriſti vocibus æquiparari* volunt, quem inter Novi Teſtamenti canonica cenſuerunt, ipſi eum ex hoc loco deturbatum in aliam claſſem amandarunt. Nam, ſi has Apoſtolorum verè voces eſſe, ſcriptori eſſent aſſenſi; ſi id de iis & Apoſtolorum & Clementis judicium eſſe, ſibi perſuaſiſſent; nunquam eum librum extra Novi Teſtamenti canonem poſuiſſent. Itaque qui aliter inſtituunt, eos neceſſe eſt, & ipſius Conſtitutionum ſcriptoris, & canonis eas commendantis, fidem fluxam vanamque cenſuiſſe: omnino perinde ac nos, qui librum hunc totum, non ab Apoſtolis, non à Clemente, non à verace ullo authore, ſed ab impoſtore, Apoſtolorum ſibi & Clementis nomen impudentiſſimè affingente, ſcriptum & conſarcinatum fuiſſe, putamus. En qualem Bovius nactus ſit Conſtitutionum ſuarum patronum! qui ſcilicet liquido diſerteque teſtatur, earum parentem hominem eſſe vanum, ac in toto opere ſplendide mentitum! Huc ſecundò accedit, quod, etiamſi de *Apoſtolorum Conſtitutionibus* intelligatur Athanaſiana ἡ τῶν Αποςόλων καλυμένη Διδαχὴ, *Apoſtolorum dicta doctrina*, quicquid de ea dicit

dicit Athanaſius ad *Conſtitutiones* eas perti-
nebit, quæ ipſius tempore hoc nomine ſi
forte extabant, non adeo ad Bovianas. Cum
enim, ſiquæ extabant Athanaſii tempore
Apoſtolorum dictæ *Conſtitutiones*, eæ aliæ
eſſe non potuerint, quam quas Epiphanius
commemoravit, Athanaſio quidem junior,
ſed tamen ejuſdem cum eo ſæculi, quique
eum & viderat, & cum eo collocutus,
ac verſatus erat; profecto nihil ad Bovia-
nas, quę Athanaſius de iſtis dixit, quas nos
ſupra liquido deprehendimus alias fuiſſe à
Bovianis. Sed quid ego in his hæreo? Pa-
lam eſt, & à reverendiſſimo, clariſſimoque
a *Diſſert. ad Ignat. c. 7. p. 42.* viro Iacobo Uſſerio *a* Armachano præſule
perſpicue demonſtratum, non eſſe hanc A-
poſtolorum ab Athanaſio commemoratam
διδαχὴν, Apoſtolicarum Conſtitutionum
codicem; quicquid contra ſenſerint & Bo-
b *an 102. §. 9.* vius & Turrianus, & Baronius *b*, & Gręco-
rum etiam, referente Zonara, nonnulli, cu-
jus hanc ῥῆσιν ex manuſcripto quodam libro
deſcripſit Uſſerius; τὴν διδαχὴν ἣ τῶν A-
ποςόλων τινὲς λέγουσιν εἶναι τὰς διὰ τοῦ Κλή-
μεντος γραφείσας Διατάξεις· ἃς ἡ λεγομένη ἕκ-
τη σύνοδος ἀναγινώσκεσθαι οὐ συγχωρεῖ, ὡς νο-
θευθείσας καὶ παραφθαρείσας ὑπὸ αἱρετικῶν
*Doctrinam Apoſtolorum quidam dicunt
eſſe Conſtitutiones per Clementem ſcriptas
quas ſexta quæ dicitur Synodus legi non
con*

Digitized by Google

concedit, velut ab hæreticis corruptas, & adulteratas. Iſtorum, inquam, & adverſariorum eadem ſequentium errorem tribus rationibus refellit Rev. Uſſerius, quas hic ipſius deſcriptis verbis recitabo. Hanc opinionem refellit, *Primo* (inquit) *ipſius Athanaſii authoritas; qui in eodem loco* Διδαχὴν *hanc inter eos libros numerat, qui Catechumenis & nuper ad fidem accedentibus legendi eſſent; cum iſti Conſtitutionum libri Epiſcopis ſint dicati, reſque ad Eccleſiæ regimen ſpectantes tractent; & alia quædam* μυστικώτερα, *quæ idcirco Canonis Apoſtolorum 85* a *conſarcinator in vulgus efferenda eſſe vetuit.* Altera R. Uſſerii ratio ab exiguo ducentorum verſiculorum numero, quibus illam Διδαχὴν definiunt ac concludunt, tum ipſe Nicephorus CP. Patriarcha in Στιχομετρίᾳ, quo loco eam inter ſcripta Novi Teſtamenti apocrypha recenſet. Διδαχὴ Αποστόλων (inquit) στιχῶν σ. tum Nicephori interpres Anaſtaſius Bibliothecarius, in latina ejuſdem στιχομετρίας interpretatione. Eo enim oſtenditur, illius Διδαχῆς libellum Cantico Canticorum minorem fuiſſe, *quod 280. ejuſdem generis* στίχας, ſive verſiculos, *habuiſſe ibidem legimus.* Quis tam brevem libellum pro Conſtitutionum volumine haberi poſſe putet, quas octo libris conſtare & quidem

a *can. Apoſt. 35. de Conſtitut. Clem.* ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά.

dem

dem ſatis prolixis, notum eſt? Tertio, inquit R. Uſſerius, nos movet *indiculus librorum canonicorum & apocryphorum; quem Anaſtaſii Nicani quæſtionibus ſubjectum in publica Oxonienſis Academiæ Bibliotheca invenimus: ubi* Διδαχαὶ τῶν Ἀποστόλων, καὶ Διδασκαλία Κλήμεντος, *ut diſtincta opera recenſentur, & in ſcriptorum Apocryphorum cenſu pariter reponuntur. Illas verò Apoſtolorum* Διαταγὰς *in græco quodam vetuſto exemplari manuſcripto* Διδασκαλίας *titulo prænotatas ſe reperiſſe, F. Turrianus indicat; indeque utrumque ſe conjunxiſſe, & ex utroque inſcriptionem hanc, quæ in ipſius editione Conſtitionum legitur, contexuiſſe;* Διαταγαὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου τε καὶ πολίτου, Καθολικὴ Διδασκαλία. *Conſtitutiones ſanctorum Apoſtolorum, authore Clemente, epiſcopo & cive Romano, Catholica Doctrina. Quem* Διδασκαλίας *titulum confirmant etiam illa in ipſo corpore Conſtitutionum* l. 1. c. 1. Ἀκούσατε Διδασκαλίαν ἱερὰν, &c. l. 2. c. 39. Ἐγὼ Ματθαῖος, εἷς τῶν ἐν τῇδε τῇ Διδασκαλίᾳ λαλούντων ὑμῖν, εἰμι Ἀπόστολος. l. 6. c. 14. ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν Καθολικὴν ταύτην Διδασκαλίαν, Et c. 18. καταλιπόντες ὑμῖν τήνδε τὴν Καθολικὴν ταύτην Διδασκαλίαν. quibus addi poterit & illa Epiphanii *a* citatio,

a Hær. 80. adverſ. Meſſal.

tio, ἐν ταῖς Διατάξεσι τῶν Ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος, καὶ ἡ Διδασκαλία. Hactenus R. Uſſerius: cujus argumentis tribus nos & hoc quartum addimus, ex altero nuper deſcripto Athanaſii in Synopſi loco ductum. Ibi enim inter τὰ τῆς νέας διαθήκης ἀντιλεγόμενα recenſentur velut diverſi libri, Διδαχὴ Ἀποστόλων, Κλημέντια, *Doctrina Apoſtolorum, Clementina*; ut diſtinguit & Græcus codex, & Latina interpretatio. Ergo *Clementina*, ſive Clementis nomine dicta & vulgata, alia ab *Apoſtolorum doctrina*. Nimirum *Clementina* Athanaſius intelligit, quæ tum circumferebantur Clementis nomine, Petri & Appionis Dialogos, vel *Recognitionem*, id eſt ἀναγνωρισμὸν, & alia apud Latinos à Ruffino exeunte quarto, quo vixit Athanaſius, Chriſtianiſmi ſæculo, poſtea ex Græco interpretata ac vulgata. At ſi *Doctrina Apoſtolorum* codex Conſtitutionum revera erat, non fuit liber à Clementinis ſejungendus. Liquet enim Conſtitutiones Clementis nomen præferre; in quibus fictitii illi, qui loquentes inducuntur Apoſtoli *a*, a l. 6. c. ſe doctrinam illam ſuam διὰ τοῦ συλλειτουργοῦ Κλήμεντος διαπέμψασθαι, *per comminiſtrum ſuum Clementem miſiſſe* profitentur. 18. Itaque & à Trullanis Patribus *b* τῶν ἁγίων b Can. 2. Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος διατάξεις vocantur,

a Cod. 113. tur, & à Photio *a* in Clementis operibus recenſentur. Ex quibus apparet Διδαχὴν illam Apoſtolorum Athanaſianam, quæ alia eſt à Clementinis, eadem quoque ratione à Conſtitutionibus, quæ, ſi fuerunt tum ullæ, Clementinorum nomine & cenſu neceſſario continebantur, plane diverſam fuiſſe. Ergo nihil ad Apoſtolicas Bovii Conſtitutiones hic Athanaſiii locus; neque ejus de *Doctrina Apoſtolica* judicium hanc cauſam quicquam juvat. Iam vero quod ad illud enantiophanes pertinet, quod inter duo Athanaſii de libro cui nomen erat *Apoſtolorum Doctrina*, dicta intercedere diximus; ego quidem non nego, ſanctiſſimum virum longe mitius de illo opere in epiſtola heortaſtica cenſere, quam in ſynopſi. Illic enim ex librorum quidem divinorum canone eum ſubmovet; legi tamen ex Patrum præſcripto à Catechumenis, & ab iis qui nuper accedentes in pietatis negotio erudiri ac inſtitui cupiunt, & cum Eccleſiaſtico, ac Syrachide, Eſthere, Judith & Tobia recenſet, apocryphis quidem illis, ſed tamen utilibus libris, & qui cum fructu legi poſſunt. In ſynopſi verò aliter, ut videtur. Locat enim illam *Apoſtolorum doctrinam* una cum Petri, Ioannis & Thomæ περιόδοις, ſive itinerariis; quæ deterrimi apocryphorum

rum generis indubie & ſunt, & fuerunt ſemper. Itaque mox ait, iſta omnia eſſe παραγεγραμμένα, καὶ νόθα, καὶ ἀπόβλητα, ἀποκρυφῆς μᾶλλον, ἢ ἀναγνώσεως ἄξια. Ad hunc ſolvendum nodum imprimis obſervandum arbitror, quod Athanaſius in Synopſi poſt commemorata illa, Διδαχὴν Αποςόλων, & Clementina, ſtatim addit, ex his *veriora quadam electa eſſe, quæ & leguntur.* Hinc enim haud abſurde quis, ut mihi quidem videtur, conjecerit & Doctrinæ Apoſtolorum, & Clementinorum codicem à veteribus defloratum fuiſſe, & ex utroque opere, miſſis falſis, noxiis, aut inutilibus, excerpta & ſelecta quæ alicujus eſſe viſa ſunt ad piorum hominum ædificationem uſus. Ac opera quidem ipſa integra plane reprobata fuiſſe, & in ultimam apocryphorum claſſem, veluti fictitia, abjecta; has vero ex iis factas utilium ſententiarum collectiones non quidem in canonem relatas (quod ſolis divinis libris convenit) ſed tamen hominibus Chriſtianis in uſu atque lectione relictas, ac conceſſas. Quæ ſi vera ſunt, ut videntur, equidem putaverim, Athanaſium in epiſtola per illam Apoſtolorum doctrinam, quam legi à catechumenis ait, collectionem hujuſmodi ex apochrypho illo libro factam intelligere; in Synopſi vero, ipſum illud ſpurium, unde facta

erat, opus ſignificare; indeque ortum eſſe, ut de Doctrina Apoſtolorum priori loco mitius, poſteriori acerbius loquutus ſit. Utcunque ſit, illud quidem ſatis conſtat, *Doctrinam*, quæ dicitur *Apoſtolorum*, ab omnibus, qui ejus meminerunt, extra canonicorum cenſum poni; relegarique ab uno quidem Athanaſio inter τὰ ἀναγινωσκόμενα, ut ille vocat; à cæteris omnibus vel inter τὰ νόθα, ut ab Euſebio *a*; vel inter τὰ ἀπόκρυφα, ut à Nicephoro CP. Patriarcha, & ab authore Indiculi, quem ſe R. Uſſerius Anaſtaſii Nicæni quæſtionibus ſubjectum reperiſſe teſtatur.

a l. 3. hiſt. c. 25.

Atque ex his quidem, quæ de Athanaſii teſtimonio diſputavimus, patet, quam nullius ſint momenti quæ Bovius ex Euſebio profert. *Athanaſii* (inquit) *judicium ſecutus Euſebius, neque in eis Scripturis hos libros numeravit, quæ pro Canonicis ab omnibus Eccleſiis receptæ erant, neque in apocryphis, ſed in eis, quas non omnes Eccleſiæ agnoſcebant.* In quibus illud primo parum belle dictum videtur, quod ait Bovius, *Euſebium Athanaſii judicium ſecutum*. Nam cum ille annis non paucis hoc fuerit vetuſtior, neque fortaſſis ullum ejus librum legerit; neſcio unde habere poſſit Bovius, quod hic temere, nullaque veri ſpecie affirmat, *Euſebium Athanaſii* in his *judicium*

ſecu-

ſecutum. Sed verba ipſa Euſebii recitemus, quæ non *in primo*, quod idem quoque Bovius per errorem ait, ſed in tertio libro hiſtoriæ, habentur. Iſtic ergo, enumeratis publice ab omnibus receptis Novi Teſtamenti Scripturis, ſic pergit *a*: Τῶν δ᾽ ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ᾽ οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς ἡ λεγομένη Ἰακώβου φέρεται, καὶ ἡ Ἰούδα, ἥτε Πέτρου δευτέρα ἐπιστολὴ, καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου, εἴτε τοῦ Εὐαγγελιστοῦ τυγχάνουσαι, εἴτε καὶ ἑτέρου ὁμωνύμου ἐκείνῳ. Ἐν νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφὴ, ὅ τε λεγόμενος Ποιμὴν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου· καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολὴ, καὶ τῶν Ἀποστόλων λεγόμεναι Διδαχαί. ἔτι τε, ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. Hæc Euſebius; quæ latine ita vertit Chriſtophorſonus *b*: *Ex illis, quæ in dubitationem quidem vocantur, ſunt tamen à pleriſque recepta, eſt Epiſtola quæ Iacobi dicitur, & Iudæ, & ſecunda Petri, & ſecunda & tertia quæ Ioannis nomine inſcribuntur, ſive illæ ab Euangeliſta, ſive ab quopiam eodem nomine appellato, perſcriptæ ſunt. Inter ſcripturas autem, quæ falſo inſcriptæ, minimeque germanæ dicuntur, Pauli acta numerantur, & liber, qui vocatur Paſtor, & Apocalypſis Petri: porro epiſtola nomine*

a *l. 3. c. 25. edit. Gr.*

b. *Chriſtophorſono. c. 19.*

Barnabæ edita, *& quæ dicitur Doctrina Apoſtolorum. Adde his, ſi videtur, Ioannis (ut dixi) Apocalypſin: quam nonnulli, ut docui, penitus antiquare contenderunt; alii tamen eam in Scripturis maxime approbatis collocandam judicant.* Ex his liquet, Bovium, primo, quas ait Euſebius Ἀποςόλων λεγομένας διδαχὰς, perperam, &, ut videtur, malo animo, *Iuſtitutiones Apoſtolorum* dixiſſe; inflexo ad *Conſtitutiones* ſuas nomine, ut lectori fucum faceret. Ruffinus, quaſi quod apud Athanaſium extat, hic quoque legiſſet ἡ Ἀποςόλων λεγομένη Διδαχὴ, in ſingulari numero vertit, *doctrina quæ dicitur Apoſtolorum.* Ergo Euſebius non alium librum intelligit, quam hunc ipſum, quem Athanaſius duobus locis, & alii non pauci *Doctrinam Apoſtolorum* vocant; quem cum nuper demonſtraverimus à Bovianis Conſtitutionibus diverſum eſſe, nihil ad hanc quidem cauſam facit iſte Euſebii locus. Sane qui de Clementis ſcriptis duobus locis, & quidem poſteriori accuratiſſime, verba facit Euſebius, ſi quæ tum extitiſſent ejus nomine vel *Conſtitutiones*, vel etiam *Doctrinæ Apoſtolorum*, eas haud dubie non erat omiſſurus. Nam in priori quidem loco, Romanum Clementis epiſcopatum narrans; ἴςτω δὴ (inquit *a*) οὖν ὁμολογουμένη μία

a *l.* 3. *hiſt. Eccl.* *c.* 15. 16. *edit. gr.* 17. *lat.*

μία ἐπιστολὴ φέρεται, μεγάλη τε καὶ θαυμασία, ἣν ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας τῇ Κορινθίων ἐτυπώσατο, στάσεως τηνικάδε κατὰ Κόρινθον γενομένης. ταύτην δὲ καὶ ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις ἐπὶ τοῦ κοινοῦ δεδημοσιευμένην πάλαι τε καὶ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν. *Hujus vero Clementis una fertur Epiſtola, omnium judicio approbata, illuſtris illa quidem & digna plane admiratione; quam tanquam ex Eccleſiæ Romanæ perſona ad Corinthiorum Eccleſiam tum quidem exaravit, cum jam Corinthi gravis eſſet inflata ſeditio. Hanc ſane cum veterum, tum noſtra ipſorum memoria, plurimis in Eccleſiis publice lectam, uſurpatamque cognovimus.* Cur qui hujus epiſtolæ meminit, neque Διαλέξεων, neque Διδαχῆς Apoſtolorum meminit? Quia neque illas, neque has Clementis ullas noverat. Sed en tibi alium locum ex eodem Euſebii *a* volumine, ab Hieronymo ſupra citatum, in quo de Clementis Romani operibus velut ex profeſſo agit; ac imprimis eandem illam ex Romanæ Eccleſiæ perſona ad Corinthios διατετυπωμένην Epiſtolam memorat; obſervatque, quod & ex Hieronymo in ſuperioribus audivimus, multos in ea reperiri ſenſus, quædam etiam verba, quæ cum iis congruunt, quæ in Epiſtola ad Hebræos leguntur. Tum alteram Epiſtolam

a *l. 3. hiſt. c. 37.*

lam, quæ à quibuſdam Clementis eſſe di-
a c. 58. cebatur, refellit *a*: οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα· ὅτι μηδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. *Verum eam non perinde ut priorem approbatam cognoſcimus: propterea quod non animadvertimus, veteres illius teſtimonia ſuis aliquando ſcriptis intexuiſſe.* Quibus dictis tandem hæc adjicit: ἤδη δὲ καὶ ἕτερα πολυεπῆ καὶ μακρὰ συγγράμματα, ὡς τοῦ αὐτοῦ χθὲς καὶ πρώην τινὲς προήγαγον, Πέτρου δὴ καὶ Ἀππίωνος διαλόγους περιέχοντα, ὧν οὐδ' ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται. οὐδὲ γὰρ καθαρὸν τῆς Ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀποσώζει τὸν χαρακτῆρα. *Iam vero quidam alia item opera, verboſa illa quidem & prolixa, heri prope & nudiuſtertius perinde quaſi illius eſſent, introduxerunt, quæ quidem diſputationes Petri & Appionis continent; quorum apud veteres nulla omnino fit mentio; nam puram illam & ſinceram Apoſtolicæ orthodoxæque doctrinæ notam minimè retinent.* Atque ita denique to-
b c. 59. tum hunc locum concludit *b*: Ἡ μὲν οὖν τοῦ Κλήμεντος ὁμολογουμένη γραφὴ πρόδηλός ἐστιν. *Atque ita quidem manifeſta eſt, quæ apud omnes in confeſſo eſt, Clementis Scriptura.* Obſecro tuam fidem: Illas *Apoſtolorum* dictas *doctrinas*, ſi eæ Clementis nomen ſeu vere ſeu falſo præferebant

ferebant, cur hoc loco omiſit Euſebius, quo Clementis opera & vera affirmat, & notha refellit, ſive, ut loquitur Hieronymus, coarguit? Ergo & hoc ex Euſebii ſilentio ductum argumentum ad ea quintum accedat, quibus Reverendiſſimi Uſſerii ſententiam nuper probavimus. Eo enim liquido conficitur, non fuiſſe Clementis nomine ſcriptam illam Apoſtolorum dictam doctrinam: proinde neque eã eſſe, quod vult Bovius, Apoſtolicarum Conſtitutionum codicem; quæ ſcilicet *Clementis*, ſive διὰ Κλήμεντος, *per Clementem*, eſſe dicuntur. Itaque fruſtra laborat Bovius, qui quæ Euſebius de *Apoſtolorum doctrinis*, ſive, ut habet Ruffinus, *doctrina* dicit, ea non modo nulla ratione, ſed etiam contra manifeſtam rationem, ad ſuas Pſeudo-Clementinas Diataxes torquet. Huc accedit, quod ne ipſam illam quidem *Apoſtolorum* dictam *doctrinam* valde commendat Euſebius. Eam enim non modo, quod concedit Bovius, τοῖς ἀντιλεγομένοις, ſed etiam τοῖς νόθοις accenſet. Diſerta ſunt verba, ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω, *In nothis* ſive *ſpuriis reponatur*, καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφὴ, ὅ τε λεγόμενος Ποιμὴν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου, *& Pauli actuum ſcriptura, & qui dicitur Paſtor, & Petri Revelatio.* καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερο-

μένη Βαρνάβα ἐπιστολὴ, ϗ τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι Διδαχαὶ, *Apoſtolorum doctrinam* eodem locari, cenſerique quo *Pauli actus* & *Petri Revelationem.* Itaque ſi (quod facit Bovius) rectum eſt ex eorum librorum ingenio, quibuscum hic collocatur *Doctrina Apoſtolorum* dicta, de ejus apud Eccleſiam cenſu argumentari, conſequens eſt, eam nullo tum in pretio fuiſſe; cum liqueat illos, quibus accenſetur, *Actuum Pauli*, & *Revelationis Petri* libros, vel Bellarmino teſte, omnino apocryphos, imo ſpurios & Suppoſititios & eſſe, & habitos apud veteres fuiſſe. Sed ludit Bovius. Planum enim eſt, Euſebium promiſcue hic τὰ ἀντιλεγόμενα recenſere, ſive iis jure ac merito, ſive inique falſo contradiceretur. Prioris generis ſunt illi Pauli Actus, Petrique Apocalypſis, & Barnabæ epiſtolę, & Apoſtolorum doctrina: poſterioris Apocalypſis Ioannis, & duæ ejuſdem poſteriores epiſtolæ. Ille vero, tametſi tanto abſe invicem diſcrimine ſeparata ſimul recenſet, quod nihil eſſet iſtorum cui non aliqui tunc contradicerent; licet alioqui diverſa eſſet contradicentium cauſa ac ratio. Itaque nullum hinc quidem in alterutram partem, de iſtorum librorum ſive falſitate ſive veritate, certum duci poteſt argumentum. Unde denique conſequitur, ſi vel concederemus (quod ſupra

a *De Scriptor. Eccleſ. in Petro.*

pra

pra refutavimus) illas ab Euſebio memoratas Ἀποςόλων Διδαχὰς vere eas eſſe Conſtitutiones, quę Apoſtolorum dictæ ſunt, nullum tamen vel Bovium vel Turrianum in hoc Euſebii loco ſui delirii præſidium habituros, quo ſomniant ſuas illas Conſtitutiones verum ac genuinum eſſe vel Apoſtolorum, vel Clementis Romani fœtum.

Hæc de Euſebio hactenus, qui a. D. 315. Cæſareæ in Palæſtina ordinatus Epiſcopus an. 330. Hiſtoriæ ſuæ opus compoſuit, ad a. D. 340. vitam produxit. Totis, quæ ſupra ejus Epiſcopatum fluxerant, tribus Chriſtianiſmi ſæculis nulla uſpiam apud Gręcos Patres *Conſtitutionum* vel levis umbra, aut mentio; licet eorum temporum multi, & quidem eruditiſſimi extent; ut Origines, ejuſque præceptor Clemens Alexandrinus, Irenæus, & Iuſtinus, & alii. Ergo non in Græca magis, quam in Latina veteri Eccleſia, notæ fuerunt, vel pro veris habitæ illæ quæ nunc nobis à Bovio obtruduntur, Conſtitutiones. Itaque jure ac merito & noſtri, & ex adverſariis doctiſſimi celeberrimiq; Theologi Baronius, Bellarminus, Perronius, purpurati, Albaſpineus Epiſcopus, la Bigne Sorbonicus, Petavius Ieſuita, de obſcuro, ignobilique libro dubitarunt, ejuſque velut apocryphi in rebus fidei authoritatem nullam eſſe putarunt.

CAP. V.

Conſtitutionum authoritas multis argumentis evertitur. I°. inde ſumpto, quod eæ neque à Græca, neque à Latina Eccleſia, vel olim, vel nuper, fuerint in canonem Scripturarum divinarum relatæ; quod omnino neceſſe erat fieri, ſi eæ pro vere Apoſtolicis libris eſſent agnitæ. Bovii temeritas & impudentia caſtigatur.

SEd ne ſolis eorum nominibus niti videamur, age rem ipſam nunc totam perſpiciamus, expendamuſq; accuratius; quamq; firmis fundamentis ſtet doctiſſimorum virorum ſententia, paulo diligentius ac fuſius oſtendamus. Principio illud ante omnia ſtatuendum eſt, has, quæ nunc circumferuntur, Diataxes, ſiquidem eæ veræ ſunt, ab ipſis Domini Ieſu Apoſtolis ſimul congregatis dictatas, ordinatas, conſcriptas, ac denique ad Eccleſiarum præpoſitos miſſas fuiſſe; non ſecus ac quæ Pauli habentur epiſtolæ eæ à beatiſſimo illo Apoſtolo ſcriptę, miſſæque ſunt. Non jam urgeo libri titulum Διαταγαὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, *Conſtitutiones ſanctorum Apoſtolorum*; quem fateor etiam iis convenire, quæ licet non ab ipſis Apoſtolis ſcriptæ, miſſæque, ab iiſdem tamen quacunque alia ratione traditæ ac præceptę ſunt. Sed ipſum opus totum

tum à capite ad calcem Apoſtolos autho-
res præfert. Ab his verbis ordiuntur *a*; Οἱ a *l.1.c.1.*
Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι πᾶσι τοῖς ἐξ ἐθ-
νῶν πιστεύσασιν εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν,
χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη. *Apoſtoli & Presbyteri*
omnibus qui ex Gentibus in Dominum Ie-
ſum Chriſtum crediderunt, gratia vobis &
pax. Alibi *b*; Ἡμεῖς νῦν ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενό- b *l.6. c.*
μενοι Πέτρος καὶ Ἀνδρέας, Ἰάκωβος καὶ Ἰω- *14. in.*
άννης υἱοὶ Ζεβεδαίου· Φίλιππος καὶ Βαρθολο-
μαῖος· Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος· Ἰάκωβος Ἀλ-
φαίου, καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος,
καὶ Σίμων ὁ Κανανίτης, καὶ Ματθίας ὁ ἀντὶ
Ἰούδα καταψηφισθεὶς ἡμῖν· Ἰάκωβός τε ὁ τοῦ Κυ-
ρίου ἀδελφὸς, καὶ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος· καὶ
Παῦλος ὁ τῶν ἐθνῶν διδάσκαλος, τὸ σκεῦος
τῆς ἐκλογῆς, ἅμα πάντες, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενό-
μενοι, ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύ-
την διδασκαλίαν εἰς ἐπιστηριγμὸν τῶν τὴν
καθόλου ἐπισκοπὴν πεπιστευμένων. *Ipſi nunc*
in unum congregati Petrus, & Andre-
as, Iacobus & Ioannes Zebedæi filii, Phi-
lippus & Bartholomæus, Thomas &
Matthæus, Iacobus Alphæi, & Lebbæus
cogmomento Thaddæus, Simon Cananæus,
& Matthias qui loco Iudæ electus nobiſcum
cooptatus eſt, & Iacobus frater Domini,
idemque Hieroſolymitanus Epiſcopus, item
Paulus Doctor gentium, vas electionis: o-
mnes una, & in unum congregati ſcripſi-
mus

mus vobis Catholicam hanc doctrinam, ad fulciendum, ac confirmandum vos, quibus univerſalis epiſcopatus creditus eſt. Sic etiam libro octavo a; Ἅμα τοίνυν ὑπάρχοντες ἡμεῖς οἱ δεκαδύο τοῦ Κυρίου Ἀπόστολοι, τάσδε τὰς θείας ἡμῶν ἐντελλόμεθα διατάξεις περὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ τύπου, συμπαρόντων ἡμῖν, καὶ τοῦ τῆς ἐκλογῆς σκεύους Παύλου τοῦ συναποστόλου ἡμῶν, καὶ Ἰακώβου τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν λοιπῶν πρεσβυτέρων, καὶ τῶν ἑπτὰ διακόνων. *Nos igitur duodecim Apoſtoli, una conſiſtentes divinas has noſtras de omni Eccleſiaſtica forma conſtitutiones vobis præcipimus; nobiſcum quoque præſentibus & vaſe electionis Paulo coapoſtolo noſtro, & Iacobo Epiſcopo, ac reliquis Presbiteris, & ſeptem Diaconis.* In ultimo vero operis capite b, poſt multa in ſuperioribus ſingulorum Apoſtolorum nomine conſtituta; ἐκεῖνο δὲ κοινῇ πάντες παραγγέλλομεν· *Illud vero* (inquiunt) *omnes communiter præcipimus.* Mox cauſam, ſive occaſionem ſcriptionis afferunt, quod ſcilicet *multi diſciplinam à ſe traditam negligerent, & ordines confunderent, & ordinationem cujuſque movere auderent, dignitates rapiendo minime ſibi collatas, ac per vim poteſtatem ſibi ſumendo ea dandi aliis, quæ dare non poſſunt:* εἰκότως (inquiunt c) τὸν ἐπηρτημένον κίνδυνον τοῖς τὰ τοιαῦτα πράττουσι προειδόμενοι καὶ τὴν

a *l.* 8. *c.* 4. *init.*

b *l.* 8. *c.* 46. *in.*

c *Ibid. p.* 1041. *d.*

εἰς τὰς

εἰς τὰς θυσίας καὶ εὐχαριστίας ἀμέλειαν ἐκ τῶν ὑφ' ὧν μὴ χρὴ προσαγομένας ἀσεβῶς, παιδιὰν ἡγουμένων τὴν ἀρχιερατικὴν τιμήν, ἥτις μίμησιν περιέχει τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ βασιλέως ἡμῶν, ἀνάγκην ἔσχομεν καὶ τοῦτο παραινέσαι. *Idcirco neceſſitate compulſi ſumus, ut de hoc etiam moneremus, quia iis, qui talia committunt, periculum, ut par eſt, impendere prævidemus, negligi etiam ſacrificia & euchariſtias, quod ab illis adhibeantur, quibus non eſt fas, qui ludicrum & jocularem putant honorem Pontificalem, qui imitationem continet magni Pontificis Ieſu Chriſti noſtri Regis.* Sed & iſti Διαταγεῖς Apoſtolorum ut nomina, ita & geſta, actuſque omnes ſibi conſtanter tribuunt; ſe partim piſcatores, partim publicanos, partim tabernaculorum contextores *a* fuiſſe profi- a *l.2.c.*
tentur: ſe à Chriſto vocatos eſſe; ei, qua 63.*init.*
nocte captus eſt, adfuiſſe, hymnum de more ceciniſſe *b*; à reſuſcitato miſſos cum b *l.5.c.*
mandato docendi omnes gentes, & bapti- 13.*d.*
zandi eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti *c*: ſe cum Chriſto reſuſcitato c *l.7.c.*
quadraginta dies verſatos eſſe *d*; Eundem 41.*extr.* d *l.6.c.*
ante oculos ſuos in cœlum ſublatum *e*: ſe 29.
miſſum ab eo Spiritum die Pentecoſtes ac- e *l.7.c.*
cepiſſe, repletoſque eſſe ejus operatione, 29.
& novis linguis locutos *f*: Se à Cajapha f *l.5.c.*
& Alexandro & Anna ſæpius pro Chriſto 20.
plagas

plagas accepiſſe *g* : ſibi à Simone Mago oblatas fuiſſe pecunias *h*; ſuos denique eſſe qui à Luca perſcripti in Eccleſiis leguntur actus; ſua, ſuorumque diſcipulorum quatuor Chriſti Euangelia *i*; ut cætera mittam Apoſtolũ, quę iſti paſſim ſibi vendicant *k*. Itaque ſi vera ſunt, quæ iſti narrant, dubitandum non eſt, quin ipſi Domini Chriſti Apoſtoli fuerint. Non eſſe autem iſtos, qui ſic in Conſtitutionibus loquuntur, veros Domini Apoſtolos, ſole meridiano clarius eſt. Nam ut hinc ordiar, ſi iſti revera fuiſſent ii, quos ſe eſſe profitentur Domini Ieſu Apoſtolos; agnoviſſet eos Eccleſia maxime vetus ac Chriſtianiſmi initiis proxima, proque Apoſtolis habuiſſet. Non agnoviſſe autem eos pro Apoſtolis Eccleſiam Chriſtianam, vel Latinam vel Græcam, vel veterem vel recentem, inde clariſſime intelligitur, quod has iſtorum diataxes certum eſt à neutra unquam Eccleſia in ſacrorum ac divinorum librorum canonem fuiſſe relatas. Extat earum Scripturarum, quæ ſub Novo Teſtamento editæ ſunt, canon à multis Græcis Latiniſque ſive Theologis, ſive etiam Synodis, deſcriptus; ut apud veteres ab Origene, ab Athanaſio, à Gregorio Nazianzeno, ab Amphilochio, ab Hieronymo, ab Innocentio; à Synodis Laodicena, & Carthaginenſi tertia; apud recen-

g *l.* 5. *c.* 2.
h *l.* 4. *c.* 6.
i *l.* 2. *c.* 57. *d.*
k *Vide ſi placet l.* 2. *c.* 1. *&c.* 14. *&c.* 24. *&c.* 55. *L.* 3. *c.* 6. *&c.* 9. *&c.* 19. *L.* 6. *c.* 7. *&c.* 8. *&c. c.* 12. *& L.* 8. *c.* 1. *&c.* 15. *&c.* 46.

recentiores,ut reliquos taceam, à Tridentino Concilio ; Atqui nullum eſt iſtorum monumentorum, in quo Diataxes inter libros canonicos recenſitæ deprehendantur. Ipſe, eas qui obtrudit, ac tantopore commendat Bovius *a*, fatetur, nunquam obtinuiſſe *ut in canonem ſacrarum ſcripturarū referrentur*; & homo verecundus negat, *ſe iis tantam authoritatem tribuere velle*. Quæ dum ita agit, cauſam ipſe ſuam prodit atque evertit imprudens. Ea enim eſt librorum iſtorum conditio,ut eos vel ſummo, vel nullo loco eſſe neceſſe ſit. Nihil eſt medium, quo ſe de prima ſede dejecti recipere poſſint. Nam qui Apoſtolorum ſibi nomen arrogant, eos vel ſummæ dignitatis atque authoritatis inter canonicos cenſeri decet; vel ſi hoc, quod confitetur Bovius, conſequi neque poſſunt, neque debent, omnino relinquitur,ut veluti falſi ac mendaces, inuſta ultimæ impudentiæ nota, inter ficta,fabuloſaque,ac plane apocrypha relegentur. Quale enim,quæſo,iſtud eſt, quod velle videtur Bovius, ut qui liber Apoſtolicum ſe eſſe profitetur ac contendit, is fide dignus, ac verax habeatur, neque tamen in Eccleſiæ canonem referatur? Ullum-ne unquam opus pro Apoſtolico agnovit Eccleſia,quod non ſtatim in ſuarum Scripturarum canonem retulerit? Eorum-

a *Præfat.*

authoritatem affirmaret, ac probaret. *Primi* (inquit *a*) *prodeant Canones Apoſtolorũ, perpetuo conſtantique omnium Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu, atque approbatione recepti, in quorum ultimo inter eos libros, qui in Eccleſiis veluti ſacroſancti habendi ſunt, numerantur octo libri de Conſtitutionibus, authore Clemente, ſcripti Epiſcopis.* Hactenus Bovius. Non jam urgeo, quanti ſit flagitii hominem Latinum, & quidem Epiſcopum, eorum canonum authoritate niti, qui cum apud Latinæ Eccleſiæ ſcriptores ante annum 494. ne nominati quidem uſpiam reperiantur, ipſo illo anno à Gelaſio urbis Epiſcopo, totaque Romana Synodo, velut apocryphi, rejecti ac repudiati ſunt: qui ab Humberto Cardinale anno 1050. cum eos ipſi objiceret Nicetas, eodem nomine refutati ſunt: qui ab omnibus Latinis ad hunc diem conſtantiſſimo ſpreti, ac damnati ſunt, ut videre eſt apud Bellarminum *b*, Baronium *c*, & alios; Neque enim is de quo agitur canon, ex illis quinquaginta unus eſt, quos recentiores Eccleſiæ Romanæ homines probant, ſed eorum triginta quinque ultimus, quos etiam nunc iſti pro additiis & ſpuriis habent. Non exagito, quod inſigni temeritate mentitur Bovius, *iſtos Canones perpetuo, conſtantiq; omnium*

a Præfat. in Conſt. 2. verſo.

b *De ſcript. Eccl. a. 92. Clem. Rom.*

c *Ann. l. 2. a. D. 102. §. 15.*

Græco-

Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu atque approbatione receptos; qui, ſi urgeatur, è Græcis Latiniſque quatuor primorum ſæculorum ſcriptoribus ne unum quidem proferre poterit, qui eos recipiat, è ſequentibus duobus pauciſſimos: ex Latinorum vero omni ad annum 1500 memoria, prorſus neminem, qui ex Apoſtolicis illis 85 canonibus, triginta quinque poſtremos approbet, è quorum numero ſuum hunc attulit Bovius. Iſta, inquam, & alia ejuſdem generis mitto, ſeorſim in proprio opere exſequenda. Nunc te, Bovi, non ex tuorum hominum placitis, ac decretis, ſed ex tuis ipſius ſenſibus atque ſententiis convenio. Tu nobis Græcum illum à tuis omnibus rejectum canonem objectas, tu ex eo Conſtitutiones tuas conſtituere ſatagis. Tametſi id, ut dixi, flagitioſum ſit, feram tamen, ſi tu, quem laudas canonem, probas ipſe, ac ſequeris. Nunc quis non videt, quanta ſit, quamque intolerabilis, tuę frontis inverecundia, qui authores nobis affers, iiſque niti nos jubes, à quibus ipſe apertiſſime diſſentis? Illi quidem tuas Conſtitutiones *inter ſacroſanctos* (ut ais) *Eccleſiarum libros numerant*, hoc eſt, ut nos ex ipſis audivimus, in Scripturarum novi Teſtamenti canone poſt Euangelia & Epiſtolas, ante

authoritatem affirmaret, ac probaret. *Primi* (inquit *a*) *prodeant Canones Apoſtolorũ, perpetuo conſtantique omnium Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu, atque approbatione recepti, in quorum ultimo inter eos libros, qui in Eccleſiis veluti ſacroſancti habendi ſunt, numerantur octo libri de Conſtitutionibus, authore Clemente, ſcripti Epiſcopis.* Hactenus Bovius. Non jam urgeo, quanti ſit flagitii hominem Latinum, & quidem Epiſcopum, eorum canonum authoritate niti, qui cum apud Latinæ Eccleſiæ ſcriptores ante annum 494. ne nominati quidem uſpiam reperiantur, ipſo illo anno à Gelaſio urbis Epiſcopo, totaque Romana Synodo, velut apocryphi, rejecti ac repudiati ſunt: qui ab Humberto Cardinale anno 1050. cum eos ipſi objiceret Nicetas, eodem nomine refutati ſunt: qui ab omnibus Latinis ad hunc diem conſtantiſſimo ſpreti, ac damnati ſunt, ut videre eſt apud Bellarminum *b*, Baronium *c*, & alios; Neque enim is de quo agitur canon, ex illis quinquaginta unus eſt, quos recentiores Eccleſiæ Romanæ homines probant, ſed eorum triginta quinque ultimus, quos etiam nunc iſti pro addititiis & ſpuriis habent. Non exagito, quod inſigni temeritate mentitur Bovius, *iſtos Canones perpetuò, conſtantiq; omnium Græco-*

a Præfat. in Conſt. 2. verſo.

b *De ſcript. Eccl. a. 92. Clem. Rom.*

c *Ann. l. 2. a. D. 102. §. 15.*

Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu atque approbatione receptos; qui, ſi urgeatur, è Græcis Latiniſque quatuor primorum ſæculorum ſcriptoribus ne unum quidem proferre poterit, qui eos recipiat, è ſequentibus duobus pauciſſimos: ex Latinorum vero omni ad annum 1500 memoria, prorſus neminem, qui ex Apoſtolicis illis 85. canonibus, triginta quinque poſtremos approbet, è quorum numero ſuum hunc attulit Bovius. Iſta, inquam, & alia ejuſdem generis mitto, ſeorſim in proprio opere exſequenda. Nunc te, Bovi, non ex tuorum hominum placitis, ac decretis, ſed ex tuis ipſius ſenſibus atque ſententiis convenio. Tu nobis Græcum illum à tuis omnibus rejectum canonem objectas, tu ex eo Conſtitutiones tuas conſtituere ſatagis. Tametſi id, ut dixi, flagitioſum ſit, feram tamen, ſi tu, quem laudas canonem, probas ipſe, ac ſequeris. Nunc quis non videt, quanta ſit, quamque intolerabilis, tuę frontis inverecundia, qui authores nobis affers, iiſque niti nos jubes, à quibus ipſe apertiſſime diſſentis? Illi quidem tuas Conſtitutiones *inter ſacroſanctos* (ut ais) *Eccleſiarum libros numerant*, hoc eſt, ut nos ex ipſis audivimus, in Scripturarum novi Teſtamenti canone poſt Euangelia & Epiſtolas, ante

authoritatem affirmaret, ac probaret. *Primi* (inquit *a*) *prodeant Canones Apoſtolorũ, perpetuo conſtantique omnium Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu, atque approbatione recepti, in quorum ultimo inter eos libros, qui in Eccceſiis veluti ſacroſancti habendi ſunt, numerantur octo libri de Conſtitutionibus, authore Clemente, ſcripti Epiſcopis.* Hactenus Bovius. Non jam urgeo, quanti ſit flagitii hominem Latinum, & quidem Epiſcopum, eorum canonum authoritate niti, qui cum apud Latinæ Eccleſiæ ſcriptores ante annum 494. ne nominati quidem uſpiam reperiantur, ipſo illo anno à Gelaſio urbis Epiſcopo, totaque Romana Synodo, velut apocryphi, rejecti ac repudiati ſunt: qui ab Humberto Cardinale anno 1050. cum eos ipſi objiceret Nicetas, eodem nomine refutati ſunt: qui ab omnibus Latinis ad hunc diem conſtantiſſimo ſpreti, ac damnati ſunt, ut videre eſt apud Bellarminum *b*, Baronium *c*, & alios; Neque enim is de quo agitur canon, ex illis quinquaginta unus eſt, quos recentiores Eccleſiæ Romanæ homines probant, ſed eorum triginta quinque ultimus, quos etiam nunc iſti pro addititiis & ſpuriis habent. Non exagito, quod inſigni temeritate mentitur Bovius, *iſtos Canones perpetuò, conſtantiq; omnium*

a *Præfat. in Conſt. 2. verſo.*

b *De ſcript. Eccl. a. 92. Clem. Rom.*

c *Ann. l. 2. a. D. 102. §. 15.*

Græco-

Græcorum, multorum Latinorum Patrum conſenſu atque approbatione receptos; qui, ſi urgeatur, è Græcis Latiniſque quatuor primorum ſæculorum ſcriptoribus ne unum quidem proferre poterit, qui eos recipiat, è ſequentibus duobus pauciſſimos: ex Latinorum vero omni ad annum 1500 memoria, prorſus neminem, qui ex Apoſtolicis illis 85 canonibus, triginta quinque poſtremos approbet, è quorum numero ſuum hunc attulit Bovius. Iſta, inquam, & alia ejuſdem generis mitto, ſeorſim in proprio opere exſequenda. Nunc te, Bovi, non ex tuorum hominum placitis, ac decretis, ſed ex tuis ipſius ſenſibus atque ſententiis convenio. Tu nobis Græcum illum à tuis omnibus rejectum canonem objectas, tu ex eo Conſtitutiones tuas conſtituere ſatagis. Tametſi id, ut dixi, flagitioſum ſit, feram tamen, ſi tu, quem laudas canonem, probas ipſe, ac ſequeris. Nunc quis non videt, quanta ſit, quamque intolerabilis, tuę frontis inverecundia, qui authores nobis affers, iiſque niti nos jubes, à quibus ipſe apertiſſime diſſentis? Illi quidem tuas Conſtitutiones *inter ſacroſanctos* (ut ais) *Eccleſiarum libros numerant*, hoc eſt, ut nos ex ipſis audivimus, in Scripturarum novi Teſtamenti canone poſt Euangelia & Epiſtolas, ante

Apoſtolorum actus locant. Tu vero, Bovi, quid cenſes? *Nunquam* (inquis) *obtinuerunt, ut in Canonem ſacrarum Scripturarum referrentur; neq; nos eis tantam authoritatem tribuere volumus*. Ergo, inquam, tuo ipſius judicio, ſtraminei ſunt, vel lutei, aut (ut verius dicam) nulli tui illi Apoſtoli, quos nuper Conſtitutionum opus in canone Scripturarum collocantes oſtentabas, quos tu ſcilicet ſi vere Apoſtolos, ſi eorum decretum ab omni Eccleſia *perpetuo conſtantique conſenſu receptum* putares, nunquam dixiſſes Conſtitutiones, quod iis in illo decreto defertur, id nunquam *obtinuiſſe*; neque tu iis id *authoritatis* negaſſes. Apage ergo, quem tu refigis, canonem. Abſit, ut cujus tu ipſe *authoritatem* tam ſecure contemnis, ac proculcas, eum nos aliquo loco ac numero habeamus. Sed quam in illius authore, licet impoſtore, laudamus prudentiam atque conſtantiam, in te ſane deſideramus. Ille enim, qui quas pro Apoſtolicis habet Conſtitutiones, eas in ſcripturarum canonem refert, ſibi quidem hactenus conſtat, & ſuæ hypotheſi conſentanea loquitur. Idque etiam faciunt Æthiopes, qui hoc idem opus, ut pro Apoſtolico habent, ita & in Scripturarum canone cenſent. Tu, non modo cum vero, ſed etiam tecum ipſe pugnas

gnas, qui quas velut vere Apoſtolicas nobis venditas, eas tamen Conſtitutiones in Sacrarum Scripturarum canonem referri non vis. Eas ergo vel canonicas cum Apoſtolis illis tuis aſſere, ſi vere Apoſtolicas eſſe defendis; vel certe nobiſcum *Apoſtolicas* nega, ſi canone eas ſacro merito excludi fateris. Non potes utrumque tenere, ut & Apoſtolicæ ſint, & extra canonem ſint. Itaque cum (exceptis modo novitiis Abyſſinis, & tuis illis ſtramineis Apoſtolis, canonis 85. conditoribus) omnis eas Eccleſia extra canonem Scripturarum, vel te ipſo fatente, habuerit, neceſſario relinquitur, ut concedas, ne Apoſtolicas quidem eſſe Conſtitutiones tuas.

CAP. VI.

Argumentum II. contra conſtitutiones, quod totus eorum ſermo, quà à vocibus, quà à vocum συντάξει ab Apoſtolico charactere abhorreat, multaque contineat ab Apoſtolis aliena.

IPSÆ vero, etiam ſepoſito hoc totius Eccleſiæ de iis judicio, ſatis per ſe loquuntur ac clamant; ſe non fuiſſe *ab Apoſtolis* ſcriptas; & hoc quod in quadam operis parte mentiuntur, in aliis fortiter, ac inelu&abiliter refellunt. Nimirum id mendacii fatum eſt, ut

nunquam ſibi conſtare queat. Tam multa vero ſunt in iſtis Conſtitutionibus, quæ authorem Apoſtolis eas impudenter affingentem, mendacii coarguunt, ut, ne nimium prolixi ſimus, pluribus miſſis, pauca tantum de hoc genere prolaturi ſimus. Sermo ipſe imprimis Apoſtolos eſſe, qui loquuntur, negat; & vocibus ſcatens ab eorum uſu alienis, & non eo more, modoque compoſitus, qui plurimũ ab omni virorum divinorum charactere abhorret. Voces quidem innumerabiles, in Conſtitutionibus occurrunt nihil minus, quam Apoſtolicæ; ut exempli gratia, *νεοφώτιστος* a pro *recens baptizato*, *μύησις*, pro *baptiſmo*, *μυηθεὶς* vel *μεμυημένος*, pro *baptizato*, *ἀμύητος* a pro *baptiſmi experte*, b *χειμαζόμενος*, pro *dæmoniaco*, *κατηχούμενος*, & in eodem ſenſu *ἀκροώμενος* c, *catechumenus* & *audiens*, *θυσία ſacrificium*, & *θυσία ἀναίμακτη* pro *Euchariſtia*, *ἀρχιερεὺς* d *Pontifex* pro Epiſcopo, *ἱερεῖς* e *ſacerdotes*, pro Epiſcopis & presbyteris, *ἀρχιερατικὴ ἀξία* pro *Epiſcopatu*, *ἱερατικὸς κατάλογος* f, *ſacerdotum catalogus*, *θυσιαστήριον* g, *altare*, pro *menſa Domini*, Eccleſia *καθολικὴ*, *οἰκουμενικὴ*, *Ἀποστολικὴ*, *catholica*, *œcumenica*, *Apoſtolica*, *διδασκαλία καθολικὴ* h, *doctrina Catholica*. Has voces, quæ apud Conſtitutionum authorem:

a *l.* 2. *c.* 10. *l.* 8. *c.* 6. *a.* & *c.* 7. *d.* & *c.* 10.
b *l.* 7. *c.* 26. *extr.*
c *l.* 8. *c.* 7. & 12. *in.*
d *l.* 8. *c.* 12.
e *l.* 8. *c.* 13. *extr.* & *paſſim.* *l.* 8. *c.* 46.
f *l.* 3. *c.* 15. *b.* *l.* 7. *c.* 42. *b.* *l.* 8. *c.* 7. & *c.* 12. *init.*
g *l.* 8. *c.* 12. *p.* 1046. & *alibi paſſim.*
h *l.* 6. *c.* 14. *c.*

rem : crebro occurrunt, quaſque in iis quos dixi , ſenſibus Eccleſiæ ſequentium temporum familiares fuiſſe confiteor, nuſquam à Scriptoribus divinis ſic uſurpatas fuiſſe ex iis, quæ ſuperſunt veris & indubitatis illorum monumentis ſatis conſtat. Tale etiam eſt ἐνσωματώσεως a *incorporationis* vocabu- a *l. 3. c. 5.*
lum, pro quo Græci ἐνσάρκωσιν & ἐνανθρώ- *Ibid.*
πησιν crebrius poſtea dixerunt : Item μοναρχίας pro unius Dei imperio, Gentilium & hereticorum πολυθεύτητι oppoſito. Mitto μαχοσύμβουλος b, & παστοφορεῖα c, non b *l. 3. c. 6.*
tantum Apoſtolis, ſed etiam vetuſtiſſimis c *l. 8. c.*
omnibus Chriſtianiſmi Scriptoribus igno- *13. extr.*
ta. Huc quoque illud pertinet, quod noſtri Διαταγεῖς *epiſcopi & presbyteri* vocabula, ſemper velut ſenſu, ac ſignificatione diſtincta, ſeorſim, nunquam promiſcuè uſurpant; quin & diſerte monent, eſſe inter *hæc nomina differentiam* , & quidem hujuſmodi, quæ *rerum* iis ſignificatarum *differentiam oſtendat*, eaque ratione ſe iis uſos eſſe: ἴστε γὰρ πάντως (inquiunt *d*) ἐπι- d *l. 8. c.*
σκόπους παρ' ἡμῶν ὀνομασθέντας καὶ πρεσβυτέ- *46. pag.*
ρους καὶ διακόνους εὐχῇ καὶ χειρῶν ἐπιθέσει, τῇ *1042. c.*
διαφορᾷ τῶν ὀνομάτων καὶ τὴν διαφορὰν τῶν πραγμάτων δεικνύοντας. *Scitis enim plane eos , qui à nobis per orationem, & manuum impoſitionem Epiſcopi, presbyteri & diaconi nominati ſunt, differentia nominum differen-*

ferentiam rerum declarare. Atqui & jam pridem monuerunt veteres non pauci, & confitentur hodie pœne omnes, & verò res ipſa clariſſime docet *epiſcopi, presbyterique* nomina ab Apoſtolis nullo diſcrimine uſurpari; ut videre eſt in eorum & actis *a* & epiſtolis, præcipue Paulinis. Huc etiam illud refero, quod noſtri Διαταγεῖς pro *Euchariſtia* interdum dicunt τὰ ἀντίτυπα βασιλείου σώματος καὶ αἵματος, *antitypa regii corporis & ſanguinis:* interdum vero ſimpliciter τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα *corpus & ſanguinem* b, (Domini ſcilicet) quæ utraq; Euchariſtię nomenclatura, ut ut ſequentibus temporibus apud Patres frequens, nuſquam in libris vere Apoſtolicis occurrit. De priori nulla eſt controverſia. Sed neque de poſteriori eſſe debet. Narrant (fateor) Apoſtoli, Chriſtum de pane Euchariſtico dixiſſe *c*, *hoc eſt corpus meum*; ajunt ipſi *hunc panem eſſe participationem corporis Domini*; adeoque quicunque *panem hunc manducaverit indigne, eum corporis Domini reum fore, non dijudicantem corpus Domini, judicium ſibi manducare.* Nomen ipſum *corporis Domini* nunquam pro Euchariſtia ponunt.

a *Act.* 20. 17. 27. *Phil.* 1. 1. *Tit.* 1. 5. 8. 1. *Pet.* 5. 1. 2. & 3. *Ioan.* 1. *L.* 1. *Conſt. c.* 29. & *l.* 7. *c.* 26.

b *l.* 2. *c.* 33. & *alibi ſæpe.*

c 1. *Cor.* 10. 16. & 11. 27. 29.

Atque hæc de ſingulis vocibus. Jam ſi earum Syntaxin, & diſpoſitionem, & totam, quæ inde exurgit, orationis ideam ſpectes,

ſpectes, immanem reperies τῆς Διαταγῶν ab Apoſtolis diſcrepantiam. Horum enim oratio ſimplex eſt, inerudita, neque ſolum plebeia, ſed pœne etiam ruſticana; & à rhetoricis ornamentis uſque adeo aliena, ut vix Grammaticam paulo ſeveriorem ferat; Ebraïſmis, & aliis barbariſmis ſcatens, ſola rerum quas eloquitur dignitate, cœleſtique quadam & apud homines inuſitata venuſtatis ſpecie majeſtatem ſuam tuetur. Noſtri vero Διαταγεῖς multo purius, & ad linguæ Græcanicæ genium & canones rectius, atque accuratius loquuntur: quia & ad rhetoricum cultum ſæpiuſculè aſſurgunt, & elegantiam præferunt etiam ſæculari eruditione non indignam. Multa obſervari poſſunt: ego unum & alterum exēplum dabo. In precatione quadam liturgica de Chriſti incarnatione ſic loquuntur *a*: εὐδόκησεν αὐτὸς γνώμῃ σῇ ὁ δημιουργὸς ἀνθρώπου ἄνθρωπος γενέσθαι, ὁ νομοθέτης ὑπὸ νόμους· ὁ ἀρχιερεὺς ἱερεῖον, ὁ ποιμὴν πρόβατον. Quæſo te, quid iſtis cultius, ac venuſtius dicere potuit vel Baſilius, vel Gregorius, vel Chryſoſtomus, vel de eruditiſſimorum grege quivis? Quid illa dicam, quæ paulo poſt de eodem argumento ſequuntur *b*? γέγονεν ἐν μήτρᾳ παρθένου ὁ διαπλάσσων πάντας τοὺς γεννωμένους· καὶ ἐσαρκώθη ὁ ἄσαρκος, ὁ ἀχρόνως γεννηθεὶς, ἐν χρόνῳ γεγέννηται. Tum mox

a *l.* 8. *c.* 12. *p.* 1019. *a.*

b *ibid. b.*

mox; τροφῆς καὶ ποτοῦ καὶ ὕπνου μεταλαβὼν ὁ τρέφων πάντας τοὺς χρήζοντας τροφῆς, Et illa quę continuo de Chriſto ſubjiciuntur, ſane pulcherrima; τὴν ἄγνοιαν ἐφυγάδευσε, τὴν εὐσέβειαν ἀνεζωπύρωσε· τὸ θέλημά σου ἐπλήρωσε· τὸ ἔργον, ὃ ἔδωκας αὐτῷ, ἐτελείω-

a *Ibid. c.* σε. Neque inferiora ſunt, quę ſequuntur *a*: κριθεὶς ὁ κριτὴς, καὶ κατακριθεὶς ὁ σωτήρ· σταυρῷ προσηλώθη ὁ ἀπαθής· καὶ ἀπέθανεν ὁ τῇ φύσει ἀθάνατος· καὶ ἐτάφη ὁ ζωοποιός.

b *Ibid. d.* Hęc vero etiam ſuaviſſima *b*; εὐχαριστοῦμέν σοι Θεὲ παντοκράτορ, οὐχ ὅσον ὀφείλομεν, ἀλλ'

c *l. 8. c. 15. p. 1024. c.* ὅσον δυνάμεθα. Sed & illa de Deo alibi quam magnifica *c*! ὁ πανταχοῦ ὢν, καὶ τοῖς πᾶσι παρὼν, καὶ ἐν οὐδενὶ ὡς ἐνόντι ὑπάρχων, ὁ τόποις μὴ περιγραφόμενος, ὁ αἰῶσι μὴ περατούμενος, ὁ λόγοις μὴ περιαγόμενος, ὁ γενέσει μὴ ὑποκείμενος, ὁ φυλακῆς μὴ δεόμενος, ὁ φθορᾶς ἀνώτερος, ὁ τροπῆς ἀνεπίδεκτος, ὁ φύσει ἀναλλοίωτος. Hæ & alię id genus Græcanicæ ſermonis deliciæ paſſim in Conſtitutionibus obviæ ſatis produnt, qui ſic loquuntur, eos nihil minus eſſe, quam veros Chriſti Apoſtolos, ab hujusmodi orationis ornamentis alieniſſimos.

d *Matth. 26. 77.* Iſtos Διαλαλεῖας *loquela manifeſtos facit*. Merito quoque, ut mihi quidem videtur, dubitaveris, an ſit Apoſtolorum gravitate ac ſimplicitate digna ille ſane lepida, ſed tamē frigida, ac pœne puerilis noſtrorum Διαλαλεῖων

de

de vagis & avaris, ac per alienas domos diſ-
curſantibus viduis, paronomaſia *a*, διὰ τὸ μὴ a *l.* 3. *c.* 6.
χήρας, ἀλλὰ πήρας αὐτὰς ὑπάρχειν ἑτοίμους *b.*
εἰς τὸ λαμβάνειν. Sunt & quædam in Con-
ſtitutionum ſermone inepta, quæ vix ad
ſenſum probabilem revocaveris; quale il-
lud eſt, quod in primo libro occurrit ſane
joculare; quo loco Διαταγεῖς, poſtquam è
lege hæc verba deſcripſerunt, οὐκ ἀπομα-
δαρώσετε τοὺς πώγωνας ὑμῶν, *Non radetis*
barbas veſtras, τοῦτο γὰρ (inquiunt *b*) γυναι- b *l.* 1. *c.* 3.
ξὶν εὐπρεπὲς ὁ κτίσας ἐποίησε θεὸς· ἀνδράσι δὲ *extr.*
ἀναρμόσιον ἐδικαίωσε. *Hoc enim* (nimirum
barbas radere) *mulieribus quidem decorum*
fecit; viris vero indecorum ac inhoneſtum
conſtituit Creator Deus. Quaſi ſcilicet bar-
bas etiam ſequior ſexus habeat. Sed & in-
terdum boni illi Διαταγεῖς aſſumtæ perſonæ
obliti, omnino ſic loquuntur, ut loqui eos
decet, qui poſt Apoſtolorum tempora vi-
vunt. Verbi gratia, quodam loco ita lo-
quentes inducuntur Apoſtoli *c*; καὶ γὰρ διὰ τῆς
ἐπιθέσεως τῶν ἡμετέρων χειρῶν ἐδίδοτο πνεῦμα c *l.* 2. *c.*
ἅγιον τοῖς πιστεύουσι. *Siquidem per impoſiti-* 41. *pag.*
onem manuum noſtrarum dabatur Spiritus 865. *d.*
Sanctus credentibus. Cur dicunt *dabatur?*
quaſi tum cum loquerentur *dari* deſiiſſet?
Cur non dicunt *datur?* cũ conſtet, Apoſto-
los, quandiu vixerunt, ſpiritum per manu-
um impoſitionem dediſſe? Nimirum im-
po-

poſtor artis ſuæ immemor , non quod falſæ, id eſt aſſumptæ, ſed quod veræ, id eſt ſuæ perſonæ conveniebat, id dixit imprudens; eo ſcilicet tempore vivitis, quo extinctis jam pridem Apoſtolis, vigere in Eccleſia deſierat illud Apoſtolicum ſpiritus per manuum impoſitionem conferendi donum. Ideo dixit *dabatur*; veluti de re , quæ olim quidem fuerat , nunc vero deſierat; non dixit *datur* ; quod proculdubio dixiſſent Apoſtoli , ſi ipſi verè hæc eſſent loquuti. Hujus loci alter ille geminus eſt , in quo impoſtor Apoſtolos de ſua in examinandis iis , quos Eccleſiæ miniſtros ordinabant , diligentia ſic facit loqui ; οὐ γὰρ ὁ βουλόμενος παρ' ἡμῖν ἐπλήρου τὴν χεῖρα, ὥσπερ ἐπὶ τῆς κιβδήλου τῆς δαμάλεων ἐπὶ τοῦ Ἱερόβοαμ παρακεκομμένης ἱερωσύνης, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *Neq; enim quicunque volebat, apud nos manum implebat, ut in illo falſo, & adulterino ſacerdotio vitularum, rege Hieroboam, ſed qui vocabatur à Deo.* Nemo non videt, iſtos ſi vere Apoſtoli eſſent, dicturos fuiſſe, *non qui vult apud nos manum implet; ſed qui à Deo vocatur.* Impoſtorem ipſa rerum veritas invitum, ac repugnantem à fabulæ ſuæ inſtituto abduxit , & quod ſuo non dramati ſed ſæculo congruebat, id dicere coegit, *non quicunque volebat, apud nos manum*

num implebat; quod, ut liquet, de re tantum præterita, ac deſita ſic dicitur; non autem de ea, quæ nunc quoque fit & viget. Ejuſdem commatis eſt, quod ubi de Paſchate poſt vernum ęquinoctium celebrando præcipiunt, ſuam ipſi novitatem produnt, ita loquentes *a*; *μηκέτι δὲ παρατηρούμε-* a *l.5.c.*
νοι μετὰ τῶν Ἰουδαίων, non amplius cum Iudæis 16.*init.*
obſervantes, Paſcha ſcilicet. Hæc verba hominum ſunt poſt ea tempora viventium, quibus tametſi perperam, uſitatum tamen fuerat apud Chriſtianos Paſcha cum Iudęis celebrare; Id autem ſecundo tertioque ſæculis apud omnes Aſianos ſolenne uſitatumque fuiſſe omnes ſciunt: Ergo his verbis noſtri Διαταγεῖς imprudentes fatentur, ſe poſt illa tempora vixiſſe; eademque adeo opera negant ſe eſſe Apoſtolos, qui ſcilicet non poſt, ſed ante utrumque illud ſæculum vixerunt. Alibi noſtri Διαταγεῖς de hæreticis Iudaïzantibus verba facientes, de iis perinde loquuntur, quaſi qui antehac fuerint *b*; *ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν ἔλεγον μόνου δεῖν*
φάσκοντες χορείου ἀπέχεσθαι· τὰ δὲ κατὰ νόμον κα- b *l.6.c.*
θαρὰ ἐσθίειν· καὶ περιτέμνεσθαι νομίμως. Alii 10.*c.*
vero ex illis dicebant ſola ſuilla abſtinere oportere; iis verò veſci, quæ ſecundum legem pura ſunt, & ex lege circumcidi. Tum de aliis multo impudentioribus; *ἄλλοι δὲ* (inquit) *ἀναίδην ἐκπορνεύειν καὶ παραχρᾶσθαι*

δεῖ τῇ σαρκὶ ἐδίδασκον. *Alii docebant ſine ullo pudore ſcortandum & carne abutendum.* Nimirum, iis temporibus vixit impoſtor, quibus utrique illi hęretici apud Chriſtianos eſſe deſierant. Itaque ſcenæ ſuæ oblitus, velut de re præterita loquitur, *dicebant, docebant*; non quod fabulæ conveniebat, velut de præſenti, *dicunt, docent.* Unde certo certius deprehenditur, impoſtorem, non modo Apoſtolico ſæculo non vixiſſe, ſed etiam multis poſt id temporibus extitiſſe; cum conſtet, illas, quas memorat hæreſes, non niſi poſt Apoſtolorum mortem extinctas fuiſſe. Omnem vero ſtultitiam ſuperat, quod in ſequenti volumine occurrit *a*: περὶ δὲ τῶν ἐφ' ἡμῶν χειροτονηθέντων
a l. 7. c. ἐπισκόπων ἐν τῇ ζωῇ τῇ ἡμετέρᾳ γνωρίζομεν
47. d. ὑμῖν. *De Epiſcopis vero, qui à nobis dum viximus*, vel, *in vita noſtra, ordinati ſunt, certiores vos facimus.* Clamat hic locus, iſtos, qui hęc loquuntur, vixiſſe; eaque poſt mortem, vel certe in ipſo mortis limine loquentes induci. Nam ſi tum adhuc vivebant, ac valebant; ſi in unum è diverſis orbis partibus locum convenerant; quid opus fuit iſta ab iis addi ἐν τῇ ζωῇ τῇ ἡμετέρᾳ, *in vita noſtra*, vel, *dum viximus?*

Caput

CAP. VII.

Argumenta contra Conſtitutiones à rebus ipſis petita; ut arg. III. quod ab Apoſtolica veritate aliena ſint, quæ Conſtitutiones de Dei Filio, deque Spiritu Sancto identidem philoſophantur. Bovii ad hanc objectionem inanis cavillatio refellitur.

SED hæc è ſermone petita falſimoniæ argumenta, tametſi per ſe gravia, tamen quod præ iis, quæ ſequuntur, levia videri poſſunt, non urgebimus nos quidem acrius. Ad res ipſas veniamus, in quibus multa ſunt, ac propemodum innumerabilia, quę hos Conſtitutionum libros certiſſime demonſtrant aliorum quorumvis potius eſſe, quam Apoſtolorum. Nos quædam libabimus; ac ut diſputatio certo ordine procedat, argumenta ad tria capita revocabimus; quorum primum ea continebit, quæ ad *dogmata* pertinent; alterum, quæ ad *diſciplinam*; tertium, quæ ad *hiſtoriam*.

In dogmatis primum illud longe ſane graviſſimum notetur, quod cum veri Apoſtoli Dominum Chriſtum eſſe affirment τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας, *Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula*, id noſtri Διαταγεῖς præfractè negant, & hæreticis a l. 6. c.
exſertè tribuunt *a*; ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν αὐτὸν εἶναι 25. d.

τοῦ Ἰησοῦν τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν ὑποπτεύουσιν. *Alii ex iis* (hæreticis) *ſuſpicantur ipſum Jeſum eſſe Deum ſuper omnia.* Hæreticus ergo, ſi iſtis credimus, Paulus; hæretica omnis Eccleſia, quæ id ipſum, quod illi nunc hæreticorum eſſe defendunt, conſtantiſſime contra Arianos, Photinianos & Ebionæos aſſeruit; Chriſtum ſcilicet ſummũ eſſe Deum. Neque vero audiendi, qui Διατάγέας excuſant; quaſi hæc eorum verba Sabellianos, & alios Filii perſonam una cum Patris perſona impiè miſcentes ac confundentes pulſarent. Acciperent excuſationem, ſi de aliis doctoribus ageretur: quos ſcio in hac cauſa interdum ita peccaſſe, ut Dionyſium Alexandrinum, verbi gratia, qui dum totus in Sabellium, quem oppugnabat, incumberet, ad Arium, quem non videbat, incautus delatus videtur. Nunc cum de Apoſtolis quęratur, quos certum eſt medium conſtanter tenuiſſe, neque ita unquam unum errorem oppugnaſſe, ut alteri oppoſito faverent, nihil valet hæc iſtorum cauſificatio. Eo ipſo non fuiſſe iſtos Apoſtolos liquet, quod ſic incaute & temere loquantur; Ariique furori aperte faveant. Neque ſane in veris ac indubitatis Apoſtolorum ſcriptis periculoſas id genus locutiones, aut ſententias reperire eſt, quales interdum in Patrum, alioqui orthodoxorum, libris occurrunt. Nimirum

rum hi humano, illi vero divino ſpiritu re-
gente ſua ſcribebant. Itaque venia, atque
excuſatione his quidem nunquam, illis vero
aliquando opus eſt. Non ſunt ſaniora, quæ
alibi quoque de Filio philoſophantur *οἱ*
Διαταγεῖς, quē fingunt *a*, *ὑπηρετούμενον τῷ θεῷ* a l. 5. c.
αὐτοῦ καὶ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν, 20. p.
miniſtrantem Deo ſuo, ac Patri ad rerum 936. b.
omnium creationem. Quorum iſta in ulti-
mo operis volumine ſimilia ſunt, *Dominus* b l. 8. c.
noſter, ac Deus Ieſus Chriſtus εἰς πάντα ὑπη- 12. p.
ρετησάμενός σοι τῷ θεῷ αὐτοῦ καὶ πατρὶ, εἴς τε 1018. d.
δημιουργίαν διάφορον, καὶ πρόνοιαν κατάλληλον,
οὐ περιεῖδε τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπολλύμε-
νον, tibi Deo ſuo, & Patri per omnia inſer-
viens, tum in varia creatione rerum, tum in
providentia cujuſque earum accommodata,
genus hominum periens non deſpexit. Eo-
dem & hæc pertinent in alia Conſtitutio-
num parte, ubi de creatore loquentes pſeu-
do-*διαταγεῖς*, *γινώσκομεν* (inquiunt *c*) *ὅτι οὐχ* c l. 5. c. 6.
ὕλης ἦν ἐνδεὴς, ἀλλὰ βουλήσει μόνῃ, ἃ προσετά-
γη ὁ Χριστὸς, ταῦτα καὶ παρήγαγε. Scimus non
indiguiſſe illum materia, ſed ſola voluntate
effeciſſe, quæ Chriſtus juſſus eſt facere. Sic
alibi diaconum Chriſto, epiſcopum Patri
more ſuo comparantes, *ὅσα δὲ δύναται*
(inquiunt *d*) *εὐθυνέτω δι' ἑαυτοῦ, λαβὼν παρὰ* d l. 2. c.
τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἐξουσίαν, ὡς ὁ Κύριος παρὰ 44.
τοῦ πατρὸς τὸ δημιουργεῖν. Verum quæcunque

poteſt, facta ab Epiſcopo poteſtate, moderetur per ſe, diaconus, *ſicut Chriſtus poteſtatem creandi à Patre accepit.* Hæ vero ſunt, non Apoſtolorum, ſed Arianorum voces; qui, ut notum eſt, Chriſtum in mundo creando Patris miniſtrum ac inſtrumentum fuiſſe volebant; ut merito his locis cenſoriam notam in antiquiſſimo codice appoſuerit vetus ille Criticus, de quo eſt apud Turrianum. Atque ad ultimum quidem locum, hæc ejus erant, Turriano referente, verba, βλάσφημον· γυμνὸς γὰρ σαρκὸς οὐ προσετάγη ὁ υἱὸς, *Blaſphemum. Filius enim carnis expers* (id eſt, antequam carnem indueret) *nihil juſſus eſt.* Duo vero loca ſuperiora ſimilibus inuſtis ſtigmatis conpunxerat; priorem locum ita ſugillans, Οὐ δέχομαι ὑπηρετῆσαι τῷ θεῷ καὶ πατρὶ τὸν υἱὸν, ἀλλὰ σὺν αὐτῷ πάντα ποιῆσαι. *Non admitto Deo & Patri miniſtraviſſe Filium, ſed una cum ipſo omnia perfeciſſe.* Poſteriorem denique locum hac animadverſione caſtigarat; μετὰ τὴν σάρκωσιν, εἴποι ἄν τις τὴν ὑπηρεσίαν δι' αὐτὸν, οὐ μὴν πρὸ τῆς σαρκώσεως. *Poſt incarnationem quidem miniſterium quis per eum dixerit, ante incarnationem nequaquam.* Sed neq; videntur Ariana labe vacare, quæ iidem Διατάγεις de Filii generatione non ſemel effutiunt; nimirum Patrem genuiſſe Filium ante ſæcula, βουλήσει καὶ δυνάμει καὶ ἀγαθότητι,

τητι a, *voluntate, & potentia, & bonitate*; vel, ut iidem alibi loquuntur b, *τῇ εὐδοκίᾳ, beneplacito ſuo*: quæ profecto duriſſima ſunt, & ab Apoſtolicæ doctrinæ charactere aliena; quæ non voluntaria & temporali, ſed æterno & naturali actu, genitum fuiſſe Filium tradit.

a l. 8. c. 12. p. 1015. a.
b l. 7. c. 42.

Non ſunt iſtis meliora, imo multo etiam abſurdiora, quæ de Spiritus Sancti Theologia apud Diataxes reperiuntur; quæ Jeſuita Petavius, ut ſupra me dixiſſe memini, *γραώδη* merito ſane vocat: idemque alibi de hoc eodem Conſtitutionum loco verba faciens, ait, iſtum *Clementem ridiculum neſcio quid, & hæreticum de Trinitate poſuiſſe. Nam Epiſcopum* (inquit c) *in Eccleſia eſſe inſtar Dei Patris ait; Diaconum itidem, ut Chriſtum qui Patri aſſiſtit, & in omnibus miniſtrat. Quæ, ſi Chriſtus ut homo eſt conſideretur, non improbe dicta videri poſſunt.* (Filio autem etiam, qua Deus eſt, tribui à fictitio Clemente *τὴν ὑπηρεσίαν*, ex iis quæ nuper attulimus, liquido patet.) Pergit Petavius; *Sed* (inquit) *peſtilens eſt, quod addit*, Diaconiſſam figuram habere Spiritus Sancti, quæ nihil ſine Diacono facere debeat, aut loqui; quemadmodum neque Paracletus à ſe ipſo aliquid loquitur, aut facit; ſed Chriſtum glorificans voluntatem illius expectat.

c Theol. Dogmat. T. 2. l. 1. c. 3. §. 7.

Quod quidem Macedonianum pus, ac venenum ſapit. Verba Conſtitutionum hęc

a *l.* 2. *c.* 26. ſunt *a*; ὁ δὲ διάκονος τούτῳ παριστάσθω, ὡς ὁ Χριστὸς τῷ πατρὶ, καὶ λειτουργείτω αὐτῷ ἐν πᾶσιν ἀμέμπτως, ὡς ὁ Χριστὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ποιῶν οὐδὲν, τὰ ἀρεστὰ ποιεῖ τῷ πατρὶ πάντοτε· ἡ δὲ διάκονος εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος τετιμήσθω ὑμῖν, μηδὲν ἄνευ τοῦ διακόνου πράττουσα ἢ φθεγγομένη, ὡς οὐδὲ ὁ παράκλητος ἀφ' ἑαυτοῦ τι λαλεῖ, ἢ ποιεῖ, ἀλλὰ δοξάζων τὸν Χριστὸν περιμένει τὸ ἐκείνου θέλημα. Hæc & Macedonianæ pravitatis, & ridiculæ ineptiæ plena, nemo, niſi delirans, Apoſtolis tribuerit. Neque alibi magnificentius de Spiritu Sancto loquuntur οἱ Διαταγεῖς,

b *l.* 3. *c.* 17. *extr.* cum eum *à Chriſto doceri* dicunt *b*, noſque in eum, non tanquam in Dominum Deum, quod rectum erat, ſed tantum velut in teſtem, novo & inaudito dogmate, bapti-

c *l.* 5. *c.* 6. zari affirmant: Mandatum (inquiunt *c*) à Chriſto accepimus βαπτίσαι εἰς τὸν αὐτοῦ θάνατον ἐπὶ αὐθεντίᾳ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων, ὅς ἐστιν αὐτοῦ πατὴρ· καὶ μαρτυρίᾳ πνεύματος, ὅς ἐστι παράκλητος, *baptizare in mortem ejus in authoritate Dei univerſorum, qui eſt ejus Pater; & in teſtimonio Spiritus Sancti, qui eſt Paracletus*; Quaſi verò vel non univerſorum quoque Deus una cum Patre ſit Spiritus Sanctus, vel non ejus æque ac Patris, αὐθεντίᾳ baptizemur, qui in nomine

mine unius Dei, Patris, Filii, ac Spiritus Sancti baptizamur. Eodem pertinent, quæ iidem alibi de baptiſmo habent *a*; *τοῦ πατρὸς ἡ μνήμη ὡς αἰτίου καὶ ἀποστολέως, τοῦ πνεύματος ἡ συμπαράληψις, ὡς μάρτυρος.* *Fit patris commemoratio, tanquam cauſæ & emiſſoris; Spiritus coaſſumptio, ut teſtis.* Deniq; Patrem alio loco ajunt *b* leges Eccleſiæ dediſſe per adventum Chriſti in carne *ὑπὸ μάρτυρι τῷ παρακλήτῳ*, *Sub teſte Paracleto*; quaſi Spiritus in Filii œconomia & Eccleſiæ ædificatione non aliæ fuerint, quam teſtis partes. Quo & illud pertinet, quod Patrem in ultimo operis libro *c* *Spiritus Dominum* vocant; *πρὸ πάντων αὐτοῦ θεὸς καὶ πατὴρ, ὁ τοῦ πνεύματος Κύριος*, *Ante omnia Deus ac Pater* Filii, *Dominus Spiritus.* Ita & alibi prædicant *d* *ἕνα θεὸν ἑνὸς υἱοῦ πατέρα, οὐ πλειόνων. ἑνὸς παρακλήτου διὰ Χριστοῦ τῶν ἄλλων ταγμάτων ποιητὴν*, *unum Deum unius Filii, ac non plurium Patrem, unius Paracleti per Chriſtum, aliorum ordinum effectorem*; quæ vix aliter interpretari licet, niſi Patrem ſtatuas Spiritus Sancti per Chriſtum vel *ποιητὴν*, vel certe *πατέρα*, quod utrumque eſt ab omni Apoſtolorum & doctrina & ſermone alienum. Atque ex his patet, quam vere Arianum huic Scriptori crimen jam inde à Photii temporibus objectum ſit, quamque

a *l.* 5. *c.* 17.

b *l.* 8. *c.* 5. *p.* 1005. *a.*

c *l.* 8. *c.* 37. *init.*

d *l.* 6. *c.* 11. *p.* 946. *a.*

a *cod.* 113. frustra ſit Photii *a* ſpes, qui hanc ab eo criminationē tametſi ægre, ac nonniſi *βιαίως*, depelli tamen poſſe cenſet. Ipſe certe Bovius, cujus magnę ſunt hę Diataxes deliciæ, b *Præfat.* fateri cogitur *b*, videri aliquando earum authorem *de Spiritu Sancto exiliter loqui, de Verbo quoque duriores quaſdam interdum voces fundere*. Ac ille quidem *iſta defendi omnia poſſe* putat, ſuamque *propriam habere rationem, atque ſententiam.* Mihi vero, quanquam fortaſſe haud difficile futurum ſit σοφὰ iſtius φάρμακα diluere, & quęcunque ad ſuos Διαταγέας excuſandos comminiſcitur, ea refutare, tamen non libet in cauſſa ab ipſo Petavio aperte damnata diutius immorari. Unum libet à Bovio quærere, (ut alios concedamus, quanquam orthodoxos, vel animi aliquo affectu, vel alicujus cauſſæ ſtudio abreptos aliter nonnunquam loqui, quam decet) an Apoſtolorum ſit, qui nihil niſi ex Spiritus Sancti afflatu, ac dictamine ſcripſerunt, de primis ac maximis Euangelii myſteriis vel *exiliter*, vel *dure* loqui? Abſit vero, ut de fidei noſtræ ducibus, ac magiſtris tam abjecte, tamque (quod iſte ait) *exiliter* ſentiamus. Tertullianum, & Athenagoram, & Iuſtinum, & Dionyſium Alexandrinum, & alios non paucos, antequam Arii certaminibus excitatæ Eccleſia accuratiſſime hanc Theolo-

giæ

Digitized by Google

giæ partem excuſſiſſet, multa incautius dixiſſe non nego; neque in iis explicandis, ac molliendis Bovii & aliorum operam aſpernor: qua in re luculentum ſuæ in Dionyſium caritatis exemplum poſteris reliquit Athanaſius. Ut idem Apoſtolis quoque contigerit, vel contingere potuerit! ut quorum oratio fidem noſtram conſtituit, ii veniam, & excuſationem noſtram deſiderent, ac poſcant; non equidem concedo; non quiſquam, ut opinor, dederit Chriſtianus. Quod ergo Διαταγέων voces *duræ* ſunt, quod *exiles*, & infra rerum majeſtatem dejectæ; quod mendicata Bovii aut Turriani induſtria, vel Photii βιαίοις commentis egent adhoc, ne Arianæ, ac Macedonianę videantur; id ipſum, inquam, magnum & idoneum argumentum eſt, ad id quod defendimus, confirmandum, non eſſe ſcilicet Chriſti Apoſtolos illos Bovii ac Turriani Διαταγέας. Sed ad cætera nunc pergamus! in quibus palam eſt iſtos ab Apoſtolis diſſentire, quæ neque pauca, neque levia ſunt.

Caput VIII.

Arg. IV. ab aliis non paucis, quæ habent Conſtitutiones ab Apoſtolico dogmate aliena: ut, de conjugio, quod parum honeſtè tractant; de heri cum ancilla fornicatione, quam culpa liberant. Parum honeſta Bovii defenſio refutatur.

a 1. Cor. 7. 39. VERBI gratia, cum veri Chriſti Apoſtoli doceant *a*, *liberam eſſe quamcunque mulierem, cujus vir dormiit, & modo in Domino, nu-*
b Rom. 7. 3. *bere ei cui voluerit* licere; Item *b*, *Si fuerit mortuus vir ejus, liberatam eſſe à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio*
c Heb. 13. 4. l. 3. c. 2. *viro*; denique *d*, *honorabile eſſe conjugium in omnibus, & thorum immaculatum*; Boviani contra Apoſtoli conjugium infamant, ac novo neſcio quo ſpiritu perciti decernunt, τριγαμίαν ἀκρασίας σημεῖον εἶναι, τὸ δ᾽ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν προφανῆ πορνείαν, καὶ ἀσέλγειαν ἀναμφίβολον, *tertium conjugium intemperantiæ ſignum eſſe, quartum vero conjugium & deinceps, manifeſtam eſſe ſcortationem, & indubitatam impudicitiam*. Iſta vero non tantum falſo, ſed etiam impudenter, ac præter diſertam Pauli ſententiã dicta ſunt; quæ quam ille mulierem adulterii clariſſime abſolvit, eam inverecundiſſime ſcortationis ac impudicitiæ damnant.

Sed

Sed neque de ſecundis nuptiis multo honeſtius ſenſiſſe videntur; qui unius uxoris conjugium Dei in creatione legi conſentaneum probant; ſecundas nuptias per diſpenſationem quandam tolerant magis, quam probant. Poſtquam enim ea, quæ recitavimus dixerant, continenter hæc ſubjiciunt; *ὁ γὰρ θεὸς μίαν γυναῖκα ἑνὶ ἀνδρὶ δέδωκεν ἐν τῇ δημιουργίᾳ. ἔσονται γὰρ οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· νεωτέραις δὲ μετὰ τὴν τοῦ πρώτου τελευτὴν συγκεχωρήσθω καὶ ὁ δεύτερος, ἵνα μὴ εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου ἐμπέσωσι. Deus enim unam uxorem dedit viro,* Erunt, inquit, duo in carnem unam. *Adoleſcentioribus vero mortuo primo marito ſecundus concedatur, ne in judicium diaboli incidant.* Vides iſtos ſecundas nuptias, non ut per ſe legitimas, ac honeſtas, conſtituere, ſed ferre ut minus noxias quam ſcortationem; & eos hactenus tantum junioribus viduis concedere ac indulgere, ne in crimina graviora labantur.

Sed qui ſunt in conjugium, rem honeſtiſſimam, ſeveri ac contumelioſi, iidem alibi in fornicationem præter modum mites, ac indulgentes, ancillis concedunt, ut heris infidelibus, modo ſolis, morigerentur *a*; *παλλακή τινος ἀπίστου δούλη, ἐκείνῳ μόνῳ σχολάζουσα, προσδεχέσθω· εἰ δὲ καὶ πρὸς ἄλλους ἀσελγαίνει, ἀποβαλλέσθω. Pellex, infidelis*

a *l.* 8. *c.* 32. *p.* 1032. *c.* Bov. *c.* 38.

delis ancilla, ſoli Domino obſequens recipiatur. Si cum aliis intemperans fuerit, rejiciatur. Hæc ſcilicet Paulus decrevit? has ille leges tulit? qui & quorumvis fornicationem paſſim in veris libris *a* abominatur, & cuivis fornicatori judicium à Deo minatur? Atque hæc ipſa Bellarminus *b* quidem, ut dignum erat, in iſtis Conſtitutionibus denotavit. Bovii vero me pudet, uſque adeo inverecundi, ut in ſuorum Διαζαγέων gratiam hoc libidinis decretum tueri, ac defendere non dubitet; *Cum* (inquit) *ancilla ſui corporis poteſtatem non habeat, merito culpa non in eam, ſed in dominum eſt rejicienda.* Plane dignus ſuis Apoſtolis Bovius, qui ancillas heris, etiam ad flagitia, ac libidines, morigeras eſſe vult. Ille vero hac lege etiam turpiora ſervis adoleſcentibus pati concedet; modo non alii quam hero obſequantur. Non enim hi magis, quam ancillæ, corporis ſui poteſtatem habent. Severior vero eſt Chriſti, quam Bovii, & Bovianorum Apoſtolorum Lex: ex illius enim diſciplina, nemini neque libero neque ſervo, corpus, quod Dei & Spiritus Sancti eſt, libidinibus polluere licet. Hanc ille ſuis omnibus libertatem dedit, ut cujuſvis, quantumcunque præcellentis, libidini adverſentur; eique & in Dei offenſionem, & in ſuæ carnis contumeliam, morem,

a *Heb.* 13. 4.
b *De Script. Eccleſ. in Clem.*

Digitized by Google

rem, gerere detrectent. Hoc ſibi jus, hoc fas eſſe intellexit jam olim Ioſephus; cui ex Boviano jure licebat heræ ſuæ furiis ſuccumbere; erat enim ejus ſervus; & culpam flagitii in dominam *merito rejeciſſet*; ex Bovio quidem. Decernit enim cum ſuis Apoſtolis bonus, ac ſane humanus Epiſcopus, carnis ſervilis jus penes Dominorum libidinem eſſe. Si ancillam, nulla ſua voluntate, ſed una heri vi oppreſſam flagitii abſolveret, non equidem repugnarem. Neque enim decet qui per vim inviti ac reluctantes aliquid patiuntur, iis ſuam miſeriam fraudi eſſe, aut in crimen verti. Sed longe aliud eſt, quod volunt Boviani Apoſtoli. Ajunt enim, non, *Si pellex vim ab hero paſſa fuerit*, Sed, *Si ei ſoli* χολάζει, *obſequitur*, vel *dat operam*, quod ſignificat eam non plane nolentem viro non ſuo morigerari. Huc accedit, quod ſi mulierem vi compreſſam intelligerent, tam eam admitterent, cui a pluribus vis allata eſt, quam cui ab uno hero; Atqui aliter inſtituunt. Admittunt enim eam, quæ cum uno hero rem habet; eam rejiciunt, quæ cum aliis, præter herum. Ergo eam intelligunt, quæ volens hero obſequitur. Et tamen mulierem hujuſmodi noſtri Διατάγεις in Chriſti Eccleſiam admittunt; hoc eſt, pellicem & concubinam. Quid Paulus? Ille vero, qui

omnes

omnes ſemel *fornicarios* regno Dei excludit, ne dubites, quin & hanc pellicem fuerit rejecturus. Ergo quicquid affirmet cum ſuis Apoſtolis Bovius, non eſt hic Διατάγεὺς Paulus.

Caput IX.

Arg. V. Negant Conſtitutiones vere miniſtros eſſe, qui vel improbitate vel inſcitia laborant. Refelluntur Bovii inanes apologiæ. Arg. VI. Conſtitutiones baptiſmum hæreticorum valere negant, adeoque rebaptizant ab hæreticis quibusvis tinctos.

Sed & illud cum Apoſtolico dogmate pugnat, quod in Conſtitutionibus legitur *a*, & ab authore operis in Matthæum *b* imperfecti ex canonum Apoſtolorum (ſic enim loquitur) libro octavo citatur: οὔτε ἐπίσκοπος ἀγνοίᾳ ἢ κακονοίᾳ πεπιεσμένος ἐπίσκοπός ἐστιν, ἀλλὰ ψευδώνυμος, οὐ παρὰ θεοῦ, ἀλλὰ παρὰ ἀνθρώπων προβληθείς. *Neque Epiſcopus ignorantia, aut malo animo oppletus Epiſcopus eſt, ſed falſus Epiſcopus, non à Deo, ſed ab hominibus promotus.* At conſtans eſt Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicis ſcripturis conſentanea ſententia, etiam improbum hominem, legitime vocatum, vere tamen miniſtrum eſſe. Bellarminus hunc

a *l.* 8. *c.* 2. *b.*

b *Hom.* 53.

hunc in Conſtitutionibus errorem diſerte notavit *a*: *Jubent* (inquit) *rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de cauſa quia hæretici non ſunt ſacerdotes.* Bovius vero reſpondet, non hanc ſuorum Διαταγῶν mentem eſſe, ut velint ignaros, vel improbos ſacerdotis *amittere poteſtatem, quam in ordinatione acceperunt, ſed eos* (inquit *b*) *negant eſſe Epiſcopos, quatenus officia ac munera, quibus funguntur, non ſunt grata atque accepta Deo, imo neque electio ipſorum ei tribuitur, ſed hominibus. Sunt igitur hi Epiſcopi quo ad poteſtatem; non ſunt Epiſcopi, quo ad Deum attinet, quia inſtitutiones ipſorum atque officia, quæ poſtea exercent, non ſunt probata Deo.* Sed Bovium palam eſt ingenio ſuo abuti, & lectoribus fucum facere. Primo enim pravum, aut ignarum Epiſcopum poteſtate muneris carere, eo clare ſignificant αἱ Διαταγαὶ, tum quod illum *Epiſcopum* eſſe negant, qui ſi poteſtatem Epiſcopalem haberet, vere Epiſcopus eſſet: tum quod ajunt, eum eſſe ψευδώνυμον, hoc eſt falſi nominis Epiſcopum, revera autem nequaquam Epiſcopum. Qui vere Rex eſt, poteſtatemque regiam vere habet, eum nemo vel negaverit Regem eſſe, vel ψευδώνυμον, hoc eſt, nominis falſi regem eſſe dixerit. Sed & illud falſum

a *l. de Script. eccl. in Clem.*

b *Annot. in l. 8. c. 1.*

ſum eſt quod addit Bovius, *electionem improborum miniſtrorum Deo minime tribui*: Quorum enim electio legitima eſt, & ex Eccleſiaſticis canonibus rite inſtituta, nihil eos prohibet dici à Deo ad miniſterium electos; quantumvis alioqui τῇ κακονοίᾳ laborent. Chriſtus ſane Judæ, quo nemo fuit ſceleſtior, electionem ad Apoſtolatum, ſibi ipſi diſerte tribuit; *Nonne ego vos* (inquit a) *duodecim elegi*; *& ex vobis unus diabolus eſt?* Officia vero epiſcopatus, quæ hujuſmodi miniſtri exercent, per ſe ac ſeorſim ſpectata, ut bona ſunt, ita & hactenus Deo grata, ac probata, licet vitium, quo epiſcopi animus ea inficit, Deo ſummopere diſpliceat. Iſta enim ſunt à ſe invicem diligenter diſtinguenda, teſte ac authore Paulo; qui cum nonnulli Chriſtum prædicarent, malo animo b *propter invidiam*, *& contentionem*, eorum quidem vitioſos affectus, ut par eſt, damnat, atque abominatur; opus ipſum, ſcilicet, Dominicam prædicationem, probat atque exoſculatur. *Quid enim?* (inquit) *dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Faceſſant ergo Bovii gloſſæ. Manifeſtiſſime pugnant ejus διαζυγεῖς cum Apoſtolorum & Eccleſiæ doctrina, dum negant *Epiſcopum* eſſe, qui

a *Ioan.* 6. 71.

b *Phil.* 1. 17. 18.

Digitized by Google

qui *ignorantia* , aut *malo animo oppletus eſt*.

Atque hanc , quam dixi , vere iſtorum mentem eſſe , præter diſerta eorum verba, evincit alius ipſorum error, ex hoc neceſſario conſequens, ac manans ; qui & ipſe quoque à Bellarmino *a* notatus eſt. Jubent enim rebaptizari eos , qui ab hæreticis baptizati ſunt ; ſtultè , ac nequicquam , ſi putarunt , quod vult Bovius , etiam ἀγνοίᾳ vel κακονοίᾳ laborantes epiſcopos legitimam muneris poteſtatem nihilo ſecius retinere. Valent enim actus ab iis exerciti, qui poteſtate pręditi ſunt. Quam autem dixi Διαταγέων de rebaptizandis iis , qui ab impiis & hæreticis baptizati ſunt, legem, ea ſic habet *b* ; ὁμοίως καὶ βαπτίσματι ἑνὶ ἀρκεῖσθαι μόνῳ τῷ εἰς τὸν τοῦ Κυρίου θάνατον διδομένῳ , οὐ τῷ παρὰ τῶν δυσωνύμων αἱρετικῶν , ἀλλὰ τῷ παρὰ τῶν ἀμέμπτων ἱερέων διδομένῳ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· μήτε δὲ τὸ παρὰ τῶν ἀσεβῶν δεκτὸν ὑμῖν ἔστω , μήτε τὸ παρὰ τῶν ὁσίων ἀκυρούσθω διὰ δευτέρου. Mox : οἱ δὲ παρὰ ἀσεβῶν δεχόμενοι μόλυσμα κοινωνοὶ τῆς γνώμης αὐτῶν γενήσονται. οὐ γάρ εἰσιν ἐκεῖνοι ἱερεῖς. &c. οὔτε μὴν οἱ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτῶν μεμύηνται, ἀλλὰ μεμολυσμένοι ὑπάρχουσιν. *Similiter docemus, oportere contentos eſſe uno baptiſmo , qui in mortem Domini datus eſt ,*

a *l. de Script. Eccl. in Clem.*

b *l. 6. c. 15. init.*

H *non*

non illo baptiſmo, qui ab infamibus hæreticis, ſed qui à probatis ſacerdotibus tribuitur in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Itaq; neque ab impiis datus baptiſmus vobis probetur; neque à Sanctis miniſtratus, per ſecundum irritus fiat, &c. *Qui vero ab impiis accipiunt inquinamentum, erunt quoque participes animi eorum. Illi enim Sacerdotes non ſunt, &c. Quare qui ab iſtis baptizati ſunt, non baptiſmo initiati, ſed inquinati ſunt.* Hæc illi; quæ Bovius *a* non de omnium hęreticorum, ſed de eorum tantum baptiſmo accipi vult, qui ſinceram ſacramenti formam immutabant, quales Pauliniſtæ fuerant: quorum idcirco baptiſma Nicæna Synodus *b* pro irrito habet, jubens rebaptizari, qui ab iis tincti fuerant. Sed Bovium hic fugit ratio. Clarum enim eſt, Διαταγέας omnium omnino hæreticorum baptiſma reprobare, iterandumque ſciſcere. Primo enim non tantum rejiciunt τὸ παρὰ τῶν δυσωνύμων αἱρετικῶν βάπτισμα, ſed inſuper addunt, id tantum baptiſma ſuſcipiendum, ac pro ſacramento habendum, quod παρὰ τῶν ἀμέμπτων ἱερέων, *ab inculpatis*, ſive *irreprehenſibilibus ſacerdotibus miniſtratum eſt.* Ergo hæreticos hic omnes in genere intelligunt, non certum eorum genus, ut verbi gratia Paulianiſtarum: niſi forte Bovius ſolos Paulianiſtas,

a *in l.* 6. *c.* 16.

b *can.* 19.

ſtas, eorumque ſimiles, neget eſſe *ἀμέμπτους ἱερέας*, cæterorum hæreticorum ſacerdotes *inculpatos* eſſe concedat. Valere negant baptiſmum ab aliis, quam ab inculpatis miniſtris datum; Ergo neque ab ullo cujuscumq; hæreſeos miniſtro datum probant; cum conſtet, nullum, niſi orthodoxum, *inculpatum miniſtrum* vel eſſe, vel dici poſſe. Idem probant, quæ ſtatim ſubjiciunt, neque δεκτὸν eſſe baptiſmum τὸν παρὰ τῶν ἀσεβῶν, neque reprobandum τὸν παρὰ τῶν ὁσίων. Atqui omnis à quovis hæretico datus baptiſmus & eſt παρὰ τῶν ἀσεβῶν, & παρὰ τῶν ὁσίων nequaquam eſt, niſi forte Bovius aliquos hæreticos norit, qui *ſancti* ſint, *impii* non ſint. Denique addita in Conſtitutionibus ratio hoc ipſum invicte demonſtrat. Non enim, quod pro nullo habent hæreticorum baptiſma, ideo id reprobant, quod legitima ac ſincera ſacramenti forma careat; (quæ ratio, ut quivis videt, afferenda erat, ſi iſtorum ea mens fuiſſet, quam Bovius eſſe vult) ſed quod ii, à quibus id eſt adminiſtratum, ſacerdotes non ſint; οὐ γάρ εἰσιν (inquit) ἐκεῖνοι ἱερεῖς. Nulla autem ratio eſt, cur quorundam hæreticorũ miniſtri verè ſacerdotes ſint; aliorum vero non ſint. Et quem ad id probandum afferunt οἱ Διαταγεῖς Scripturæ locum, is ſiquid valet, conficit, nullos omnino eſſe

hæreticorum miniſtros, qui ſacerdotes ſint. Ita enim iſti inſtitutum probant : οὐκ εἰσιν ἐκεῖνοι ἱερεῖς· λέγει γὰρ πρὸς αὐτοὺς ὁ θεὸς, ἐπεὶ καὶ σὺ ἀπώσω γνῶσιν, ἀπώσομαί σε καὶ γὰρ τοῦ ἱερατεύειν μοι. *Non ſunt illi ſacerdotes. Dicit enim ad eos Deus; Quoniam rejeciſti,* vel *repuliſti cognitionem, & ego rejiciam te ne fungaris mihi ſacerdotio.* Nullus eſt hæreticus, qui *non rejiciat cognitionem.* Ergo nullum iſti hæreticum ſacerdotem eſſe cenſuerunt; qui hinc eos ſacerdotes eſſe negant, quod cognitionem rejiciant. Nimirum iſti, quod nuper demonſtravimus, neminem pro ſacerdote habuerunt, qui vel ἀγνοίᾳ, vel κακονοίᾳ laboraret. Vnde conſequens eſt, ut, cum baptiſmum niſi à vero ſacerdote adminiſtrari nefas exiſtimaverint, eum, non tantum qui à Paulianiſtis, ſed etiam qui à quibusvis hæreticis adminiſtratur, pro nullo planeque irrito habuerint. Quod quam ſit ab Apoſtolica fide alienum, & ipſe Bovius, & omnes cum eo adverſarii vident, ac confitentur.

Cap. X.

CAP. X.

Arg. VII. Conſtitutiones baptiſmi ritui addere non pauca Apoſtolis ignota. VIII. Conſtitutiones Euchariſtiam infantibus communicandam decernere, quod eſt ab Apoſtolica doctrina alienum. IX. De Miniſtris plurima aliter, quædam plane contra, quam Apoſtoli, docere.

IAM & illud ab Apoſtolorum doctrina alienum eſt, quod baptizandos oleo, eoſdemque poſtquam baptizati ſunt, unguento ſive chriſmate inungi præcipiunt; neque, niſi ubi olei & unguenti copia nulla eſt *a*, aliter homines baptizari conceduut. Ab Apoſtolis vero, & aliis eorundem temporum Chriſti diſcipulis ſolam aquam in baptiſmo adhibitam ex toto novo Teſtamento conſtat; idque vel Æthiopis à Philippo baptizati, quæ apud Lucam extat, hiſtoria abunde teſtatur. Is enim narrat, cum ii ad aquam quandam veniſſent, dixiſſetque Eunuchus, *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* reſpondiſſe Philippum *b*, *Si credis ex toto corde, licet*; & extemplo hominem ſuam in Chriſtum fidem profeſſum baptizaſſe. Ille vero duplicis unctionis ritus, poſt Apoſtolici ſæculi ſimplicitatem, ab aliis in Eccleſiam invectus eſt.

a *l.* 3. *c.* 15. 16. 17. *l.* 7. *c.* 23.

b *Act.* 8. 36. 37. 38.

Quid quod noſtri Διαταγεῖς & aquæ, & unguenti illius ſui myſticam per preces ſacerdotales ſanctificationem tanti faciant, ut ſine ea baptiſmum pro re inani ac ludicra habere videantur? Certe, poſtquam eas preces recitarunt, quibus & aquam & chriſma ſanctificari ab epiſcopo decernunt, continuo hæc addunt a; ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαστον

a l. 7. c. 45. τούτων ἐπίκλησις γένηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖοι· καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς. *Niſi enim unicuique horum aliqua hujuſmodi à pio ſacerdote adhibeatur invocatio, qui baptizatur in ſolam aquam deſcendit, ut Iudæi; & corporis tantum, non autem animæ ſordes deponit.* Hæc illi; quibus non video quid vel in ſanctiſſimum Chriſti baptiſma contumelioſius dici poſſit, vel à conſtanti Apoſtolorum doctrina magis alienum. Ipſe Bovius lectorem monet, ut in his verbis ſit cautus; faterurque ſan-

b *in l. c.* 44. ctificationem materiæ baptiſmi magis requiri præcepti, quam ſacramenti neceſſitate. Quæ ſi vera ſunt, apparet, etiam eum, qui aqua nulla prece ſanctificata baptizatur, animæ tamen ſordes, contra quã cenſent οἱ Διαταγεῖς, deponere, cũ hęc ſit divini ſacramenti vis, ut animam abluat. Nequid jam de unguento dicam, quod iidem, & quidem myſtica

ſtica invocatione ſanctificatum, ad hoc neceſſarium putant, ut baptizati peccata deleantur. Quod vero negat Bovius *iſtorum dictis adverſari, ut quis non adhibita ad baptiſmum aqua ſanctificata, vere ſit baptizatus, & ſi abſit contemptus vel negligentia, ſacramenti fructum conſequatur*; id, inquam, nimis inverecundum eſt. Nam Διαταγεῖς exſerte negant, ſordes animæ ab eo deponi, qui vel aqua tingitur, vel chriſmate inungitur nulla ſacerdotis invocatione ſanctificantis. Qui vero *ſordes animæ non deponit*; eum conſtat nullum ſacramenti fructum conſequi. Neque iſti de *contemptu vel negligentia*, ſed de una omiſſione ſuæ conſecrationis loquuntur. Quanquam neque illud ſatis aſſequor, cur iſtis id juris tribuat Bovius, ut quod ipſi præter Apoſtolica inſtituta huic ſacramento nulla ratione infulciant, id nemo ſine ſalutis æternæ jactura negligere poſſit, vel contemnere. Nobis ſatis eſt, quod hæc iſtorũ myſteriorum decantata in Conſtitutionibus ad baptiſmum neceſſitas, ea procul eſt à verorum Chriſti Apoſtolorum diſciplina, qui præter aquam nihil ad hoc ſacramentum aliud requirunt.

Jam quod Euchariſtiam τοῖς παιδίοις pueris & infantibus communicandam, & quidem ante populum, decernunt, id dogma

fuit (fateor) plerorumque quidem Chriſtianorum, qui tertio & ſequentibus deinceps Chriſtianiſſimi ſæculis vixerunt; Apoſtolorum tamen non fuit; qui cum neminem ad ſacram Chriſti menſam admittant, niſi *a* qui ſe ipſum probaverit, eo ipſo infantes, nondum hujus probationis per ætatem capaces, ab Euchariſtiæ participatione excludunt, quod & nos & univerſi communionis Romanæ Chriſtiani nunc magno conſenſu ſequimur. Qui ergo aliter inſtituunt Διαταγεῖς, ii non ſunt Chriſti, quod mentiuntur, Apoſtoli; ſed ſequentium ſæculorum, quibus diverſus ab Apoſtolico uſus obtinuit, homines.

a 1. *Cor.* 11. 28.

Venio ad Miniſtros, de quibus iſti multa aliter, non pauca contra, quam Apoſtoli docent. In primis cum Apoſtoli nullos alios in Eccleſia miniſtros, præter *presbyteros* (quos & *Epiſcopos* appellant) & *diaconos* memorent; conſtanterque à rerum Eccleſiaſticarum peritis conceſſum ſit, quod ab ipſo Scholæ Romanæ magiſtro diſerte perſcriptum eſt *b*, *hos ſolos miniſtrorum duos ordines Eccleſiam primitivam habuiſſe, & de his ſolis præceptum Apoſtoli nos habere*; iſti Boviani & Turrianici Apoſtoli *c* ſubdiaconos, & acoluthos, exorciſtas, lectores, & oſtiarios in ore paſſim habent, ac de eorum, non minus, quam de presbyterorum

b *l.* 4. *ſent. d.* 24. *l.* 3. *extr.*

c *l.* 2. *c.* 25. *extr.* & 28. *l.* 3. *c.* 11. *l.* 6. *c.* 17. *l.* 8. *c.* 21. *ordinatio hyſpodiaconi; lectoris* (*c.* 22.) *c.* 27. 28. 46. *p.* 1043. *b.*

Digitized by Google

rum, & diaconorum inſtitutione, munere & officiis præcipiunt. Ergo neceſſe eſt, iſtos quiqui de cætero ſint, neque Apoſtolos fuiſſe, neque Apoſtolicis temporibus vixiſſe, ſed iis, quibus poſtea *ſubdiaconos*, & *acoluthos*, cæteroſque inferioris *ordinis miniſtros Eccleſia ſibi conſtituit*, ut ait Magiſter ſententiarum *a*. a *Vt ſupra.*

Sed & hoc ab Apoſtolorum dogmate alienum eſt, quod iſti magnum & manifeſtum faciunt *presbyteri* ab *epiſcopo* diſcrimen; omnino quale ſecutis poſt Apoſtolos temporibus, tertio, quartoque ſæculis cernitur. Epiſcopum enim volunt eſſe *b* ἀρχιερέα, principem ſacerdotum, & Pontificem; b *l. 2. c. 25. extr.* presbyterum vero ἱερέα; illum inſtar Chriſti, presbyteros inſtar Apoſtolorum *c*, ὡς συμβούλους τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανον, καὶ συνέδριον καὶ βουλὼ, *ut conſiliarios Epiſcopi, & Eccleſiæ coronam, ſynedrium, & ſenatum.* c *l. 2. c. 28.* Tum omnem ordinandi, etiam minimos miniſtros, ut oſtiarios, poteſtatem presbyteris ereptam, ſolis Epiſcopis tribuunt *d*; ac ne nos iſta minus attentos fugerent, diſerte etiam monent, ſe diverſis epiſcoporum, presbyterorum, ac Diaconorum nominibus *rerum ipſarum*, ſive munerum & ordinum *differentiam declaraſſe*, ajuntque nos fortaſſe *hæc non ignorare apud ſe acta.* τὰ δὲ ἐφ' ἡμῶν ἴσως οὐκ ἀγ- d *l. 3. c. 11. 20.* e *l. 8. c. 28. & c. 46.*

νοεῖτε· ἴστε γὰρ πάντως ἐπισκόπους παρ' ἡμῶν ὀνομασθέντας καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους εὐχῇ καὶ χειρῶν ἐπιθέσει τῇ διαφορᾷ τῶν ὀνομάτων, καὶ τὴν διαφορὰν τῶν πραγμάτων δεικνύοντας. Omnia à veris Chriſti Apoſtolis aliena; qui neque *epiſcopi & presbyteri* nominibus differenter, ſed promiſcue nulloque diſcrimi-
a Tit. 1. 5. 7. ne utuntur *a* (quod & nos jam ſupra diximus, & omnes pæne veteres recentioresque confitentur) neque ullum uſpiam miniſterium Eccleſiaſticum inter diaconos & epiſcopos medium agnoſcunt; neque *χει-*
b 1. Tim. 3. 1. 8. 9. *ροθεσίαν b*, hoc eſt, manuum impoſitionem, *epiſcoporum* tantum eſſe ſciſcunt, ſed eam ipſis quoque presbyteris diſerte tribuunt;
c 1. Tim. 4. 13. ut ex Paulo conſtat *c*, qui Timotheo datam ait fuiſſe *gratiam per impoſitionem manuum presbyterii*: neque unum tantum in ſingulis Eccleſiis epiſcopum eſſe ſtatuunt, ſed plures etiam in una Eccleſia Epiſcopos diſerte nominant; ut in Eccleſia Epheſiorũ
d Act. 20. 17. 28. Phil. 1. 1. *d* & Philippenſiũ. Ex quibus ruit omnis illa Διαταγέων falſa ratiocinatio; *εἰ μὲν γὰρ* (inquiunt *e*) *μὴ θεσμός τις ἦν καὶ τάξεων διαφορὰ, ἤρκει ἂν δι' ἑνὸς ὀνόματος τὰ ὅλα τελεῖσθαι. ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Κυρίου διδαχθέντες ἀκολουθίαν πραγμάτων, τοῖς μὲν ἐπισκόποις τὰ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐνείμαμεν, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις τὰ τῆς ἱερωσύνης, τοῖς δὲ διακόνοις τὰ τῆς πρὸς ἀμφοτέρους διακονίας.* *Etenim ſi non eſſet aliqua*

e L. 8. c. 46. p. 1042. d.

liqua lex poſita, & aliquod diſcrimen ordinum, ſatis erat, uno nomine affectos omnia iſta miniſteria perficere. Verum à Domino rerum conſequentiam edocti, epiſcopis quidem quæ ſunt Pontificatus, tribuimus; preſbyteris vero, quæ ſunt ſacerdotii; diaconis deinde, quæ ad miniſtrandum utriſque pertinent. Fateor procedere argumentū de *preſbyteris & diaconis*, quorū ut res, ita & nomina clariſſime ſunt ab Apoſtolis inter ſe diſtincta; ſic ut nuſquam, qui diaconus eſt, is *presbyteri* nomine donatus in divinis litteris reperiatur; ac de *epiſcopis* & *presbyteris* idem quoque concederem, ſi eorum nomina itidem quoque ab Apoſtolis diſtincta ex veris & ſinceris eorum monumentis conſtaret. Nunc plane aliter eſt. Conſtat enim ex iis, & qui ſunt *presbyteri*, eos nulla invidia *epiſcopos a*, & qui ſunt *epiſcopi*, eos vice verſa *presbyteros b* quoque ab Apoſtolis vocatos fuiſſe. Cum ergo nomina, tametſi per ſe diverſa, unius ejuſdemque rei communia, nullam in re ſignificata differentiam conſtituant; apparet, fruſtra nominum *epiſcopi* & *presbyteri* diverſitatem à Conſtitutionum ſcriptore urgeri; quæ, ut ex ſuperioribus liquet, nullo diſcrimine ab Apoſtolis uſurpantur. Potius inde collegerim, ut unus idemque Apoſtolis eſt & *presbyter*, & *epiſcopus*; unum quoque & cun-

a *Act.* 20. 17. 28. *Phil.* 1. 1.
b *Tit.* 1. 5. 7.

Digitized by Google

eundem iis eſſe, & *presbyteratum* & *epiſcopatum*: qui cum Διαταγῶσι non ſit *unus, idemque*, profecto neceſſe eſt, iſtos alios fuiſſe, quam Apoſtolos. Sed hoc quidem, tametſi certiſſimum, & validiſſimum impoſturæ in Conſtitutionum libris argumentum, accuratius tamen in præſentia perſequi, neque libet, quod ea res longiorem diſputationem requirat; neque neceſſe eſt, cum reverendus ac doctiſſimus vir David Blondellus, frater ac collega in Domino cariſſimus, fusè nuper, ac, ut ſolet, enucliatè demonſtraverit, *epiſcopatum* iſtum ſic à presbyteratu, ut hodie fit, & jam olim à tertio Chriſtianiſmi ſæculo factum eſt, diſtinctum, rem eſſe, non Apoſtolicæ, ſed Eccleſiaſticæ, adeoque humanæ inſtitutionis.

Illud quidem certe nemo, quod reor, ſanus negaverit, omnino à veris Apoſtolis aliena eſſe, quæ noſtri Διαταγεῖς in ſuos paſſim *epiſcopos* ſine ullo pudore, aut modo, magna cum pompa congerunt dignitatis & poteſtatis elogia; adeo ea ſunt invidioſa, & typhi faſtuſque ſęcularis plena.
a l. 2. c. 11. Ajunt *a* epiſcopũ *Θεοῦ τύπον ἔχειν ἐν ἀνθρώποις τοῦ πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπηκόων, Dei exemplar apud homines habere, eo quod omnibus*

mnibus hominibus imperat, ac praeſt, ſa-
cerdotibus, REGIBUS, *magiſtratibus*,
parentibus, filiis, & cunctis pariter ſubje-
ctis. Mox *a*; Κρίνε οὖν, ὦ ἐπίσκοπε μετ᾽ ἐξουσίας, a *l.* 2. *c.*
ὡς ὁ Θεὸς, *Judica igitur, ô epiſcope, cum* 12. *in.*
poteſtate, tanquam Deus. Alibi *b*, ἄρχειν b *l.* 2.
σε χρὴ τῶν ὑπηκόων, οὐ μὴν καὶ ὑπ᾽ αὐτῶν ἄρ- 14. *p.*
χεσθαι, *Te oportet ſubjectis imperare, non* 835. *c.*
autem & tibi illos. Jubent Laïcos epiſco-
pum honorare, diligere, metuere *c*, ὡς Κύ- c *l.* 2. *c.*
ριον, ὡς Δεσπότην, ὡς Ἀρχιερέα θεοῦ, *ut Do-* 20. *in.*
minum, ut Herum, ut Pontificem Dei.
Alibi converſo ad Epiſcopos ſermone, Ὑ-
μεῖς τοῖς ἐν ὑμῖν λαϊκοῖς (inquiunt *d*) ἐστὲ προ- d *l.* 2. *c.*
φῆται, ἄρχοντες, καὶ ἡγούμενοι, καὶ βασιλεῖς, 52. *p.*
οἱ μεσῖται θεοῦ καὶ τῶν πιστῶν αὐτοῦ. *Vos eſtis ve-* 852. *c.*
ſtris Laïcis Prophetæ, Principes, Duces,
& Reges, Mediatores Dei & fidelium ejus.
Ac laïcos, ne hoc tantum myſterium ne-
ſciant, de eo diſerte ita monendos puta-
runt: ὁ ἐπίσκοπος (inquiunt *e*) ἄρχων καὶ ἡ-
γούμενος ὑμῶν· οὗτος ὑμῶν βασιλεὺς καὶ δυ- e *l.* 2. *c.*
νάστης· οὗτος ὑμῶν ἐπίγειος θεὸς μετὰ θεὸν, ὃς 26. *init.*
ὀφείλει τῆς παρ᾽ ὑμῶν τιμῆς ἀπολαύειν. περὶ γὰρ
τούτου καὶ τῶν ὁμοίων αὐτοῦ ὁ θεὸς ἔλεγεν, Ἐγὼ
εἶπα, θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες· καὶ, θεοὺς οὐ
κακολογήσεις. ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑ-
μῶν, ὡς θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος, ᾗ κρατεῖ τοῦ κλήρου,
καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς ἄρχει. *Hic Princeps & Dux*
veſter eſt; hic Rex & Dynaſta veſter; hic
poſt

poſt Deum Deus terrenus; qui honore à vobis exhibito frui debet. De hoc enim & ei ſimilibus ajebat Deus, Ego dixi, Dii eſtis, & filii altiſſimi omnes. Et, Diis populi tui non detrahes. *Epiſcopus igitur vobis præſideat, ut Dei dignitate cohoneſtatus, qua clero dominatur, & toti populo imperat.* Satin' magnifice? Audi vero & alia. Suum hunc beatum monarcham laïcos jubent accuratiſſima veneratione colere, reverenteſque habere, neque temere in tantæ majeſtatis arcanum irrumpere, ejuſve delicias, ac curas turbare; μὴ ῥᾳδίως
a l. 2. δὲ (inquiunt *a*) ἐνοχλείτωσαν τῷ ἄρχοντι.
28. d. ἀλλὰ διὰ τῶν ὑπηρετῶν, ἃ βούλονται, σημαινέτωσαν, τουτέστι διὰ τῶν διακόνων, πρὸς οὓς πλέον παῤῥησιαζέτωσαν. *Caveant vero, ne facile Principi ſuo obſtrepant; quia potius quæ volent, per miniſtros, id eſt, per diaconos, ſignificent, cum quibus audacius ac fidentius agant.* Obſecro, nonne iſti videntur aliquem vel veterum Perſarum, vel hodiernorum Abyſſinorum Regem, vel barbarici ſupercilii ſatrapam, potius quam Chriſtianum Epiſcopum effingere, à cujus limine ita diligenter omnem turbam ſummovent? in cujus conſpectum nullos de plebe pios per ſe venire patiuntur? cum quo quemquam niſi per interpretem, ac mediatorem colloqui nefas putant? ac ſi

totus Dei populus plane profanum ſit vulgus, epiſcopali numine, ac obtutu indignum? Sed ne tantum homuncionibus deferri indigneris, cavent, & ſuæ hujus legis rationem addunt, ſane bellam, ac commodam, & quam nemo dubitaverit ex Apoſtolorum animo, atque ore manaſse: οὐδὲ γὰρ (inquiunt) τῷ παντοκράτορι θεῷ προσελθεῖν ἔστιν, ἐὰν μὴ διὰ τοῦ Χριστοῦ· οὕτως οὖν καὶ οἱ λαϊκοὶ πάντα, ὅσα βούλονται, διὰ τοῦ διακόνου φανερὰ τῷ ἐπισκόπῳ ποιείτωσαν, καὶ οὕτω κατὰ τὸ δοκοῦν ἐκείνῳ ἐπιτελείτωσαν. *Neque enim ad omnipotentem Deum accedere licet, niſi per Chriſtum. Ad hunc ergo modum quæcunque volunt laïci, per Diaconum Epiſcopo indicent, atque ita ut ei videbitur agant*, Hæc vero quis patienter audiat? nefas eſſe Epiſcopum niſi per Diaconum convenire, quod neque Deus adiri, niſi per Chriſtum poſſit? Quaſi ſcilicet vel Diaconus Chriſtus. Atqui licebit hoc exemplo concludere, & epiſcopatum & diaconum, perquem aditur, utrumque *adorandum* eſſe; qui honos ſcilicet & Deo & Chriſto habetur. Quæ ſi placent, (placere autem debent, ſi ſunt Apoſtolica) nullus erit Epiſcopus, qui non & Papa quoque ſit apud ſuos. Sed ecce in proximo hunc ipſum ſuis Epiſcopis cultum tantum non poſcentes Διαταγίας. Allato enim Moyſis

exemplo

exemplo, qui & *Aaronis Prophetes*, &
a l. 2. c. 29. *Pharaonis Deus* dictus eſt; διὰ τί (inquiunt *a*) μὴ καὶ ὑμεῖς τοὺς μεσίτας ὑμῶν τοῦ λόγου προφήτας εἶναι νομίζετε, καὶ ὡς θεοὺς σεβασθήσεσθε; *Cur vos internuncios ſermonis veſtri non habetis in Prophetis, & Epiſcopos tan-*
b l. 2 c. 30. *quam Deos colitis?* Tum iſta ſubjiciunt aurea, ac plane Apoſtolica *b*; Νῦν γὰρ ὑμῖν μὲν ὁ Ἀαρὼν ἐστὶν ὁ διάκονος, Μωϋσῆς δὲ ὁ ἐπίσκοπος. εἰ οὖν ἐῤῥέθη Μωϋσῆς ὑπὸ Κυρίου θεὸς, καὶ ὑμῖν ὁ ἐπίσκοπος εἰς θεὸν τετιμήσθω· καὶ ὁ διάκονος ὡς προφήτης αὐτοῦ. *Nunc enim veſter Aaron eſt diaconus, Epiſcopus vero Moyſes veſter. Si igitur Moyſes à Domino appellatus eſt Deus, Epiſcopus à vobis in Deum honorator; & Diaconus ut Propheta ejus.* Quis jam dubitet iſtos fuiſſe Apoſtolos, qui ſic nullo negotio diaconos in Aaronem, Epiſcopos in Moyſem transformant? Neque ſaniora ſunt quæ alibi habent. Nam ne putes iis nuda honorifici cultus ſigna ſatis eſſe, ecce, ſuis Epiſcopis tributa pendi, non ſecus ac ſæculi Principibus jubent. Τοὺς ἐπισκόπους (in-
c l. 2. c. 24. init. quiunt *c*) ἄρχοντας ὑμῶν καὶ βασιλέας ἡγεῖσθαι νομίζετε, καὶ δασμοὺς ὡς βασιλεῦσι προσφέρετε. Mox; ὡς Σαμουὴλ διετάξατο πρὸς τὸν λαὸν περὶ τοῦ βασιλέως, ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Βασιλειῶν, καὶ Μωσῆς περὶ τῶν ἱερέων ἐν τῷ Λευϊτικῷ· οὕτω καὶ ἡμεῖς ὑμῖν περὶ τῶν ἐπισκόπων διατασσό-

τασσό-

ταττόμεθα. Tum paulo poſt; εἰ δὲ δεῖ καὶ τι προσθεῖναι τῷ λόγῳ, πλεῖον οὗτος (ἐπίσκοπος) λαμβανέτω, ἢ ἐκεῖνος (βασιλεὺς) τὸ παλαιόν. ὁ μὲν γὰρ στρατιωτικὰ μόνα διέπει, πόλεμον καὶ εἰρήνην ἀναδεδεγμένος εἰς φυλακὴν σωμάτων, ὁ δὲ περὶ εἰς θεὸν ἱερωσύνην, σῶμα καὶ ψυχὴν παραιτούμενος κινδύνων. ὅσῳ τοίνυν ψυχὴ σώματος κρείττων, τοσούτῳ ἱερωσύνη βασιλείας. Denique; διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾶν ὡς Κύριον. *Epiſcopos exiſtimate veſtros principes, hos putate* R E G E S, *his quaſi Regibus vectigalia offerte, &c. Ut enim Samuel in primo Baſileion libro de Rege præcepit populo, & Moyſes de ſacerdotibus in Levitico; ſic nos vobis de Epiſcopis decerminus*, &c. *Imo ſiquid amplius dicendum eſt, plus hic* (Epiſcopus) *accipiat, quam ille* (Rex) *olim accipiebat. Siquidem ille militaria tantum adminiſtrabat, bello & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis; hic vero ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, ut pericula ab anima & corpore propulſet. Quanto* a *ergo anima corpore præſtantior eſt, tanto eſt ſacerdotium regno excellentius*, &c. *Quocirca Epiſcopum oportet ut patrem diligere, ut regem metuere, ut Dominum honorare.* Tum quot, quantaque Epiſcopis offerenda ſint ediſſerunt: *Decimæ ac primitiæ frumenti,*

a *Id quoque docent l. 6. c. 2.*

menti, vini, olei, pomorum, lanæ, fructus, & opera manuum noſtrarum. Ac ne cui gravis ſit iſta de Moſaico fœdere repetita
a l. 2. c. lex, monent *a* à cęteris quidem Moyſis vin-
35. in. culis, ac oneribus fuiſſe nos per Chriſtum liberatos; à *penſionibus* & *tributis* ſacerdotio ſolvendis non fuiſſe liberatos. Idque memorabili ſane epicheremate ex illo Chriſti dicto concludunt; *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quaſi illa, quam Chriſtus in nobis abundare vult, juſtitia nihil aliud ſit, quam τὸ πλέον ἡμᾶς πρόνοιαν ποιεῖσθαι τῶν ἱερέων, καὶ τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν χηρῶν, *majorem,* quam habuerunt Phariſæi, *ſacerdotum, & pupillorum, & viduarum curam habere;* hoc eſt, plura iis largiri, quam Judæi olim ſuis ſacerdotibus ex lege pendebant. Cæterum, cave putes velle iſtos, ut Chriſtiani ſuorum bonorum partem aliquam ipſi per ſe viduis, ac pupillis diſtribuant. Non hæc ita intelligunt. Nos noſtra Epiſcopis largiri volunt; Epiſcopos ea pro ſuo arbitrio in egenos diſtribuere *b*; σὲ μὲν γὰρ διδόναι προσ-
b Ibid. b. ήκει. οἰκονομεῖν δὲ ἐκεῖνον (ἐπίσκοπον) ἅτε οἰκονόμον, καὶ διοικητὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων· οὐ μὲν τοι λογιστεύσεις σὺ τὸν ἐπίσκοπον. *Te quidem largiri decet; illum vero diſpenſare, tanquam œconomum, ac Eccleſiaſtica-*

ſiaſticarum rerum adminiſtratorem. Cave tamen ne epiſcopum ad rationes voces. Denique alibi ſacerdotium ſupra regnum iterum evehunt, ὅσῳ γδ' (inquiunt *a*) ἱερωσιών a *l.6.c.2.*
βασιλείας ἀμείνων περὶ ψυχῆς ἔχουσα τὸν ἀγῶνα, *in.*
τοσούτῳ καὶ βαρυτέραν ἔχει τὴν τιμωρίαν ὁ ταύτῃ τολμήσας αὐτοματεῖν, ἤπερ ὁ τῇ βασιλείᾳ. *Quantum enim ſacerdotium regno præſtat, utpote pro anima certans, tanto graviores pœnas debet, qui audet vel nutu oculorum huic adverſari, quam qui regno.* Hæc quidem Boviani Apoſtoli. Chriſti vero Apoſtoli plane aliud docent: ut non ſit lux à tenebris magis diverſa, quam hi ab illis. Illi Epiſcopum eorum, quibus præeſt, regem, dynaſtam, dominum, herum, Deum
denique eſſe ſciſcunt: Hi contra exſertè b *Matth.*
negant, Epiſcopum b *dominari ſuis*, aut 20. 25.
poteſtatem in eos exercere inſtar Principum; *Luc.* 22.
Ajunt ἐπισκοπεῖν, ποιμαίνειν, *providere*, & 25.
paſcere, non *dominari* in gregem. Ipſi ſe, 1. *Pet.* 5.2.
qui Epiſcopis multo majores erant, profi- 2 *Cor.* 1.
tentur, non *fidei Chriſtianorum dominari*, 25.
ſed *adjutores gaudii eorum*, imo & δούλους 2. *Cor.*
ſervos eorum eſſe; divinę familiæ *œconomos*, 4.5. 1. *Cor.*
& *diſpenſatores myſteriorum Dei*. Illi Ec- 4.1.
cleſiam Epiſcopi eſſe volunt, ut regnum 1. *Cor.* 3.
Regis: Hi ſe, ſuaque omnia, Eccleſiæ eſſe 22. 23.
affirmant; Eccleſiam vero unius Chriſti. Illi Epiſcopis *vectigalia*, ac *tributa* à Chri-

Digitized by Google

ſua paſcunt, ii victum a grege accipiant, (quod nemo negat) non probant (quod volunt οἱ Διαταξεῖς) *primitias* ac *decimas* eſſe illis ſolvendas. Verum de re ipſa nunc quidem non diſputo. Aliud eſt quod urgeo. Nam decimas ac primitias, qui deberi Eccleſiæ miniſtris contendunt, eas illi ex jure non Moſaico, ſed naturali repetunt. Noſtri Διαταγεῖς aliter. Concedunt, eas eſſe jugi Moſaici, ac, ut loquuntur, τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, aſcitorum vinculorum partem, quibus prior olim populus illigatus, ac implicitus tenebatur. Tum ſumunt, à cæteris quidem jugi illius Moſaici, id eſt legis cæremonialis, partibus fuiſſe nos liberatos, ab hac parte, id eſt à primitiarum decimarumque debito exſolutos fuiſſe negant. Diſerta ſunt hæc eorum verba *a*; χρὴ δὲ ὑμᾶς γινώσκειν, ὅτι εἰ καὶ ἐῤῥύσατο ὑμᾶς Κύριος τῆς δουλείας τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, καὶ ἐξήγαγεν ὑμᾶς εἰς ἀνάψυξιν, μηκέτι ἐάσας ὑμᾶς θύειν ἄλογα ζῶα περὶ ἁμαρτιῶν καὶ καθαρισμοῦ καὶ ἀποπομπαίων καὶ λουτρῶν συνεχῶν, καὶ περιῤῥαντηρίων, οὐ δήπου καὶ τῶν εἰσφορῶν ὑμᾶς ἐλευθέρωσεν, ὧν ὀφείλετε τοῖς ἱερεῦσι. *Atque hoc vos ſcire oportet, quod tametſi vos Dominus à ſervitute aſcitorum vinculorum liberarit, indeque in refrigerium vos eduxerit, qui non permiſit amplius brutas pecudes pro peccatis immolare, liberarit, inquam*

a *l.* 2. *c.* 35. *in.*

ab

ab emundationibus, à victimis emiſſariis, à lavationibus aſſiduis, ab aſperſionibus, nondum tamen & à penſionibus vos liberavit, quas debetis ſacerdotibus. Penſiones intelligunt [a] τῶν ἀπαρχῶν, τῶν δεκάτων, καὶ τῶν ἀφαιρεμάτων, de quibus proxime dixerat. Hoc vero quod iſti ſtatuunt, non fuiſſe nos Chriſti beneficio ab omni cæremonialis legis parte liberatos, ab Apoſtolorum ſenſu, ac doctrina alienum eſt; qui nos ab omni hoc jugo plane, penitusque liberatos fuiſſe locis ſexcentis docent; ut vel ex una Pauli ad Galatas epiſtola ſole meridiano clarius patet.

[a] *Ibid. c. 34. extr.*

Iam quæ ab iſtis fertur de clericorum conjugio lex, plane mira, ac ſingularis eſt; & ab Apoſtolorũ, & ab Eccleſiæ Romanæ dogmate ac ſenſu pariter aliena. Nam *Epiſcopos, presbyteros, & diaconos,* poſtquam ii ordinati ſunt, uxorem ducere vetant; quod eſt præter Apoſtolicam doctrinam; eoſdem, ſi jam tum cum ordinarentur, mariti eſſent, uxoribus uti non prohibent; quod cum dogmate ac uſu Romano pugnat. Subdiaconis vero, quos ὑπηρέτας & hic & alibi vocant, & cantoribus, & lectoribus, & janitoribus, etiam poſtquam in clerum aſciti ſunt, uxores ducere permittunt, quod etiam à Romanis moribus abhorret. Quod vero & iſtis perinde ac majorum ordinum clericis, nuptias iterare, viduaſve, aut ancillas,

ſua paſcunt, ii victum a grege accipiant, (quod nemo negat) non probant (quod volunt οἱ Διαταγεῖς) *primitias* ac *decimas* eſſe illis ſolvendas. Verum de re ipſa nunc quidem non diſputo. Aliud eſt quod urgeo. Nam decimas ac primitias, qui deberi Eccleſiæ miniſtris contendunt, eas illi ex jure non Moſaico, ſed naturali repetunt. Noſtri Διαταγεῖς aliter. Concedunt, eas eſſe jugi Moſaici, ac, ut loquuntur, τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, aſcitorum vinculorum partem, quibus prior olim populus illigatus, ac implicitus tenebatur. Tum ſumunt, à cæteris quidem jugi illius Moſaici, id eſt legis cæremonialis, partibus fuiſſe nos liberatos, ab hac parte, id eſt à primitiarum decimarumque debito exſolutos fuiſſe negant. Diſerta ſunt hæc eorum verba *a*; χρὴ δὲ ὑμᾶς γινώσκειν, ὅτι εἰ καὶ ἐῤῥύσατο ὑμᾶς Κύριος τῆς δουλείας τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, καὶ ἐξήγαγεν ὑμᾶς εἰς ἀνάψυξιν, μηκέτι ἐάσας ὑμᾶς θύειν ἄλογα ζῶα περὶ ἁμαρτιῶν καὶ καθαρισμοῦ καὶ ἀποπομπαίων καὶ λουτρῶν συνεχῶν, καὶ περιραντηρίων, οὐ δήπου καὶ τῶν εἰσφορῶν ὑμᾶς ἐλευθέρωσεν, ὧν ὀφείλετε τοῖς ἱερεῦσι. *Atque hoc vos ſcire oportet, quod tametſi vos Dominus à ſervitute aſcitorum vinculorum liberarit, indeque in refrigerium vos eduxerit, qui non permiſit amplius brutas pecudes pro peccatis immolare, liberarit, inquam*

a l. 2. c. 35. in.

ab

Digitized by Google

ab emundationibus, à victimis emiſſariis, à lavationibus aſſiduis, ab aſperſionibus, nondum tamen & à penſionibus vos liberavit, quas debetis ſacerdotibus. Penſiones intelligunt a τῶν ἀπαρχῶν, τῶν δεκάτων, καὶ τῶν ἀφαιρεμάτων, de quibus proxime dixerat. Hoc vero quod iſti ſtatuunt, non fuiſſe nos Chriſti beneficio ab omni cæremonialis legis parte liberatos, ab Apoſtolorum ſenſu, ac doctrina alienum eſt; qui nos ab omni hoc jugo plane, penitusque liberatos fuiſſe locis ſexcentis docent; ut vel ex una Pauli ad Galatas epiſtola ſole meridiano clarius patet.

a *Ibid. c. 34. extr.*

Iam quæ ab iſtis fertur de clericorum conjugio lex, plane mira, ac ſingularis eſt; & ab Apoſtolorũ, & ab Eccleſiæ Romanæ dogmate ac ſenſu pariter aliena. Nam *Epiſcopos, presbyteros, & diaconos,* poſtquam ii ordinati ſunt, uxorem ducere vetant; quod eſt præter Apoſtolicam doctrinam; eosdem, ſi jam tum cum ordinarentur, mariti eſſent, uxoribus uti non prohibent; quod cum dogmate ac uſu Romano pugnat. Subdiaconis vero, quos ὑπηρέτας & hic & alibi vocant, & cantoribus, & lectoribus, & janitoribus, etiam poſtquam in clerum aſciti ſunt, uxores ducere permittunt, quod etiam à Romanis moribus abhorret. Quod vero & iſtis perinde ac majorum ordinum clericis, nuptias iterare, viduaſve, aut an-

cillas, aut repudiatas ducere vetant, id inquam & ab omnibus veris Apoſtolorum libris ac ſententiis, & à novi Teſtamenti, ſub quo degimus, genio plane eſt alienum. Mirifica autem hæc iſtorum lex ita habet *a*; μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς (epiſcopis, presbyteris, ac diaconis) μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν. ὑπηρέτας δὲ καὶ ψαλμῳδοὺς καὶ ἀναγνώστας καὶ πυλωροὺς καὶ αὐτοὺς μονογάμους εἶναι κελεύομεν. εἰ δὲ πρὸ γάμου εἰς κλῆρον παρέλθωσιν, ἐπιτρέπομεν αὐτοῖς γαμεῖν, εἴγε πρὸς τοῦτο πρόθεσιν ἔχουσιν, ἵνα μὴ ἁμαρτήσαντες κολάσεως τύχωσιν. οὐδενὶ δὲ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κελεύομεν, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ χήραν, καὶ ἐκβεβλημένην λαμβάνειν, ὡς καὶ ὁ νόμος λέγει. *Poſt ordinationem ſi uxores non habent* (epiſcopi, preſbyteri, diaconi) *præcipimus, ut non liceat amplius ducere; aut ſi antea duxerant, aliis conjungi, ſed ea, quam cum habent, ad ordinationem venerunt, contentos eſſe. Miniſtros, cantores, lectores & janitores ipſos quoque monogamos eſſe præcipimus; ſin vero ante conjugium ad clerum acceſſerint, permittimus eis, ut uxores ducant, ſi eis cordi eſt; ne, cum deliquerint, pœnas pendant. Iubemus vero, ut nullus ex clero in matrimonium accipiat amicam, vel viduam, vel repudiatam; ſicut etiam*

a l. 6. c. 17.

etiam lex ſancit. Itaque ſive tu Apoſtolos eadem cum Romanis hodiernis, quod ipſi volunt, de clericorum ſtatu ſenſiſſe ac ſtatuiſſe dixeris; ſive nobiſcum, quod verius eſt, & ipſorum veris ac indubitatis monumentis maxime conſentaneum; illud quidem hinc certum eſt, iſtos, qui aliter quam utrique inſtituimus, decernunt, Διαταγὰς, Apoſtolos nequaquam eſſe.

Sed & quæ de feſtis, eſurialibuſque diebus οἱ Διαταξεῖς paſſim præcipiunt, ea quoq; manifeſtum eſt cum Apoſtolorum dogmate pugnare. Paulus enim deſerte hęc de- a *Col* 2.
cernit; *Nemo vos* (inquit *a*) *judicet, in cibo,* 16.
aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neo- b *L.* 5.
menia, aut ſabbatorum. At iſti Διαταγεῖς *b* *c.* 12. *c*
in his omnibus Chriſtianos judicant: multa 17. *c.* 19.
feſta in æternum indicunt, tantaque cum *c.* 20. *l.* 8.
religione obſervari jubent, ut qui die Do- *c.* 33.
minico jejunaverit, eum ἔνοχον ἁμαρτίας, *re-* c *l.* 5. *c.*
um peccati eſſe *a* pronuncient. Quin & 20. *extr.*
veluti Paulo in os adverſantes, ipſum illud *ſabbatum*, cujus nos jugo ille Apoſtolus exſolverat, iſti exſerte ſumma cura à nobis coli, atque obſervari imperant. Nam & ſabbato feriari nos ab omni opere jubent; & hoc quidem loco tanta eſt eorum impudentia, ut ipſum illum Paulum, qui hanc ſabbati religionem aperte ſuſtulerat, eandem figentem at conſtituentem inducant;

a l. 8. c. 33. (Bov. 39) in. Ἐγὼ ἃ Πέτρος καὶ ἐγὼ Παῦλος διατασσόμεθα, Ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. σάββατον δὲ καὶ Κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας. Τὸ μὲν γὰρ σάββατον εἴπομεν δημιουργίας λόγον ἔχειν· τὴν δὲ Κυριακὴν ἀναστάσεως. *Ego Petrus & ego Paulus conſtituimus, ut ſervi quinque diebus operentur; Sabbato vero & Dominica quieſcant, vel ferientur in Eccleſia propter doctrinam pietatis. Sabbatum enim diximus creationis habere rationem; Dominicam reſurrectionis.* Ideoque & Sabbato, quod eum diem feſtum eſſe velint, jejunare nos vetant; excepto uno illo Sabbato, quod Paſcha ἀναστάσιμον antecedit *b*; Πᾶν

b l. 5. c. 20. extr. μέν τοι σάββατον ἄνευ τοῦ ἑνὸς, καὶ πᾶσαν κυριακὴν, ἐπιτελοῦντες συνόδους, εὐφραίνεσθε. *Omni autem Sabbato, præter unum, & cunctis Dominicis diebus, conventus Eccleſiaſticos celebrantes, lætitia fruimini.* Et mox, εὐφρανθῆναι γὰρ δεῖ ἐν αὐταῖς (ἡμέραις) ἀλλ' οὐ πενθῆσαι. *Lætari enim his diebus oportet, non jejunare.* Sic etiam alibi cum unius Sabbati antepaſchalis jejunium præ-

c L. 5. c. 14. circa in. cepiſſent, οὐχ ὅτι δεῖ (inquiunt *c*) τὸ σάββατον νηστεύειν, κατάπαυσιν δημιουργίας ὑπάρχον, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνο μόνον χρὴ νηστεύειν, τοῦ δημιουργοῦ ἐν αὐτῷ ἔτι ὑπὸ γῆν ὄντος. *Non quidem quod jejunandum ſit Sabbato, quod eſt requies Domini ab opere creationis, ſed quia*

illo

illo tantum jejunandum eſt, quo ipſe author mundi erat adhuc ſub terra. Denique & a L.7.c. 24.
alibi diſertiſſimè *a*; τὸ σάββατον μέν τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως. ἓν δὲ μόνον σάββατον ἡμῖν φυλακτέον ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ, τὸ τῆς Κυρίου ταφῆς, ὅπερ νηστεύειν προσήκει, ἀλλ' οὐχ ἑορτάζειν. *Sabbatum tamen & Dominicum feſtos dies agitate, quod ille quidem dies recordatio eſt fabricationis mundi, hic vero reſurrectionis. Vnum vero tantummodo ſabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, Sabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti, quo quidem jejunare deceat, non autem celebrare feſtum.*

Cæterorum feſtorum, quæ illi plurima indicunt, eadem ratio eſt. Nam & magnam hebdomadem (id eſt Paſchalem) & proximam, quæ Paſcha ſequitur, totas, & Aſcenſionis Dominicæ diem, & Pentecoſten, & Natalem Chriſti diem, & Epiphaniam, & conſecratos Apoſtolorum, & Stephani, cæterorumque Martyrum paſſionibus dies, quiete, & otio coli præcipiunt *b*, τὴν μεγάλην ἑβδομάδα πᾶσαν καὶ τὴν b l. 8. c. 33.
μετ' αὐτὴν ἀργείτωσαν οἱ δοῦλοι, &c. τὴν ἀνάληψιν ἀργείτωσαν. τὴν τῶν γενεθλίων ἑορτὴν ἀργείτωσαν, &c. *Tota magna hebdomade & proxima ſequenti quieſcunto, &c. Die aſſumptionis quieſcunto. In Pentecoſte quieſcunto.*

menti, vini, olei, pomorum, lanæ, fructus, & opera manuum noſtrarum. Ac ne cui gravis ſit iſta de Moſaico fœdere repetita a l.2.c. 15.in. lex, monent *a* à cęteris quidem Moyſis vinculis, ac oneribus fuiſſe nos per Chriſtum liberatos; à *penſionibus* & *tributis* ſacerdotio ſolvendis non fuiſſe liberatos. Idque memorabili ſane epicheremate ex illo Chriſti dicto concludunt; *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quaſi illa, quam Chriſtus in nobis abundare vult, juſtitia nihil aliud ſit, quam τὸ πλέον ἡμᾶς πρόνοιαν ποιεῖσθαι τῶν ἱερέων, καὶ τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν χηρῶν, *majorem*, quam habuerunt Phariſæi, *ſacerdotum, & pupillorum, & viduarum curam habere*; hoc eſt, plura iis largiri, quam Judæi olim ſuis ſacerdotibus ex lege pendebant. Cæterum, cave putes velle iſtos, ut Chriſtiani ſuorum bonorum partem aliquam ipſi per ſe viduis, ac pupillis diſtribuant. Non hæc ita intelligunt. Nos noſtra Epiſcopis largiri volunt; Epiſcopos ea pro ſuo arbitrio in egenos diſtribuere *b*; σὲ μὲν γὰρ διδόναι προσ-
b Ibid.b. ήκει. οἰκονομεῖν δὲ ἐκεῖνον (ἐπίσκοπον) ἅτε οἰκονόμον, καὶ διοικητὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων· οὐ μὲν τοι λογιστεύσεις σὺ τὸν ἐπίσκοπον. *Te quidem largiri decet; illum vero diſpenſare, tanquam œconomum, ac Eccleſiaſtica-*

ſiaſticarum rerum adminiſtratorem. Cave tamen ne epiſcopum ad rationes voces. Denique alibi ſacerdotium ſupra regnum iterum evehunt, ὅσῳ γὰρ (inquiunt *a*) ἱερωσύνη a *l.6.c.2.*
βασιλείας ἀμείνων περὶ ψυχῆς ἔχουσα τὸν ἀγῶνα, *in.*
τοσούτῳ καὶ βαρυτέραν ἔχει τὴν τιμωρείαν ὁ ταύτῃ τολμήσας αὐτοματεῖν, ἤπερ ὁ τῇ βασιλείᾳ. *Quantum enim ſacerdotium regno præſtat, utpote pro anima certans, tanto graviores pœnas debet, qui audet vel nutu oculorum huic adverſari, quam qui regno.* Hæc quidem Boviani Apoſtoli. Chriſti vero Apoſtoli plane aliud docent: ut non ſit lux à tenebris magis diverſa, quam hi ab illis. Illi Epiſcopum eorum, quibus præeſt, regem, dynaſtam, dominum, herum, Deum denique eſſe ſciſcunt: Hi contra exſertè b *Matth.*
negant, Epiſcopum b *dominari ſuis*, aut 20. 25.
poteſtatem in eos exercere inſtar Principum; *Luc.* 22.
Ajunt ἐπισκοπεῖν, ποιμαίνειν, *providere*, & 25.
paſcere, non *dominari* in gregem. Ipſi ſe, 1. *Pet.* 5.2.
qui Epiſcopis multo majores erant, profi- 2 *Cor.* 1.
tentur, non *fidei Chriſtianorum dominari*, 25.
ſed *adjutores gaudii eorum*, imo & δούλους 2. *Cor.*
ſervos eorum eſſe; divinę familiæ *œconomos*, 4.5.
& *diſpenſatores myſteriorum Dei.* Illi Ec- 1. *Cor.* 4.1.
cleſiam Epiſcopi eſſe volunt, ut regnum 1. *Cor.* 3.
Regis: Hi ſe, ſuaque omnia, Eccleſiæ eſſe 22. 23.
affirmant; Eccleſiam vero unius Chriſti. Illi Epiſcopis *vectigalia*, ac *tributa* à Chri-

ſtianis, etiam plura, majoraque, quam quæ Regibus à ſubditis penduntur, deberi, offerrique ſuperbe, ac ut verum dicant, impudenter jubent? Hi modeſtiſſime docent ex Domini inſtituto eſſe *a*, ut qui *Euangelium annunciat, de Euangelio vivat*; idque non ut *b Principi tributum* pendi, ſed ut *c militi ſtipendium* reddi volunt; quanquam ne hoc quidem ipſi exigunt ἀκριβῶς, & ſummo jure. Tantum gregibus demonſtrant, quid æquitas, quid gratitudo ab ipſis hoc loco requirat; ut ii ſponte proprioque judicio impulſi, magis quam juſſi ſuas partes exſequantur; nedum ut anxie ac moroſe (quod iſti illiberales, planeque, ut videtur, ad rem ſuam nimium attenti Διατάγεις faciunt) *primitias, decimas*, & alia id genus à ſubditis, ſibi pendenda ſigillatim indicant. Niſi ergo Chriſti Apoſtolos plane penituſque immutatos nobis fingamus, fateri neceſſe eſt, eos qui iſta vana, tam ſuperba, tamque avara ac ſordida præcipiunt, non modo Apoſtolos non fuiſſe, ſed inſuper homines fuiſſe ab Apoſtolis diverſiſſimos, & ab eorum ingenio ac moribus, non minoribus ſpatiis, quam quibus terra à cœlo diſtat, ſejunctos, ac diſſitos.

a 1. *Cor.* 9. 14.
b *Ibid.* *v.* 7.
c *Ibid.* *v.* 15.

CAP. XI.

Arg. X. à decimarum ſolutione, quam Conſtitutiones fidelibus omnibus præcipiunt. Arg. XI. ab ea, quam ſtatuunt ſacri cælibatus lege plane mira. Arg. XII. à feſtorum & jeſuniorum, quæ præcipiunt, novitate.

HUC etiam pertinet, quod Διαταγεῖς decimas, ac primitias ſuis Epiſcopis debere, ac ſolvere volunt, quod ab omni Apoſtolorum, quæ in novo Teſtamento extat, doctrina alienum eſt; & non obſcure cum ea Pauli diſputatione pugnat, quæ in priori ad Corinthios epiſtola capite nono habetur, Cum enim eo loco hoc agat Apoſtolus, ut miniſtris Euangelii aliquam laborum mercedem ab iis, quos docent, deberi probet; profecto decimarum ac primitiarum præceptum, quod unum totam hanc cauſam liquido conficiebat, non erat tali loco omiſſurus, ſi id ad Chriſti miniſtros pertinere putaſſet; ſed, quod fecerunt οἱ Διαταγεῖς, id ſtatim ac inprimis attuliſſet; quod tamen nequaquam fecit. Tantum rationibus ab ipſa naturæ æquitate, diviniſque ac humanis huic æquitati conſentaneis inſtitutis pugnat; quæ quidem concludunt, æquum eſſe, ut qui gregem Chriſti verbo & opera

ſua paſcunt, ii victum a grege accipiant, (quod nemo negat) non probant (quod volunt οἱ Διαταξεῖς) *primitias* ac *decimas* eſſe illis ſolvendas. Verum de re ipſa nunc quidem non diſputo. Aliud eſt quod urgeo. Nam decimas ac primitias, qui deberi Eccleſiæ miniſtris contendunt, eas illi ex jure non Moſaico, ſed naturali repetunt. Noſtri Διαταγεῖς aliter. Concedunt, eas eſſe jugi Moſaici, ac, ut loquuntur, τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, aſcitorum vinculorum partem, quibus prior olim populus illigatus, ac implicitus tenebatur. Tum ſumunt, à cæteris quidem jugi illius Moſaici, id eſt legis cæremonialis, partibus fuiſſe nos liberatos, ab hac parte, id eſt à primitiarum decimarumque debito exſolutos fuiſſe negant. Diſerta ſunt hæc eorum verba *a*; χρὴ δὲ ὑμᾶς γινώσκειν, ὅτι εἰ καὶ ἐῤῥύσατο ὑμᾶς Κύριος τῆς δουλείας τῶν ἐπεισάκτων δεσμῶν, καὶ ἐξήγαγεν ὑμᾶς εἰς ἀνάψυξιν, μηκέτι ἐάσας ὑμᾶς θύειν ἄλογα ζῶα περὶ ἁμαρτιῶν καὶ καθαρισμοῦ καὶ ἀποπομπαίων καὶ λουτρῶν συνεχῶν, καὶ περιραντηρείων, οὐ δήπου καὶ τῶν εἰσφορῶν ὑμᾶς ἐλευθέρωσεν, ὧν ὀφείλετε τοῖς ἱερεῦσι. *Atque hoc vos ſcire oportet, quod tametſi vos Dominus à ſervitute aſcitorum vinculorum liberarit, indeque in refrigerium vos eduxerit, qui non permiſit amplius brutas pecudes pro peccatis immolare, liberarit, inquam* *ab*

a *l. 2. c. 35. in.*

ab emundationibus, à victimis emiſſariis, à lavationibus aſſiduis, ab aſperſionibus, nondum tamen & à penſionibus vos liberavit, quas debetis ſacerdotibus. Penſiones intelligunt *a* τῶν ἀπαρχῶν, τῶν δεκάτων, καὶ τῶν ἀφαιρεμάτων, de quibus proxime dixerat. Hoc vero a Ibid. c. 34. extr.
quod iſti ſtatuunt, non fuiſſe nos Chriſti beneficio ab omni cæremonialis legis parte liberatos, ab Apoſtolorum ſenſu, ac doctrina alienum eſt; qui nos ab omni hoc jugo plane, penitusque liberatos fuiſſe locis ſexcentis docent; ut vel ex una Pauli ad Galatas epiſtola ſole meridiano clarius patet.

Iam quæ ab iſtis fertur de clericorum conjugio lex, plane mira, ac ſingularis eſt; & ab Apoſtolorũ, & ab Eccleſiæ Romanæ dogmate ac ſenſu pariter aliena. Nam *Epiſcopos, presbyteros, & diaconos*, poſtquam ii ordinati ſunt, uxorem ducere vetant; quod eſt præter Apoſtolicam doctrinam; eoſdem, ſi jam tum cum ordinarentur, mariti eſſent, uxoribus uti non prohibent; quod cum dogmate ac uſu Romano pugnat. Subdiaconis vero, quos ὑπηρέτας & hic & alibi vocant, & cantoribus, & lectoribus, & janitoribus, etiam poſtquam in clerum aſciti ſunt, uxores ducere permittunt, quod etiam à Romanis moribus abhorret. Quod vero & iſtis perinde ac majorum ordinum clericis, nuptias iterare, viduaſve, aut ancillas,

cillas, aut repudiatas ducere vetant, id inquam & ab omnibus veris Apoſtolorum libris ac ſententiis, & à novi Teſtamenti, ſub quo degimus, genio plane eſt alienum. Mirifica autem hæc iſtorum lex ita habet *a*;
a *l.* 6. *c.* 17. μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς (epiſcopis, presbyteris, ac diaconis) μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν. ὑπηρέτας δὲ καὶ ψαλμῳδοὺς καὶ ἀναγνώστας καὶ πυλωροὺς καὶ αὐτοὺς μονογάμους εἶναι κελεύομεν. εἰ δὲ πρὸ γάμου εἰς κλῆρον παρέλθωσιν, ἐπιτρέπομεν αὐτοῖς γαμεῖν, εἴγε πρὸς τοῦτο πρόθεσιν ἔχουσιν, ἵνα μὴ ἁμαρτήσαντες κολάσεως τύχωσιν. οὐδενὶ δὲ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κελεύομεν, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ χήραν, καὶ ἐκβεβλημένην λαμβάνειν, ὡς καὶ ὁ νόμος λέγει. *Poſt ordinationem ſi uxores non habent* (epiſcopi, preſbyteri, diaconi) *præcipimus, ut non liceat amplius ducere; aut ſi antea duxerant, aliis conjungi, ſed ea, quam cum habent, ad ordinationem venerunt, contentos eſſe. Miniſtros, cantores, lectores & janitores ipſos quoque monogamos eſſe præcipimus; ſin vero ante conjugium ad clerum acceſſerint, permittimus eis, ut uxores ducant, ſi eis cordi eſt; ne, cum deliquerint, pœnas pendant. Iubemus vero, ut nullus ex clero in matrimonium accipiat amicam, vel viduam, vel repudiatam; ſicut etiam*

etiam lex ſancit. Itaque ſive tu Apoſtolos eadem cum Romanis hodiernis, quod ipſi volunt, de clericorum ſtatu ſenſiſſe ac ſtatuiſſe dixeris; ſive nobiſcum, quod verius eſt, & ipſorum veris ac indubitatis monumentis maxime conſentaneum; illud quidem hinc certum eſt, iſtos, qui aliter quam utrique inſtituimus, decernunt, Διαταγέας, Apoſtolos nequaquam eſſe.

Sed & quæ de feſtis, eſurialibuſque diebus οἱ Διάταξεις paſſim præcipiunt, ea quoq; manifeſtum eſt cum Apoſtolorum dogmate pugnare. Paulus enim deſerte hęc decernit; *Nemo vos* (inquit *a*) *judicet, in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomenia, aut ſabbatorum.* At iſti Διαταγεῖς *b* in his omnibus Chriſtianos judicant: multa feſta in æternum indicunt, tantaque cum religione obſervari jubent, ut qui die Dominico jejunaverit, eum ἔνοχον ἁμαρτίας, *reum peccati* eſſe *c* pronuncient. Quin & veluti Paulo in os adverſantes, ipſum illud *ſabbatum*, cujus nos jugo ille Apoſtolus exſolverat, iſti exſerte ſumma cura à nobis coli, atque obſervari imperant. Nam & ſabbato feriari nos ab omni opere jubent; & hoc quidem loco tanta eſt eorum impudentia, ut ipſum illum Paulum, qui hanc ſabbati religionem aperte ſuſtulerat, eandem figentem at conſtituentem inducant;

a *Col* 2. 16.
b L. 5. c. 12. c. 17. c. 19. c. 20. *l.* 8. c. 33.
c *l.* 5. c. 20. *extr.*

a l. 8. c. 33. (Bov. 39) in. Ἐγὼ ὁ Πέτρος καὶ ἐγὼ Παῦλος διατασσόμεθα. Ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. σάββατον δὲ καὶ Κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας. Τὸ μὲν γὰρ σάββατον εἴπομεν δημιουργίας λόγον ἔχειν· τὴν δὲ Κυριακὴν ἀναστάσεως. *Ego Petrus & ego Paulus conſtituimus, ut ſervi quinque diebus operentur; Sabbato vero & Dominica quieſcant, vel ferientur in Eccleſia propter doctrinam pietatis. Sabbatum enim diximus creationis habere rationem; Dominicam reſurrectionis.* Ideoque & Sabbato, quod eum diem feſtum eſſe velint, jejunare nos vetant; excepto uno illo Sabbato, quod Paſcha *ἀναστάσιμον* antecedit *b*; Πᾶν

b l. 5. c. 20. extr. *μέν τοι σάββατον ἄνευ τοῦ ἑνὸς, καὶ πᾶσαν Κυριακὴν, ἐπιτελοῦντες συνόδους, εὐφραίνεσθε. Omni autem Sabbato, præter unum, & cunctis Dominicis diebus, conventus Eccleſiaſticos celebrantes, lætitia fruimini.* Et mox, *εὐφρανθῆναι γὰρ δεῖ ἐν αὐταῖς (ἡμέραις) ἀλλ' οὐ πενθῆσαι. Lætari enim his diebus oportet, non jejunare.* Sic etiam alibi cum unius Sabbati antepaſchalis jejunium præcepiſſent, οὐχ ὅτι δεῖ (inquiunt *c*) τὸ σάββα-

c L. 5. c. 14. circa in. τον νηστεύειν, κατάπαυσιν δημιουργίας ὑπάρχον, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνο μόνον χρὴ νηστεύειν, τοῦ δημιουργοῦ ἐν αὐτῷ ἔτι ὑπὸ γῆν ὄντος. *Non quidem quod jejunandum ſit Sabbato, quod eſt requies Domini ab opere creationis, ſed quia*

illo

illo tantum jejunandum eſt, quo ipſe author mundi erat adhuc ſub terra. Denique & alibi diſertiſſimè *a*; τὸ σάββατον μέν τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως. ἓν δὲ μόνον σάββατον ἡμῖν φυλακτέον ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ, τὸ τῆς Κυρίου ταφῆς, ὅπερ νηστεύειν προσήκει, ἀλλ' οὐχ ἑορτάζειν. *Sabbatum tamen & Dominicum feſtos dies agitate, quod ille quidem dies recordatio eſt fabricationis mundi, hic vero reſurrectionis. Vnum vero tantummodo ſabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, Sabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti, quo quidem jejunare deceat, non autem celebrare feſtum.* a L.7.c. 24.

Cæterorum feſtorum, quæ illi plurima indicunt, eadem ratio eſt. Nam & magnam hebdomadem (id eſt Paſchalem) & proximam, quæ Paſcha ſequitur, totas, & Aſcenſionis Dominicæ diem, & Pentecoſten, & Natalem Chriſti diem, & Epiphaniam, & conſecratos Apoſtolorum, & Stephani, cæterorumque Martyrum paſſionibus dies, quiete, & otio coli præcipiunt *b*, τὴν μεγάλην ἑβδομάδα πᾶσαν καὶ τὴν μετ' αὐτὴν ἀργείτωσαν οἱ δοῦλοι, &c. τὴν ἀνάληψιν ἀργείτωσαν. τὴν τῶν γενεθλίων ἑορτὴν ἀργείτωσαν, &c. *Tota magna hebdomade & proxima ſequenti quieſcunto, &c. Die aſſumptionis quieſcunto. In Pentecoſte quieſcunto.* b l. 8. c. 33.

eſcunto. In die feſto Natalis quieſcunto. Iſtas vero leges quis non intelligit adverſa fronte cum veris Apoſtolorum decretis pugnare ? qui, & (quod nuper diximus) vetant, nos *de diebus feſtis judicari*, hoc eſt, ob eos vel ſervatos, vel neglectos, vel laudari, vel damnari? & totum hoc dierum diſcrimen in medio relinquunt; *Alius qui-*
a Rom. *dem* (inquit Paulus *a*) *æſtimat diem præ die;*
14. 5. *alius autem peræque æſtimat quemvis diem. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.*

Iam quod certos dies iidem ſeponunt, & his quidem jejunandum, illis non jejunandum, arcte & æterna, atque inviolabili lege ſanciunt, ſic ut qui vel illis non jejunet, vel his jejunet, peccati reus ſit, id inquam totum à veris Apoſtolis alienum eſt; qui jejunium quidem in genere & ſermonibus & exemplis ſuis commendant; certos & ſtatos dies jejuniis nuſquam vel addicunt, vel eximunt; ut ulla per eos religio eſſe debeat vel his jejunare, vel illis prandere. Quinimo exſerte pronunciat Pau-
b Rom. lus *b*, *non eſſe regnum Dei, eſcam & potum,*
14. 7. *ſed juſtitiam, & pacem & gaudium in Spiritu Sancto*: ut in hoc argumento valeat, quod idem in alio haud diſſimili dixit; *nos neque ſi manducaverimus, abundaturos,*
c 1. Cor. *neque ſi non manducaverimus, defecturos* c.
8. 8. Cum hoc vero & indubitato Apoſtolorum

dogmate

Digitized by Google

dogmate equidem non video, quî conciliari
poſſint illæ tam multæ de perpetuis certo-
rum dierum, aut jejuniis, aut non jejuniis, a *l.* 5. *c.*
leges. Illi enim, & hebdomadam quidem 14. *in.*
antepaſchalem *a*, & quadrageſimam *b*, ad- b *l.* 5. *c.*
hæc unam poſt Pentecoſtē hebdomadam *c*, 12.
& quartam ſextamque cujuſvis hebdoma- c *l.* 5. *c.*
dis ferias *d* ab omnibus Chriſtianis jejunari 20.
lege in perpetuum *e* lata pręcipuunt. Altera d *l.* 5. *c.*
vero ex parte tum Sabbatum, tum domini- 19. *p.*
cam diem, & omnes quinquaginta à Pa- 933. *d.*
ſchate ad Pentecoſten dies *f*, adhæc Nata- e *l.* 5. *c.* 14. *a.*
lis Dominici diem, & cætera, quę nuper re- *l.* 7. *c.*
cenſuimus, ab iſtis conſtituta feſta *g*, ac de- 24.
nique ſecundam & quintam cujuſque heb- f *l.* 5. *c.* 20. *extr.*
domadis ferias *h* (niſi forte tota hebdomade g *Ibid.*
jejunium continuetur) hos, inquam, o- h *l.* 7. *c.*
mnes dies jejunio funeſtari vetant; & ſi- 24. *in.*
quis uno ex iis jejunarit, eum deliquiſſe,
piaculumq; commeritum pronunciant *i*. Ἔ- i *l.* 5. *c.* 18.
νοχος ἁμαρτίας ἔσται ὁ τὴν Κυριακὴν νηστεύ-
ων ἡμέραν ἀναστάσεως οὖσαν, ἢ τὴν Πεντηκο-
στὴν, ἢ ὅλως ἡμέραν ἑορτῆς Κυρίου κατηφῶν.
*Reus peccati erit, qui dominico die jejuna-
verit, cum ſit dies reſurrectionis, aut qui
Pentecoſten, aut denique ullum diem Domi-
ni feſtum in mœſtitia egerit.* Mitto rei ipſi-
us abſurditatem, atque ineptiam; mitto
pleraque harum Legum ab ipſa Eccleſia
Romana pro ſua libidine vel retenta, vel
ſpreta

ſpreta. Hoc unum dico, nihil minus iſtos eſſe, quam Chriſti Apoſtolos, qui omnem fere totius anni diem vel jejunii mœrori, vel prandii lætitiæ addicunt, ac mancipant; cum Apoſtoli plane contra doceant, nullum omnino eſſe non ab utraque illa religione ſolutum ac liberum; ut nobis quolibet per eorum diſciplinam liceat, pro rerum ac perſonarum, quibuſcum verſamur, ratione, vel jejunare, vel prandere, vel operari, vel quieſcere.

Qua in parte id quoque Apoſtolicam doctrinam aperte pulſat, quod ſciſcunt αἱ Διατᾶγεῖς de antepaſchalis hebdomadis diæta *a*: ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς, καὶ σαββάτου, ἓξ ἡμέρας μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι. οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις. ἡμέραι γάρ εἰσι πένθους, ἀλλ᾽ οὐχ ἑορτῆς. *Jejunate igitur diebus Paſchæ, incipientes à ſecunda feria usque ad ſextam, & ſabbatum, ſex diebus pane tantum, ſale, oleribus, & aqua menſa adhibitis. Abſtinete his diebus vino & carne: Dies enim hi non feſti, ſed luctus ſunt.* Hoc quidem ſi vere Apoſtolicum decretum eſt, nemo hodie (niſi apud Abyſſinos fortaſſe, aut apud ſuperſtitioſos Græculos) ex Apoſtolica diſciplina vivit. Romana quidem Eccleſia, tætricam iſtam ac ſeveram Xerophagiam

a l. 5. c. 18.

Digitized by Google

phagiam à nullo ſuorum exigit; & vinum, & maris ac fluviorum copias omnibus bona mater indulget. Sed abſit, ut iſta Montani inventa, Apoſtolorum fuiſſe putemus, qui ſalvis modo ſobrietatis ac caſtimoniæ Chriſtianæ rationibus nobis ſemel in totum macellum admiſſis omni cibo potuque impune *cum gratiarum actione, uti fruique licere* non ſemel decreverunt.

CAP. XII.

Arg. XIII. quod Conſtitutiones publicanos ſimpliciter damnant; Et ex natura jure uxorem adulteram neceſſario dimittendam putant. Arg. XIV. Conſtitutiones de ſacrificiorum lege olim à Deo lata male philoſophantur, & Moyſi quædam falſo ac temere affingunt.

PRÆTEREA id etiam ab Apoſtolica doctrina diſcedit, quod Boviani Διαλαγεῖς publicanos ſimpliciter ab Eccleſiæ communione rejiciunt; *Vitabis quoq;* (inquiunt *a*, Epiſcopo præcipientes) *deceptores, & Rhetores injuriam defendentes, idolorum artifices, fures, injuſtos, publicanos, pondera & menſuras fraudantes, militem calumniatorem*, &c. Aliter noſtri Apoſtoli, apud quos Joannes Baptiſtes publicanos quidem monet, *ne quid amplius, quam quod iis con-*

a *l.4 c.6. fol. verſo.*

conſtitutum eſt, exigunt a; cæterum ſi id præſtent, minime eos à baptiſmo repellit. Eſt enim ipſum per ſe publicani munus (ut omnes fatentur) honeſtum, & in omni republica neceſſarium; ſolæ ſordes ac rapinæ hominum, qui id exercent, iniquæ ac fugiendæ ſunt. Id (ut ſuſpicor) Turrianus vidit; ſuoſque ideo Διαταγέας cautius loqui facit, quam ſuos Bovius; & *publicanos*, non, ut apud hunc, omnes & ſimpliciter, ſed *injuſtos* duntaxat, excommunicare. Sic enim habet hic locus apud Turrianum; παραιτήσῃ δὲ καὶ ῥαδιούργους, &c. καὶ κλέπτας, καὶ τελώνας ἀδίκους; *Vitabis etiam falſarios*, &c. *fures, & publicanos injuſtos*. An autem hæc, ita ut exhibet, in manuſcriptis codicibus invenerit, an vero, cum eadem, quæ Bovius, inveniſſet, ipſe in ſuorum Διαταγέων gratiam, ita immutarit, novit Deus. Ego qui codices non vidi, nihil habeo quod in alterutram partem pro certo dicam. Illud quidem quod eodem loco in utriuſque (id eſt, tam Turriani, quam Bovii) editione τὸν δήμιον eodem numero habent, quo φονέα, ſimpliciterque adeo hominem excommunicant, id & ab Apoſtolorum doctrina (qui nullius, quantumvis infimi ſtatus, aut loci hominem reiiciunt, modo fidelem) & ab ipſa Eccleſiæ Romanæ praxi alienum videtur.

a Luc. 3. 13.

Neque

Neque illud ſane video, quî verum, adeoque Apoſtolicum eſſe poſſit, quod iidem violatæ legis naturalis eum virum damnant, qui uxorẽ adulterioq; corruptam non dimittit : ὡσαύτως ὁ κατέχων τὴν διαφθαρεῖσαν, φύσεως θεσμοῦ παράνομος, *Similiter, qui corruptam retinet, naturæ legem ac inſtitutum violat.* Is quidem ejus dimittendæ à lege conceſſo jure non utitur, fateor. Ut ideo legem violare dicatur, nulla ratio eſt. Aliud enim eſt *legem violare*; quod facit παράνομος, aliud id, quod tibi per leges licet, non uſurpare; quod etiam boni interdum faciunt. a *l.* 6. *c.* 14. *b.*

Sed & Photius teſtatur ſuo jam ſæculo (id eſt nono adulto) Conſtitutionum operi objectam fuiſſe ὅτι κατὰ τοῦ δευτερονομίου ὕβρεις τινὰς ἐπαφίησιν, *quod quadam contumelioſa contra Deuteronomium emittat*; ſed ea ait facillimum eſſe diſſolvere, ῥᾷστον διαλύσασθαι. His autem verbis ne putes accuſatos fuiſſe Διαταγέας, quaſi librum Deuteronomii ex Scripturarum canone ejicerent, aut aliquid contumelioſum in eam Scripturæ partem jacerent. Non eſt iſta Photii, non Διαταγέων mens. Neque item Judaïcas deuteroſes, id eſt, traditiones à veteribus Magiſtris diſciplinæ Moſaïcæ adjectas *Deuteronomii* nomine intellexerunt, vel Διαταγεῖς, vel eorum criminatores. Planum b *cod.* 113.

num eſt ex multis Conſtitutionum locis *Deuteronomium*, ſive δευτερώσεις illis in hoc argumento nihil aliud eſſe quam eam legis Moſaïcæ partem, quæ ritus, & ſacrificia, omnemque cærimoniarum umbratilium diſciplinam continet. Legem enim duplicem ſtatuunt; unam quæ in decalogo tradita, ipſiuſque Dei ore è monte Sina pronunciata veræ ſanctitatis, juſtitiæque præcepta explicat; alteram, quæ eſt de carnalibus ſacrificiis, purificationibuſque & lotionibus, & aliis id genus Moſaïcis ritibus. Illam νόμον φυσικὸν, *legem naturalem* a; hanc νόμον ἐπεισακτὸν, *legem aſcitam*, vel τὰ διὰ δευτερώσεως ἐπεισακτὰ, *ea quæ per deuteroſim aſcita ſunt* b: illam interdum νόμον ſimpliciter, hanc δευτέρωσιν c, Illam νόμον πιστῶν, *legem fidelium*, hanc δεσμὰ ἀπίστων c, *vincula infidelium*, & alibi δεσμὰ μάταια d, *vana vincula*; Illam denique alibi νόμον, hanc δεσμὰ e ſimpliciter vocant. Qua in nomenclatura omnino abuſi videntur δευτερώσεως vocabulo; quod & olim habuit, & nunc etiam habet hunc ſenſum, ut ſignificet Judaïcas traditiones non ſcriptas, quas He-Hebræi משניות *miſnajot* vocant. Unde & δευτερωταὶ תנאים *Tannaim* vocantur earum vel authores, vel doctores. Qui deuteroſim pro lege cærimoniali dixerit, neminem præter

a *l.* 6. *c.* 19.
b *l.* 7. *c.* 22. *extr.*
c *l.* 2. *c.* 5.
d *l.* 6. *c.* 18. *extr.*
e *l.* 7. *c.* 23. *a.*

præter iſtos Διαταγέας, authorem memini. Sed vocem quidem mittamus. Illi ergo ſtatuunt Chriſtum priorem quidem illam legem adeo non ſuſtuliſſe, ut etiam impleverit, ac perfecerit; poſteriorem verò, ſi non totam, maxima certe ex parte aboleviſſe, οὐκ ἀνελὼν τὸν φυσικὸν νόμον, ἀλλὰ παύσας τὰ διὰ τῆς δευτερώσεως ἐπεισακτὰ, εἰ μὴ καὶ πάντα. *Legem quidem naturalem nequaquam ſuſtulit, illa vero, tametſi non omnia, abrogavit, quæ fuerant per deuteroſim aſcita.* Quibus & iſta ſimilia ſunt, quę initio ejuſdem capitis occurrunt, Χριστὸς τὸν νόμον κυρώσας ἐπλήρωσε, τὰ ἐπεισακτὰ περιεῖλεν, εἰ καὶ μὴ πάντα, ἀλλάγε τὰ βαρύτερα, τὸν μὲν βεβαιώσας, τὰ δὲ παύσας. *Chriſtus legem & ratam habuit, & implevit: aſcita vero ſuſtulit, tametſi non omnia, ea tamen quæ graviora erant; illam confirmans, hæc vero abrogans.* Eadem non ſemel alibi repetunt c; in quibus nihil aliud ego quidem reprehenderim, niſi id quod tam affirmatè ſtatuunt non fuiſſe omnes Moſaïcæ legis cærimonias à Chriſto noſtro abrogatas; quod (ut ſupra diximus) rectà cum Apoſtolis pugnat. Sed iſtos ſane ſuarum *decimarum* ac *primitiarum* amor coëgit partem aliquam veterum rituum ab interitu excipere; quos ſi omnes à Chriſto abrogatos una cum Apoſtolis dicerent, il-

a *l. 7. c. 22. extr.*

b *Ibid init.*

c *Vid. l. 1. c. 6.*

lorum ſibi redituum jacturam faciendam videbant; quibus novorum ſuorum Regum, ſuorum in terris Deorum (hoc eſt Epiſcoporum) rem ac dignitatem fulciendam firmandamque cenſuerunt. Nam cum *decimarum primitiarumque* religionis miniſtris pendendarum ritum ad Moſaïcas cærimonias pertinere, & liqueat, & vero ipſi confiteantur, illas profecto tueri, ac conſervare haud aliter potuerunt, quam id, quod affirmant veri Apoſtoli, negando, omnibus omnino Moyſis cærimoniis ſolutum, liberatumque eſse Chriſti populum. Sed reliqua eorum περὶ τῶν ἐπεισακτῶν theoremata perſequamur. Statuunt ergo illi decalogum quidem, quo *lex* (ut loquuntur) *naturalis* continetur, primo ac per ſe datum fuiſſe Iſraelitis: illa vero ἐπεισακτὰ hoc eſt cærimonialia, non per ſe, ſed per accidens & ex occaſione tantum fuiſse iis impoſita ob admiſſam in vitulo conflatili idololatriam; Deum enim hoc eorum ſcelere provocatum; cum plane *ingratos & beneficiorum immemores videret, tum demum*

a l. 6. c. 20. *conſtrinxiſſe eos vinculis inſolubilibus, & compreſſione oneris, ac aſperitate jugi*, juſſiſſeque ut ara fieret, & ſacrificia aſſidue offerrentur, & ciborum genera diſtinxiſſe, ſeparationes, purgationes, crebras lotiones, aſperſiones, purificationes, variaſq;

ἀργίας

ἀργίας à labore vacationes, inſtituiſſe; ut
in his perpetuo occupati preſſiq; velut ob-
torto collo ab idolorum quidem ſervitute
abducerentur, divinorum autem mandato-
rum vel inviti recordarentur. Hæc eſt de
cærimoniali lege Διαταγέων ſententia; plu- * *l.* 1. *c.*
ribus quidem locis expreſſa, fuſe vero ac 6. *l.* 2. *c.*
perſpicue libro ſexto operis, capiteque vi- 5. & 35.
ceſimo explicata. De his ἐπεισακτοῖς ca- *l.* 6. *c.* 12.
piunt a *præcepta illa non bona*, quæ Deus *p.* 948.
apud Ezechielem *b* profitetur ſe Iſraëlitis *c.* & *c.* 18. *extr.*
dediſse; eodemque referunt *c*, quod negat & *c.* 19.
apud Hieremiam *d* Dominus ſe de verbo *c.* 21. & *c.* 22.
holocautomatum & victimarum præcepiſ- a *l.* 6. *c.*
ſe Iſraëlitis, qua die eduxit eos de terra Æ- 21.
gypti. Scio eadem tradere alicubi Chryſo- b *Ezech.* 20. 25.
ſtomum *e*; & eſse aliorum Patrum, quin c *l.* 6. *c.*
& ex ipſis Judæis Moyſis Majemonidis 22.
haud abſimilem de cærimoniali νομοθεσίᾳ d *Hier.*
ſententiam, quæ nunc quidem perſequi ni- 7. 22.
nihil neceſse eſt. Illud unum obſervaſse ſa- e *Hom.*
tis eſt, quicunque cętera fuerint qui hæc i- 17. *in*
ta ut explicavimus docent Διαταγεῖς, Apo- *Act.* *in*
ſtolos certe eos non eſse. Primo quidem, *c.* 7. 41.
quod Apoſtoli de ritibus & cærimoniis a-
liud ſentiunt. Docet enim non uno in loco
Paulus iſta cærimonialia non *per accidens*
propter Iſraelitarum μοσχοποιΐαν, ſed certo
definitoque conſilio inſtituta eſse tum ad
Chriſtianæ diſciplinæ adumbranda myſte-

ria, tum ad populum veluti ſub pædagogo ad Chriſti uſque adventum continendum, ac cuſtodiendum. Huc accedit, quod liquido falſum eſse deprehenditur, id quod noſtri Διαταγεῖς ponunt; nimirum non fuiſſe quicquam de ſacrificiis & aliis ritibus ante μοσχοποιΐαν pręceptum, atq; impoſitum. Nam ut Abelis, Cainique, & Noachi, & Patriarcharum ſacrificia, & horum circumciſionem mittam, quæ nemo dixerit ſine ullo Dei mandato, ſed ex mera ἐθελοθρησκείᾳ à Sanctiſſimis viris factitata; ut de pręcepta in ipſo decalogo ſabbati religione nihil dicam, quam & Paulus, & cum eo omnes veteres Eccleſiæ Chriſtianæ doctores ad cęrimonias Moſaïcas pertinuiſſe tradunt; narrat Exodi liber in ipſo illo capite, quo publicati decalogi hiſtoria continetur, Moyſem multo antequam vitulus conflaretur, ita populo Dei nomine præcepiſſe;

a Exod. 20. 23. 24.

Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, oves veſtras & boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Veniam ad te, & benedicam tibi. Hic diſertiſſimum habes de ſacrificiis quæ τῶν ἐπεισακτῶν pars erant præcipua, præceptum, & quidẽ luculentiſſima benedictionis promiſſione ſancitum. Ergo falſum eſt quod

οἱ Δια-

οἱ Διαταγεῖς ſibi perſuadent, non fuiſſe ullo præcepto impoſita Iſraëlitis τὰ ἐπεισακτὰ ante μοσχοποιΐαν, falſi autem nihil vel docuerunt, vel docere potuerunt Apoſtoli. Non ſunt igitur οἱ Διαταγεῖς Apoſtoli. Illi quidem hanc objectionem viderunt; ſed quam ſolvere non poterant, eam boni viri impudentiſſimo mendacio eluſerunt. Fingunt enim Moyſem iſta, quæ recitavimus, non ſimpliciter, ſed hypotheticè, ita dixiſſe; ἐὰν δὲ ποιήσῃς μοι θυσιαστήριον, ἐκ γῆς ποιήσεις μοι αὐτὸ, οὐκ εἶπε (inquiunt) ποίησον, ἀλλ' ἐὰν ποιήσῃς· οὐκ ἀνάγκην περιέθηκεν, ἀλλὰ τῇ ἐξουσίᾳ ἐπέτρεψεν ἅτε ἐλευθέρᾳ. a l. 6. c. 20. init. *Non dixit* Fac. *ſed* ſi feceris. *Non impoſuit neceſſitatem, ſed poteſtati utpote liberæ, permiſit.* Imo, inquam, non dixit, *Si feceris*, ſed dixit, *fac*; adeoque non velut rem mediam eorum poteſtati liberam permiſit, ſed velut ex præcepto neceſſariam juſſit. Teſtes ſunt omnes Moyſis Hebræi, Samaritani, Arabici, Græci, Latini codices; teſtes omnes Moyſis Chaldææ, aliæque paraphraſes. Fateor in ſequenti verſiculo hypothetice locutum Moyſem; *Quod ſi* (inquit) *altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.* b Exod. 20. 25. Sed hoc de ratione conficiendi lapidei altaris præceptum nemo non videt longe aliud ab eo eſſe, quod recitant οἱ Διαταγεῖς, de alta-

 ri ſim-

ri ſimpliciter faciendo, & quidem ex terra. Hoc, ut & holocauſtorum ac pacificorum oblationem abſolutè Moyſes præcepit; illud alterum de lapidibus non ſectis, non niſi conditionaliter; ſi ex lapidibus altare facere placuerit, non fiat ex ſectis lapidibus. Ergo *οἱ Διαταγεῖς* mendacii manifeſti ſunt. Viderit Bovius, an ſit ſuorum Apoſtolorum mentiri, & Moyſi, imo Deo aliud quam quod dixit, affingere. Nos Chriſti Apoſtolos ſapientes ac verecundos, veraciſſimoſq; tum in omnibus, tum præſertim in divinis eſſe ſcimus; eoque cenſemus iis *τῶν Διαταγέων* opus tribui ſine inſigni contumelia non poſſe. Quod ſi hæc Photius numeravit inter illas *ὕβρεις* quas *κατὰ τοῦ Δευτερονομίου* jeciſſe arguebantur *οἱ Διαταγεῖς*, ille quidem falſo ſperavit eas facile diſſolvi poſſe.

Cap. XIII.

Arg. XV. *Quod Conſtitutionum diſciplina in baptiſmi & Euchariſtiæ adminiſtratione, item in pœnitentiæ diſtributione, in Epiſcopi ætate, in baſilicarum ſtructura, ſynaxeoſque ordine, ab Apoſtolorum ævo aliena eſt; pleraque diu poſt eorum mortem inventa.*

ATQUE hęc quidem de dogmatis dicta ſunto. Nunc ad diſciplinas veniamus, in quibus neque minor

minor cernitur horum Διαταγέων à veris
Chriſti Apoſtolis, quam in ſuperioribus,
diverſitas. Primo illud in baptiſmo occur- a *l.* 7. *c.*
rit, quod Διαταγεῖς ita præcipiant; πρὸ δὲ 23.
τοῦ βαπτίσματος, νηστευσάτω ὁ βαπτιζόμε-
νος, *Iejunet autem ante baptiſmum is qui* b *Ibid. a.*
baptizatur. Item, ὁ δὲ εἰς Χριστοῦ θάνατον
μυούμενος, πρότερον ὀφείλει νηστεῦσαι, καὶ τό-
τε βαπτίσασθαι. *Qui vero in mortem Chriſti*
baptizatur, debet prius jejunare, deinde
baptizari; idq; præpoſtera ſane ſubtilitate
ex eo probant, quod Chriſtus poſtquam à
Ioanne baptizatus eſt, totos quadraginta c *Ibid.*
dies jejunaverit, ἵνα ἡμῖν ὑπογραμμὸν πα-
ράσχηται, *ut nobis exemplar præberet.* Quod
ſi verum eſſet, nemo non videt conſequens
fore, ut non ante, quod iſti ſciſcunt, ſed
poſt baptiſmum jejunetur. Neque argu-
mentatio, quæ inepta, ac ridicula eſt, ſcili-
cet, neque ipſius diſciplinæ lex, Apoſtolo-
rum eſt; quos nuſpiam legimus ad jejuni-
um, eos quos baptizabant, compuliſſe.
Mitto Æthiopis exemplum, ſtatim à Philip- d *Act.* 8.
po tincti; cujus iter cauſsari quis poſset pro-
hibuiſse, ne ea maceratione ad baptiſmum
præpararetur. Sed quid Petro facient, qui e *Act.* 2.
& tribus hominum millibus baptiſmum il- 41.
lico ſine ulla jejunii mora repræſentavit, &
Cornelium cum tota familia, nullo indicto f *Act.* 10.
jejunio, ſimul atque vere credere ſenſu, ex- 47. 48.

a *Act.* 8. 12. templo aqua ſalutari tinxit? Neque aliter
Philippus, qui Samaritanos credentes ſta-
b *Act.* 16 15. 33. tim baptizavit. Neque vel Lydiæ purpura-
c *Act.* 18. 8. riæ vel Philippenſis carceris cuſtodi, vel
Criſpo, & aliis Corinthiis, vel Ioannis di-
d *Act.* 19. 5. ſcipulis, vel cuiquam alii indictum à Paulo
ad baptiſmum rite ſuſcipiendum jejunium
legimus. Nondum ergo Pauli & Apoſto-
lorum cæterorum temporibus obtinebat
illa multo iis recentior jejunii ad baptiſmum
ſolennem ac legitimum diſciplina, quam
hic noſtri Διαταγεῖς, ex ſui ſcilicet ſæculi
more, conſtituunt.

Neque mihi quiſquam perſuaſerit Apo-
e *l.* 7. *c.* 46. ſtolorum eſſe illud horum de baptizato præ-
ceptum; καὶ αὐτὸς οὖν συναποθανὼν τῷ Χρι-
στῷ, καὶ συνηγερθεὶς, στηκέτω· προσευχέσθω δὲ
κατὰ ἀνατολὰς, *Ipſe igitur commortuus Chri-
ſto, & conſuſcitatus ſtet, Precetur vero
f *l.* 2. *c.* 57. *p.* 880. *d.* verſus Orientem.* Alibi omnes quoque fi-
deles, qui liturgiæ Eccleſiaſticæ adſunt, ju-
bent precari, ἐπ' ἀνατολὰς κατανοήσαντας,
in orientem ſpectantes. Quaſi ſcilicet Deus,
ad quem unum animos noſtros in ſpiritu &
veritate convertendos Chriſtus docuit, in
Eoa magis, quam in Occidentali, aut Au-
ſtrali cœlorum plaga habitet. Iſtæ vero ſunt
g *In hunc locum.* ſequentium ſæculorum περιεργίαι, quibus
homines ex ſuo ingenio omnem fere Apo-
ſtolorum diſciplinam obruerunt. Cyrillus
à Bo-

à Bovio hic laudatus, id quarto, quo vixit,
ſæculo, inter cæteras baptiſmi cærimonias
obtinuiſſe fidem facit; ab Apoſtolis, de qui-
bus quæritur, inſtitutum fuiſſe, nequaquam
probat.

Sunt ejuſdem furfuris, quæ ſequuntur a *l.* 8. *c.*
in Euchariſtia celebranda diſciplinæ. *εὐξά-* 12. *p.*
μενος (inquiunt *οἱ Διαταγεῖς*) *καθ' ἑαυτὸν* 1014. *b.*
ὁ ἀρχιερεὺς ἅμα τοῖς ἱερεῦσι, καὶ λαμπρὰν
*ἐσθῆτα μετενδὺς, &c. εἰπάτω. Igitur Epiſ-
copus precationem ſilentio unà cum ſacerdo-
tibus faciens, & ſplendidam veſtem indu-
tus,* &c. *dicat.* Qui temporum Apoſtoli-
corum hiſtoriam, & Apoſtolorum ſtudia,
ac mores ex veris didicerit, is haud facile
credet, vel ex illius Eccleſiæ diſciplina fuiſ-
ſe, ut Epiſcopus *in veſte ſplendida* litur-
giam faceret, vel id diſerte præcipiendum
ac jubendum putaſſe aut curaviſſe Apoſto-
los. Sed audi grave imprimis, & Apoſto-
lica mente dignum decretum; *Δύο δὲ διάκο-* b *Ibid. b.*
*νοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κα-
τεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτε-
ρῶν ταῶνος, ἢ ὀθόνης, καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτω-
σαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν
μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα. Duo vero
diaconi ex utraque parte altaris teneant
flabella ex tenuibus membranis, aut ex pen-
nis pavonis, aut ex linteo, ut parva ani-
malia volitantia abigant, ne in pocula in-
cidant.*

cidant. Tantum ſcilicet Apoſtolis à re ſua otii fuit, ut iſtas minutias, vel, ſi verum dicendum eſt, ineptias ſibi curandas exiſtimaverint! Nemo id, niſi ineptus, ſibi perſuaderi patietur.

Jam vero & ea catechumenorum, pœnitentium & energumenorum in diverſos ordines diſtinctio, quæ in Conſtitutionum libris clarè, perſpicueque paſſim cernitur, ſatis arguit earum ſcriptorem diu poſt Apoſtolorum tempora vixiſſe. Illam enim diſciplinæ partem, neque primorum temporum conditio ferebat, ſævientibus fere perſecutionibus, & ordinatos, pacatoſque conventus prohibentibus; neq; ſane à Juſtino, & Irenæo uſpiam memoratam legimus. Eam invenit ac inchoavit tertii primò ſæculi Eccleſia; expolivit & perfecit quarti induſtria, cum & Chriſtianorum, & hominum ad fidem ac baptiſmum accedentium auctior multitudo, proindeque & peccantium major quam antea numerus, certum in illis quidem conſtituendis, his vero tum caſtigandis, tum purgandis ordinem requirerent. Tum cœpti Eccleſię homines in quaſdam catechumenorum, pœnitentium, ac fidelium veluti acies diſtribui, ex quibus toti cœtus conſtabant. Singulis attributa ſua in publicis conventibus loca, ac velut ſuæ in caſtris ſedes; ſua ſeorſim

orſim diviſa munia; ſuæque quaſi deſtinatæ liturgiæ, & miniſtrorum operæ. Cumque altiſſimus eſſet eorum gradus, quibus Euchariſtiam, Sanctiſſimum Eccleſiaſticæ communionis pignus ſumere, & veluti ad Domini menſam ſedere fas erat, placuit totam hujus myſterii celebrationem, à catechumenorum, & pœnitentium oculis ſubmovere; ut ex ipſo arcano major & rei ipſi reverentia, & hominibus cupido ejus potiundæ accederet. Itaque inſtitutum, ut antequam miniſtri eam ſacrorum partem inchoarent, voce Diaconi, catechumeni, ac pœnitentes mature dimitterentur; ſolis ut vocabant fidelibus manere liceret. Unde illæ poſteriorum ſæculorum ſcriptoribus paſſim uſurpatæ catechumenorum & fidelium diuerſæ miſſæ. Sed ne ea fortaſſe auribus catechumeni perciperent, quæ eorum oculis negabantur, hoc quoque ſecuti ſunt eorundem temporum antiſtites, ut parcè de ſacris Euchariſtiæ & aliorum ſacramentorum ſymbolis coram vulgo loquerentur; &, ſi quando aliqua cogeret neceſſitas, res quibuſdam verborum ambagibus ac involucris ita occultarent, ut niſi ab initiatis intelligi non poſſent; ut ex Chryſoſtomi, Auguſtini, & aliorum Patrum homiliis conſtat, qui vel ſub finem quarti, vel ſub initia quinti ſæculi floruerunt. Hæc autem

Apo-

Apoſtolorum, & proximorum diſcipulorum temporibus non fuiſſe in uſu, & Albaſpineus, & Petavius, & cæteri antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimi viri confitentur, & vero res ipſa clamat. Nam Iuſtino ſane omnium fere Scriptorum, quos Eccleſiaſticos habemus, vetuſtiſſimo nulla religio fuit Euchariſtiæ myſterium in publico Apologetico edere; quod obſervat Albaſpineus, ex eoque conficit, *primi ſæculi Chriſtianos ſua lubentes myſteria enunciaſſe*. Fateor & primo Apoſtolorum, & proximo diſcipulorum Apoſtolicorum ſæculo eruditos inſtitutoſque fuiſſe ab Eccleſiæ miniſtris catechumenos; neque ſiqui ex fidelibus deliquiſſent, eos acta pœnitentia reconciliatos ab iiſdem nego. Sed quod pauci tum erant, præ iis quos ſequentia tempora invexerunt, nihil ea (ut ſic dicant) pompa, nihil eo ordine, ac modo qui poſtea ſervari cœpit, tunc quidem opus erat. Atqui noſtri (quod dicere cæperant) Διαταγεῖς totum illum novæ hujus diſciplinæ ordinem non minus clare commemorant, ac deſcribunt, quam ipſi quinti ſæculi ſcriptores. Extat apud eos catechumenorum miſſa, ſive liturgia; in qua primum Diaconus ex edito loco clamat, Μήτις τῶν ἀκροωμένων, μήτις τῶν ἀπίστων, *Nequis audientium, nequis infidelium adſit*; ubi (quod notan-

a *Obſerv. l. 1. c. 13. p. 38. ultr. med.*

notandum eſt) duas catechumenorum claſſes exhibet; infimam audientium, quos una cum infidelibus dimittit; alteram provectiorum, & baptiſmo propiorum, quos adeſſe & precari jubet ἔυξατε οἱ κατηχέμενοι a, *Orate catechumeni*, Tum *capita inclinantibus benedicit Epiſcopus* ſolenni prece; qua peracta dimittit eos Diaconus *b*, προέλθετε οἱ κατηχέμενοι ἐν εἰρήνῃ, *Exite catechumeni in pace.* Egreſſis catechumenis *Energumenos* Diaconus adeſſe animis, precarique jubet, eoſdemque ſolenni benedictione ab antiſtite ſanctificatos ſimili formula dimittit, προέλθετε οἱ ἐνεργέμενοι, *Exite energumeni.* Tum ὑπὲρ τῶν φωτιζομένων id eſt pro *competentibus* (qui ultimus & ſummus erat catechumenorum gradus) precantur; quibus dimiſſis, compellantur οἱ ἐν μετανοίᾳ, *pœnitentes*, & poſt acceptam ab epiſcopo benedictionem, dimittuntur, Ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ; *Exite, qui in pœnitentia eſtis.* Tum poſt eorum egreſſum Diaconus, Μήτις τῶν μὴ δυναμένων προελθέτω. ὅσοι πιστοὶ, κλίνωμεν γόνυ. *Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles, flectamus genu.* Atque hinc longo ordine peragitur omnis fidelium (hoc eſt eorum, quibus Euchariſtiam ſumere licebat) liturgia. Hanc totius liturgiæ adeo multiplicem diſciplinam, ante tertiū quartumve

a *L. 8. c. 6. init.*
b *Ibid. p. 1007. b.*
c *Ibid. c.*
d *Ibid. c. 7. d.*
e *Ibid. c. 8. b.*
f *Ibid. c. 9. d.*
g *c. 10. & ſeqq. Vide etiam l. 2. c. 57. p. 889. d.*

tumve ſæculum inſtitutam, aut uſitatam
fuiſſe, à vero alienum eſt; ut qui hæc ita
enucleate tradunt, eos alios, quam Apoſto-
los, & Apoſtolicos fuiſſe neceſſe ſit.

Eodem pertinet, quod fidelem à cate-
chumeno tanto ſpatio diſterminant, ut il-
lum ne domi quidem, cum hoc precari fas
putent, *πιςὸς μετὰ κατηχουμένου μήτε κατ' οἶ-*
κον προσευχέσθω. οὐ γὰρ δίκαιον τὸν μεμυημένον
a l. 8. c. *μετὰ τοῦ ἀμυήτου συμμολύνεσθαι. Fidelis ne do-*
34. extr. *mi quidem precetur cum catechumeno. Non*
enim juſtum eſt, ut initiatus cum non ini-
tiato inquinetur. Quaſi vero credibile ſit
quenquam eorum precibus pollui, qui non-
dum quidem tincti; cæterum pietatis, &
baptiſmi candidati ad Chriſti communio-
nem contendunt, & jam ſpe, voto, atque
animo Chriſtiani ſunt. Ejuſdem abollæ eſt
illud quoque decretum, quo ex ſequentium
ſæculorum uſu & more catechumenos no-
cte Paſchali baptizari ſciſcunt; Illud item,
quo ſtatim baptizari ſciſcunt, ſiquis impru-
b l. 5. c. dens Euchariſtiam guſtarit; *εἰ δέ τις κατ'*
19. init. *ἄγνοιαν μεταλάβοι, τοῦτον τάχιον ςοιχειώ-*
σαντες μυήσατε, ὅπως μὴ καταφρονητὴς ἐξέλ-
c l. 7. c. *θοι. Siquis autem per ignorantiam ſumpſe-*
26. extr. *rit, eum cito elementis fidei imbuite, &*
baptizate, ne exeat contemptor. Ad hunc
quoque cenſum refero, quod orationem
Dominicam ter quotidie à quibuſvis fideli-
bus

bus recitari jubent; τρὶς τ ἡμέρας ὕτω προσεύχεσθε, *Ad hunc modum ter precamini ſingulis diebus*. Plane ex poëtæ illius diſciplina, qui ita canit.

— *Numero Deus impare gaudet.*

Unde & illud fortaſſis manavit, quod alibi decernunt *Epiſcopum à tribus Epiſcopis ordinari*; certe non minus quam *à duobus*, ἐὰν ᾖ ὑπὸ ἑνὸς χειροτονηθῇ ἐπισκόπυ, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας αὐτὸν, *Sin vero aliquis ab uno Epiſcopo ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus eſt, tum is qui ordinavit, deponatur*. Iſta omnia, ut tertii quartique ſæculi moribus nonnulla jam περιεργείᾳ, ſuperſtitioſulaque moroſitate infuſcatis convenire confiteor; ſic à gravitate, ſimplicitateque Apoſtolorum procul eſſe contendo; proindeque fruſtra iis, falſoque ab impoſtore affiЌta. a L. 8. c. 27.

Illud vero quis credat quod boni Διαταγεῖς affirmant ſe à Chriſto audiviſſe τ ποιμένα τ καθιςάμενον ἐπίσκοπον εἰς τὰς ἐκκλησίας ἐν πάσῃ παροικίᾳ δεῖν ὑπάρχειν ὐκ ἐλάττονα ἐτῶν πεντήκοντα. *Oportere eum qui paſtor eſt & Epiſcopus in Eccleſiis totius parœciæ conſtitutus, non minorem natu eſſe, quam annorum quinquaginta?* Hæc vero lex abſurdiſſima eſt; neque vel Pontificum & ſacerdotum Iudaïcorum, neque ipſius Chriſti, cui ea affingitur, b L. 2. c. 1. in.

exemplo, neque ulla denique ratione nititur.

Iam & hoc quoque ab Apoſtolorum tum ævo tum moribus abhorret, quod alicubi finguntur ſane impudenter, de baſilicarum & collectarum forma otioſe, ac ſuaviter

a L. 2. c. 57. b. præcipientes; καὶ πρῶτον μὲν (inquiunt) ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης, κατ᾽ ἀνατολὰς τετραμμένος, ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρεια πρὸς ἀνατολήν, ὅστις ἔοικε νηΐ. κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ ἐπισκόπου θρόνος. παρ᾽ ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον, καὶ οἱ διάκονοι παρεστάσθωσαν εὐσταλεῖς τῆς πλείονος ἐσθῆτος. *Ac primum quidem ſit ædes oblonga, Orientem verſus, navi ſimilis; utrinque Paſtophoria in Orientem. Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum; & ex utroque ejus latere ſedeat presbiterium; adstent Diaconi ſuccincti & expediti ſint multa veſte.* Hæccine vero ſunt Apoſtolicorum temporum? Atqui ne baſilicas quidem, vel ædes ſacras ullas tum fuiſſe crediderim. Certe ex novi inſtrumenti libris non diſcimus aliquas fuiſſe. Illud quidem ſatis conſtat, ſi fuerunt aliquæ, non fuiſſe tam operosè, quam hæ deſcribuntur, ſtructas, ornatasque; neque, tam accurate diſpoſita in Eccleſiæ conſeſſu miniſteria. Apparet iſtos, qui tam ſuaviter hic nugantur, deliciari, & otio atque opibus circumfluere; quod Apoſtolis

poſtolis & ejuſdem memoriæ Chriſtianis minime convenit. Quibus adeo neque id convenit, quod velut in ſumma pace verſantibus Chriſtianis omnibus præcipere finguntur, *εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐνδελεχίζειν ὄρ-* a L. 2. c.
θρου καὶ ἑσπέρας ἑκάστης ἡμέρας, καὶ μὴ ἀπο- 59. in.
λείπεσθαι τὸ σύνολον, ἀλλὰ συνέρχεσθαι διηνεκῶς, *frequentare quotidie Eccleſiam mane & veſpere, neque omnino abeſſe ſed aſſidue convenire.* Hoc vero ne ipſi quidem adverſarii, quanquam externis iſtis multo plus, quam ſatis eſt, addicti, ita moroſe à ſuis exegerint; etiam in iis locis, ubi & Eccleſiarum, & miniſtrorum, & cæterorum omnium maxima eſt copia. Ac de his quidem hæc ſatis.

CAP. XIV.

Arg. XVI Conſtitutiones multa continere ab Apoſtolorum hiſtoria abhorrentia: ut I. quod Stephanum Paulo in Apoſtolorum collegium allecto adeſſe viventem faciunt. 2. quod Iacobum Zebedæi diu poſt ſuam mortem ſuperfuiſſe. 3. Cæteros item Apoſtolos omnes vixiſſe cum Clemens eſſet Rom. Epiſc. cum conditus eſt N. T. canon, cum dicata ſunt iis feſta, abſurdiſſimè fingant.

NUNC exſequenda ſunt quæ Διαταγεῖς in hiſtoria non uno modo peccant; unde & certiſſimum & evidentiſſimum ducitur illius *κα-*

κοπλαςίας argumentum, cujus eos Photius ſuis jam temporibus accuſatos fuiſſe tradit.
a Cod. 113. Primo ex divino Actuum Apoſtolicorum libro conſtat Paulum nonniſi poſt Stephani Diaconi necem fuiſſe à Chriſto ad Apoſtolatum vocatum; utpote qui & in Do-
b Act. 7. 57. minum furens eorum teſtium qui Martyrem lapidaverunt, veſtimenta ſervabat; & poſt id tempus adhuc minas & cædem in diſcipulos ſpirans cum litteris Principis
c Act. 9. 12. ſacerdotum Damascum ad vinciendos fideles profectus narratur. Tanta vero eſt impoſtoris, qui Conſtitutiones conſarcinavit, impudentia, ut hunc ipſum Stephanum cum Paulo jam Apoſtolo, & reliquis una congregatum, præclaras hac διατάξεις ſcribentem & ad Eccleſias mittentem inducat, his verbis quæ jam ſupra ex octavo libro recitata ſunt:
d L. 8. c. 4. *Nos igitur duodecim Apoſtoli Domini, qui una ſumus, has vobis Conſtitutiones de omni Eccleſiaſtica forma indicimus, præſente Paulo vaſe electionis, & coapoſtolo noſtro, & Iacobo Epiſcopo, ac reliquis Presbyteris, & ſeptem Diaconis*: quorum ut notum eſt, unus fuit Stephanus. Imo tantus eſt iſtius fabulatoris ſtupor, ut hunc ipſum Stephanum, quem nunc una cum ceteris ſex Diaconis his condendis Conſtitutionibus adeſſe præſentem facit, alibi & quidem in eadem illa octava operis parte,

pro

pro Chriſto, antequam hæ conſtitutiones fierent, mortuum eſſe memoret. Ipſos enim illos Apoſtolos, quibus eum præſentem, unaque cum illis hæc decernentem facit, ita de eo loquentes hoc loco inducit *a*; ὃς τοσοῦ- a *l.* 8. 46.
τον τὴν θεοσέβειαν τῇ πίστει ἐνεδείξατο, καὶ *p.* 1043.
τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀγά- *d, Vid.* &
πην, ὡς ὑπὲρ αὐτοῦ δοῦναι καὶ τὴν ψυχὴν πρὸς *l.* 5. *c.* 7.
τῶν κυριοκτόνων Ἰουδαίων λίθοις βληθείς, *qui* & *l.* 8.
adeo pietatem erga Deum fide declaravit, 33.
& charitatem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut pro eo animam ſuam daret à Judæis Chriſti interfectoribus lapidatione confectus. Fuit-ne unquam ullius ſcriptoris ſimilis iſtius cæcitas, ac φρενοβλάβεια, ut aliquem cum iis ipſis præſentem ac loquentem inducat, qui eum mortuum narrent?

Sed non in uno Stephano peccavit impoſtor. Ecce & aliud monſtrum non minus horrendum. Iacobum Zebedæi filium b *Act.*
Ioannis fratrem ex divina Lucæ authorita- 12. 2.
te certum eſt ab Herode gladio interfectum eſſe, antequam Concilium illud Hieroſolymis ab Apoſtolis habitum eſſet, cujus hiſtoria Actuum capite decimo quinto extat, & quidem annis (ut putat Baronius) ſe- c *ad a.*
ptem. Idem tamen ille Iacobus apud no- *D.* 44. §.
ſtrum Διαταγέα una cum cæteris Apoſto- 1. & *ad*
lis congregatus totam illius Concilii ſe- *a.* 51. §. 4.

ptem annis poſt mortem ſuam habiti hiſtoriam narrat *a*; & ; quod etiam prodigioſius eſt collegis diu poſt illius Concilii tempora Conſtitutiones iſtas condentibus ac mittentibus adeſt. Nam Concilii illius Hieroſolymitani narrationem exſequuti, *Propter quæ* (inquiunt *b*) *& ipſi nunc in unum congregati Petrus, & Andreas, Iacobus & Ioannes filii Zebedæi, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus, Iacobus Alphæi,* &c. *ſcripſimus vobis Catholicam hanc doctrinam.* Huc etiam pertinet quod Jacobum ipſi Διαλαγεῖς alibi martyrium feciſſe memorant. Martyres enim in honore apud nos eſſe præcipiunt; ὡς καὶ παρ' ἡμῖν (inquiunt *c*) τετίμηνται ὁ μακάριος Ἰάκωβος ὁ ἐπίσκοπος; καὶ ὁ ἅγιος ἡμῶν συνδιάκονος Στέφανος, *ut & apud nos honorati ſunt beatus Iacobus Epiſcopus, & ſanctus noſter condiaconus Stephanus.* Sive Alphæi, ſive Zebedæi Iacobum intelligant, perinde eſt. Ambo enim iſti diſerte affirmantes alibi inducuntur ſe condendis, mittendiſque Conſtitutionibus adfuiſſe *d*; quorum tamen alterum iidem hic jam martyrio functum fuiſſe narrant, antequam hæc conderentur, atque mitterentur. Ita inverecundiſſimo, atque imperitiſſimo impoſtori mortuos vivis conjungere, præterita futuraque miſcere, mortuos

a *l.* 6. *c.* 22.

b *L.* 6. *c.* 14. *init.*

c L. 5. c. 7.

d L. 6. *c.* 14. *init.*

mortuos reſuſcitare, tempora turbare, ludus ac locus fuit.

Neque vero in his ſtetit nebulonis poſt homines natos impudentiſſimi protervia. Nam & Apoſtolis Chriſti tredecim, adeoque & Iacobo Zebedæi filio, congregatis una adeſſe facit Clementem civem, & Epiſcopum Romanum. Ajunt enim ſe ſuas iſtas Conſtitutiones διαπέμψασθαι διὰ τοῦ συλλειτουργοῦ Κλήμεντος τοῦ πιστοτάτου καὶ ὁμοψύχου τέκνου ἐν Κυρίῳ, *per Clementem comminiſtrum ſuum, fideliſſimumque ac cariſſimum Filium*. Atqui falſum eſt, & ab omni veri ſpecie alienum Clementem iſtum ante annum Domini 44. quo Jacobus Zebedæi interfectus eſt, ad Chriſti fidem converſum fuiſſe: nedum ut jam eo tempore Apoſtolorum συλλειτουργὸς fuerit. a L.6.c. 17. pæne extr.

Sed & boni iſti, Chriſti ſcilicet XIII Apoſtoli, de libris in Eccleſia legendis ita præcipiunt *b*; μετὰ τοῦτο (inquiunt) αἱ πράξεις αἱ ἡμέτεραι ἀναγινωσκέσθωσαν, καὶ ἐπιστολαὶ Παύλου τοῦ συνεργοῦ ἡμῶν. Tum; Καὶ μετὰ ταῦτα διάκονος, ἢ πρεσβύτερος ἀναγινωσκέτω τὰ Εὐαγγέλια ἃ ἐγὼ Ματθαῖος καὶ Ἰωάννης παρεδώκαμεν ὑμῖν, καὶ ἃ οἱ συνεργοὶ Παύλου παρειληφότες κατέλειψαν ὑμῖν Λουκᾶς καὶ Μάρκος. *Deinde Acta noſtra legantur. Item Epiſtolæ Pauli cooperarii noſtri &c. Poſtea diaconus, aut presbyter Eu-* b L. 2. c. 57.

angelia legat, quæ ego Matthæus & I
nes tradidimus vobis, & quæ Pauli c
rarii Marcus & Lucas acceperunt, &
liquerunt vobis. Hæc illi. Jam, ut c
ra mittam novi Teſtamenti hic ab iſtis
morata volumina, illud quidem conſta
vangelium à Joanne, poſtquam ex i
Patmo, in quam Domitiano imperant
legatus erat, à Nerva Domitiani ſucc
re revocatus eſſet, (hoc eſt anno Do
97) ſcriptum fuiſse; ut ex Irenæo *a*
Athanaſio *b*, & Hippolito Portuenſi
Epiphanio *d* docet Baronius *e*; quo
pore non modo Jacobum Zebedæi Fil
quem ſub Claudio, a. D. 42. paſſum,
lumque, & Petrum, quos ſub Nerone
a. D. 70. extinctos nemo dubitat, ſ
reliquos omnes præter unum Joannem
poſtolos variis mortibus ac locis con
ptos fuiſſe certa fides eſt. Cum ergo n
Διαταγεῖς iis temporibus & vixerint, &
gregati fuerint, quibus Joannis Evange
editum erat, Apoſtoli vero Ieſu Chriſ
ante quam illud Evangelium à Ioanne
retur, omnes præter Ioannem vivere i
ris deſierint; clarum eſt fieri ne
quam poſse, ut Διαταγεῖς Chriſti
ſtoli vere ſint; niſi eoſdem homines
nihil neque dici, neque fingi abſu
poteſt) mortuos ſimul ac ſuperſtites

a *Iren. l.* 3. *c.* 1.
b *Syn.*
c *apud Cedr. in Nerva.*
d *hær.* 51.
e *a. D.* 99. *§.* 2. *Vide & Bell. l.* 1. *de verbo Dei c.*20.

terris verſantes, & in cœlis regnantes ſtatuas.

Quid quod noſtri Διαταγεῖς eos ipſos, quos ſe eſſe impudenter mentiuntur Chriſti Apoſtolos, illo tempore quo hæc ſcribebant, mortuos jam omnes fuiſſe, haud obſcurè ſed tantumnon diſerte confitentur? Sic enim de feſtis præcipientes decernunt; Τὰς ἡμέρας τῶν Ἀποστόλων ἀργείτωσαν. a L. 8. c.
διδάσκαλοι γὰρ ὑμῶν εἰς Χριστὸν κατέστησαν, 33. extr.
καὶ πνεύματος ὑμᾶς ἠξίωσαν. *In diebus Apoſtolorum ferientur, Magiſtri enim veſtri in Chriſtum fuerunt, vosque ſpiritus ſancti participes fecerunt.* Dies Apoſtolorum natalitios intelligit, id eſt ex Eccleſiæ ſenſu atque uſu, eosdies, quibus Apoſtoli ſæculo quidem ac terris denati ſunt, æternitati autem & cælo nati & hinc in beatas ſedes traſlati: Ergo cum hæc ſcripta ſunt, jam omnes Apoſtoli ultimum illum eundemque beatiſſimum vitæ ſuæ diem obierant; ut nonniſi impudentiſſimè hæc ſcripſiſſe dici queant. Vix refelli meretur frigida Bovii cavillatio, qui hæc ita accipi vult, quaſi Apoſtoli ipſi ſuis feſtis viventes multum ante proſpexerint, quam mortem obirent. *Incredibile non eſt* (inquit) *eos ſuum e-* b *Anno-*
xitum in Dei gloriam, & fidei propagationẽ *tat. in*
futurum poſpicientes voluiſſe, ut iis diebus *hunc lo-*
fideles in commemorandis eorum certamini- *cum.*

bus, & Chriſti nomine celebrando
cupati. Itane vero Bovi? Credibil
detur ut ſanctiſſimi viri, quorum ſi
rat & modeſtia & humilitas, ſibi ip
verſaria feſta, vivi mortuis decer
Profer vero alicujus ſancti, ac ma
xemplum, qui taliaſibi ipſi adhuc v
cerni, ac in honorem ſui nominis p
lim à poſteris edixerit? Quod ſi
reperis, ſi hunc typhum à cujusvi
humilitate abhorrere fateri cogeris
nos quæſo de Chriſti Apoſtolis, on
militatis ac virtutis magiſtris rev
ſentire, quam ut in eorum mente
immodeſtiam cadere potuiſſe cre
Sed neque tuum hoc commentum
Διαταγέων verbis convenit. Nam ſi
iis pro tua libidine affingis, id ipſum
mo habeant; cur id non ſunt elocu
mentem his aut aliis conſimilibus
non aperuerunt, *Ii dies, quibus poſth*
riemur, ſacri poſteris ſunto; nequ
quam iis Chriſtianus opus ullum f
Nemo enim non videt id, quod tu
omnino eloquendum fuiſſe. Tui ve
ταγεῖς, Bovi, plane aliter loquunt
diebus (inquit) *Apoſtolorum ferianto*
dixerunt, non *noſtris*, quod ex tuo
rectum erat; ſed *Apoſtolorum*? Ni
ſentiebant abſurdum eſſe, ut, qui viuu

dem mortis ſuæ diem feſtum indicerent. Eo coactus eſt impoſtor abiecta Apoſtolorum perſona, quibus iſta non conveniunt, ipſe de iis in tertiâ, non in prima perſona loqui, & *Apoſtolorum dies* dicere, quos omnes intelligunt *dies quibus Apoſtoli mortui ſunt*, ſignificari; non autem *dies noſtros* quos ita ab ipſis Apoſtolis in propria perſona commemoratos nemo intellexiſſet. Huc accedit, quod verbis ſequentibus clariſſimè ſignificant iſtos, quorum dies obſervari volunt, Apoſtolos, jam eſse mortuos. *Hi enim* (inquiunt) *veſtri in Chriſtum magiſtri fuerunt*. Qui ita loquuntur, vixiſse iſtos, fuiſseque, hoc eſt vivere, eſseque deſiiſſe, plane liquidoque teſtantur. Ergo, cum hæc decreta ſunt, dubitandum non eſt qnin jam mortui eſſent Apoſtoli; quin adeo quivis potius, quam ipſi, hæc decreverint, ac ſcripſerint.

CAPUT XV.

Arg. XVII. Conſtitutiones Ebionæos & alios hæriticos poſt Apoſtolorum mortem exortos, Apoſtolis coævos, Clementem Petro vivo Romæ ſediſſe Epiſcopum, & alia prodigioſa fabulantur.

HUC alia accedunt certiſſima καπηλείας argumenta. Primo enim Ebionæos οἱ Διάλαγεῖς mentiuntur ſuo tempore cæpiſſe; οἱ

a L.6.c. ἐφ' ἡμῶν (inquiunt) νιῶ φανέντες Ἐβ
6. extr. τ̃ ὑιὸν τ̃ θεῦ ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι βȣλ
ἐξ ἡδονῆς ἀνδρὸς, καὶ συμπλοκῆς Ἰωσ
Μαρίας ἀυτὸν γεννῶντες, *Qui nunc*
tempore exorti ſunt Ebionæi, qui
Dei nudum hominem eſſe volunt, e
b hær.30. *ptate viri, & ex Joſephi ac Mar*
§. 2. p. *junctione eum generantes.* Atqui E
126. nius (quod eſt etiam à Baronio *b* ob
c a.D. tum) initium Ebionæorum cœpiſſe
74. §. μετὰ τὴν τῶν Ἱεροσολύμων ἅλωσιν, poſ
6. roſolymitanæ urbis excidium, (id eſt
annum Domini 70) quo tempore n
cobum modo, ſed & Petrum & Pa
alioſque aliquot ex Apoſtolis vivere
ris deſiiſſe, omnes conſentiunt. No
ergo Iacobus, Petrus & Paulus noſtr
ϖαγεῖς, quique ſe ipſos eſſe profitent
pertiſſime mentiuntur.

Tum iidem ajunt ſe Iacobo in Hi
lymitano epiſcopatu Symeonem C
ſuffeciſſe; Symeoni Judam Iacobi fil
d L. 7. c. Περὶ δὲ τῶν ὑφ' ἡμῶν χειροτονηθέντων
48. πων ἐν τῇ ζωῇ τῇ ἡμετέρᾳ γνωρίζομεν
τι εἰσὶν ἔτοι· Ἱεροσολύμων μὲν ὁ Ἰακω
τȣ̃ Κυρίȣ ἀδελφός. ȣ̃ τελευτήσαντος
ρος Συμεὼν ὁ τȣ̃ Κλεόπα· μεθ' ὃν τρίτ
δας Ἰακώβȣ. Καισαρείας δὲ τ̃ παλαιςίν
τερον μὲν Ζακχαῖος ὁ ποτὲ τελώνης,
Κορνήλιος, καὶ τρίτος Θεόφιλος.

p

piſcopis vero, qui à nobis, dum viximus, ordinati ſunt, certiores vos facimus, hos eſſe; Iacobum Hieroſolymorum fratrem Domini, quo mortuo ſecundus fuit Symeon Cleopæ, poſt hunc tertius Iudas Iacobi. Cæſareæ vero Palæſtinæ Zacchæum, qui olim publicanus fuerat, poſtquem Cornelius; tertiuſque Theophilus. Atqui teſte Petro Helloixio Jeſuita, *conſtat Clementem obiiſſe ante Symeonem Cleopæ, & ante Theophilum Cæſareæ Palœſtinæ Epiſcopum.* Ergo craſſiſſimi mendacii manifeſti ſunt noſtri Διαταγεῖς, qui, quo tempore hæc ſcribunt, ſupereſſe adhuc faciunt non modo Clementem *b*, non modo Petrum & Paulum *c*, annis pluſquam 25. ante Clementem mortuos; ſed & (quod inſaniæ ac ſtultitiæ prodigium eſt) ipſum quoque illum Jacobum *d*, cujus hoc loco obitum diſertè ipſi commemorant.

a *Not. in vit. Ignat. c. 2.*

b L. 6. *c.* 8. *& c.* 18.

c L. 6. *c.* 14. *l.* 8. *c.* 4. *l.* 8. *c.* 33.

d L. 6. *c.* 14. *& l.* 8. *c.* 35.

Ejuſdem ſtuporis eſt, quod Clementem noſtri Διαταγεῖς Petro vivente jam Romanum fuiſſe Epiſcopum fingunt; quem tamen omnes Petro mortuo in illo Epiſcopatu, & quidem non immediate, ſed poſt Linum omnes, plurimi ac fere omnes, etiam poſt Linum & Cletum, ſucceſſiſſe conſentiunt. Sic enim illi Petrum loquenrem inducunt; ὁ μέντοι Σίμων ἐμοὶ Πέτρῳ πρῶτον ἐν Καισαρείᾳ τῇ Στράτωνος &c. συντυχὼν μοι

e L. 6. c. 8.

μοι ἐπειρᾶτο διαςρέφειν τ̃ λόγον τοῦ Θ
παρόντων μοι τῶν ἱερῶν τέκνων Ζακχαι
τε τελώνου καὶ Βαρνάβα ἢ Νικήτου καὶ
ἀδελφῶν Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίων ἐ
τε καὶ πολίτου. *At Simon cum me p*
conveniſſet in Cæſarea Stratonis, & c
batur verbum Dei pervertere, cu
mecum ſancti filii Zacchæus olim p
nus, & Barnabas, & Nicetas, &
las fratres Clementis Epiſcopi & ci
mani. Ex quibus liquet mentiri iſtu
hæc Loquitur, dum ſe Petrum eſſe a
rus enim Petrus Clemente Epiſcopo
ris neque vixit; neque vivere potu
ſcilicet mortuo Clemens ſucceſſiſſe

Præterea boni illi noſtri Διάλογε
tos hæreticos memorant poſt Apoſt
mortem exortos; nominatim auten
a L.6.c. 8. in. cum, Baſilidem, & Saturnilum, ἐ
quiunt) καὶ ἕτεροι ἑτέρων κατῆρξαν
δογμάτων, Κήρινθος, καὶ Μάρκος
νανδρος, καὶ Βασιλείδης, καὶ Σατυ
Deinde alii aliorum dogmatum abſu
authores extiterunt Cerinthus, M
Menander, Baſilides & Saturnil
vero conſtat inprimis ex Irenæo o
ſtos hæreticos poſt Clementis Rom
deoque & poſt Apoſtolorum morten
tos eſse. Is enim diſertiſſime ſcript
liquit Clementis epiſtolam ad Cor

vetuſtiorem eſſe illis hæreticis, qui tunc docebant alterum Deum ſuper Demiurgum; quibus verbis, ut omnes vident, ſignificat vixiſse Clementem antequam hęretici illi ſua venena ſpargere cœpiſſent. Deinde ſigillatim quoque demonſtrari poteſt unumquemque hæreticorum, quos hic nominatim memorant Διαταγεῖς, poſt Apoſtolorum & Clementis fata exortos eſſe. Nam Baſilidem Alexandriæ, Saturnilum Antiochiæ à Menandro Simonis ſucceſsore exortos, *ἀμφίστομον ὥσπερ καὶ δικέφαλον ὀφιώδη τινὰ προελθοῦσαν δύναμιν*, duarum hæreſium authores, alterum in Syria, in Ægypto alterum, ſub Adriano, impietatis ſuæ officinam conſtituiſse tradit in quarto hiſtoriarum Euſebius; idemque Baſilidem iis ipſis temporibus anno Domini 136. in altero, quod Chronicon eſt, opere exhibet. Sic quoque Theodoretus de utroque verba faciens, *ἄμφω δὲ* (inquit) ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐγένοντο, *Ambo autem Adriani Cæſaris tempore fuerunt.* Euſebio vero & Theodoreto multo vetuſtior Clemens Alexandrinus ſcribit περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους γεγονέναι τοὺς τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντας, *circa tempora Adriani Imperatoris fuiſſe, qui hereſes excogitarunt, & perveniſſe* μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου τῆς ἡλικίας, καθάπερ ὁ Βασιλείδης (inquit)

a *L. 3. c. 3. adv. hær.*

b *L. 4. c. 6. edit. gr. Vide & Iren. l. 1. c. 22.*

c *L. 1. hæret. fab. c. 2. extr. in Menandro.*

d *Strom. l. 7. p. 764. c.*

quit) κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδ
ὡς αὐχοῦσιν αὐτοὶ, τ Πέτρε ἑρμηνέα,
ætatem Antonini natu majoris, ſic
lides (inquit) *etiamſi Glauciam ſib*
bat magiſtrum, ut ipſi gloriantur,
Petri interpres. Antoninus autem
enim eſt quem πρεσβύτερον Clemen
Hadriano mortuo VI. Idus Jul. ſuc
D. 138. & ad a. D. 161. imperav
eo ebulliit omnis Gnoſticorum col
Saturnilo & Baſilide quidem exort
cundo verò, Epiphane, Valentin
diverſis modis propagata. Marcum
quo *Marcoſii*, Epiphanius tradit
do, Epiphani, Ptolemæo, & Va
ſucceſſiſſe, proindeque poſt a. D. 14
a *Hæres. 34. init.* erupit Valentinus *a)* vixiſſe. Cum e
que Joannes, qui Apoſtolorum ulti
b *Euſeb. hiſt. l. 4. c. 10.* perſuit, neque Clemens Romanu
fortaſſe unum annum, aut alterum
primum Chriſtianiſmi ſeculum (quo
100. concluditur) vitam produxerin
non poteſt, ut vel Apoſtoli vel C
fuerint noſtri illi Διαταγεῖς; quibus
quet, etiam de nomine cogniti fuer
retici poſt annum ſecundi ſæculi 36.
exorti.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Arg. XVIII. Sibyllinos verſus diu poſt Apoſtolorum mortem editos citant, & Romanos principes, veluti jam Apoſtolorum temporibus Chriſtianos, mentiuntur Conſtitutiones. Bovii & Turriani κρησφύγετον refellitur ac præcluditur.

ID ipſum evidenter ex eo probatur, quod iidem Διαταγεῖς verſus ex Sibyllino opere decem ad probandam reſurrectionem recitant; eodemque loco ad id quoque argumentum Phœnicis hiſtoriam narrant *a*. At carmina illa, quæ Sibyllarum nomine circumferuntur, clarum certumque eſt, Antonino Pio & Marco Aurelio imperantibus (hoc eſt annis poſt omnium Apoſtolorum mortem minimum 38) ficta primum, & in lucem edita fuiſſe. Itaque Clemens Romanus cujus mors in annum Chriſti centeſimum incidit, affert *b* quidem Phœnicis narrationem ad confirmandum reſurrectionis myſterium: Sibyllinorum vero verſuum nullus meminit; quod ipſius ſcilicet ætate nondum natum eſſet illud Sibyllis poſtea affictum opus. Quod (ut obiter id quoque nunc dicam) certum argumentum eſt, neque Clementi agnitas fuiſſe iſtas Apoſtolorum Conſtitutiones, nedum ut earum

a *L. 5. c. 6. p. 919. b.*

b *In ep. ad. Cor.*

rum ipſe vel author, vel gerulus aut
fuerit; quas ſi cognitas habuiſſet, cau
ci non poteſt, cur qui è duobus reſur
onis apud eas allatis argumentis, alt
de phœnice ſcilicet memoravit, alte
Sibyllino opere petitium, omiſerit.

Quid, quod noſtri Διαταγεῖς parti
nuunt, partim clare profitentur, Ron
Cæſares eo, quo ipſi hæc ſcripſerunt
pore Chriſtianos fuiſſe? Hoc q
innuunt, cum epiſcopum Regibus
eſſe affirmant iis verbis, quæ jam
a L.c.21. recitavimus. *Dei* (inquiunt *a*) *fo*
vel exemplar apud homines habet, e
omnibus hominibus, ſacerdotibus, r
magiſtratibus, &c. præeſt. Iſta ſtult
dicule dicta ſunt, niſi tū cum dicerent
σιλεῖς & ἄρχοντες, hoc eſt, *Imperat*
præfecti, ſive *magiſtratus* fuerint,
præeſſent epiſcopi Chriſtiani. Quî en
σιλέων καὶ ἀρχόντων ἄρχειν, Princip
præfectis præeſſe, dici poteſt, qui n
quos regat, habet ſibi ſubjectos nec
ges, neque præfectos? Nullos auten
præfectoſve regunt Epiſcopi niſi C
ſtianos; nullis præſunt, niſi Chri
Ergo Principes, Præfectoſque Chri
fuiſſe neceſſe eſt, cum iſti hęc ita ſcrip
Sed quid eſt argumentis opus? Ipſi i
clare diſerteque in alia operis part

tentur: ὐ μόνον ᾗ (inquiunt *a*) τ̃ τῆς δικαιοσιώνης νόμον δι' ἡμῶν ἐπιδείκνυσθαι βούλεται (ὁ a L. 6. c. 24.
θεὸς) ἀλλὰ καὶ διὰ Ῥωμαίων εὐδόκησεν αὐτὸν φαίνεσθαι καὶ λάμπειν. Καὶ γὰρ οὗτοι πιστεύσαντες ἐπὶ τ̃ Κύριον, καὶ πολυθείας ἀπέστησαν καὶ ἀδικίας· καὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἀποδέχονται, καὶ τοὺς φαύλους κολάζουσιν. Ἰουδαίους ᾗ ὑποφόρους ἔχουσι, καὶ τοῖς ἰδίοις δικαιώμασιν οὐκ ἐῶσι κεχρῆσθαι. *Neq; vero vult* (Deus) *ut per nos tantum lex juſtitiæ eniteat, ſed voluit ut per Romanos quoq; luceret, ac ſplenderet. Nam & ipſi in Dominum Ieſum crediderunt, & à Deorum multitudine, atque ab injuſtitia abſceſſerunt, bonoſque probant, & pravos puniunt: Iudæos vero vectigales habent, & eos legibus ſuis uti non ſinunt.* Vides iſtius, qui hoc ſcripſit, ſeculo *Romanos in Chriſtum credidiſſe*, & eos, quibus vectigales erant *Iudæi*, *à Deorum multitudine abſceſſiſſe.* Hoc autem factum non eſt ante annum quarti ſæculi 12. cum Imperator Conſtantinus, Paganico errore abjecto, Chriſti Domini fidem profeſſus eſt: quo vero tempore vivebant Apoſtoli, ſumma erat Romanorum à Chriſto averſio, ſummus in Chriſtianos furor, ſummus Deorum & idololatriæ amor. Ergo qui hæc ita ſcribunt Διαταγεῖς, ii Apoſtoli non ſunt, ſed homines minimum 212. annis poſt Apoſtolorum mortem viventes. Quo loco non poſ-

ſum ſatis mirari impoſtoris, qui hanc
lam fecit, ingenium, adeo non mo
probus & nequam fuit, qui ſua Ap
affingere auſus eſt, ſed etiam inſulſus
cors, qui quæ fingit, tam craſsè tam
perite fingit, ea quæ nemo neſcit t
ſe temporum intervallis diviſa, imp
neſcio, an ſtultitia majori, conjunge
derunt Διατάξεων amaſii, Bovius &
rianus, rei abſurditatem; & pro ſua
virili, idoli ſui turpitudinem ſi non
re, certè occultare atque obumbrar
ti ſunt. *Noli putare* (inquit ad poſte
hunc locum Bovius) *univerſum p*
Romanum eo tempore Chriſti fidem
xum fuiſſe: ſed cum multi eſſent
Chriſtiani, jamque religio eſſet celebr
ſertim ſi ab ea (ut legitur) Tiberius
horruit; propterea hanc rem extoll
mens, inquit Romanos, recepta Ch
pietate, ab idolorum cultu diſceſſiſſe.
ſte nobis de more imponit. Nul
ſchema, nullus color, quo poſſit iſ
dodiatageos de Apoſtolorum tem
dicta oratio à mendacio & quidem
mo purgari. *Multi erant*, inquit
in urbe Chriſtiani. Imo pauciſſi
Chriſtiani præ Paganorum mult
Neque quiſquam, ut opinor, dub
multo plures hodie in Gallia, vel

ma reperiri Proteſtantes, quam olim Romę Chriſtianos, Apoſtolorum temporibus. Nemo tamen ſanus idcirco dixerit, de tota gente in genere loquens, *Gallos vel Polonos à Pontifice Romano defeciſſe, & Proteſtantium ſacra recepiſſe.* Qui ſic loquitur, is vel de univerſa gente, vel certe de majori ejus parte intelligit. Neque tu mihi Bovi, ullum attuleris exemplum ſimile huic tuorum Διαταγέων dicto: niſi forte Ieſuitæ alicujus, res apud Sinenſes aut Japonios ſuas ſupra verum apud ignaros audacter extollentis. Sed Ieſuitis quidem ex Ignatii ſui diſciplina non eſt omnino nefas mentiri; Apoſtolis ex Magiſtri ſui Euangelio non idem licuit. Quod addis, jam *tum in urbe celebrem fuiſſe religionem*, concedo; eo effici ut Romani recte dicantur *à Deorum multitudine diſceſſiſſe*, nego. *Celebris erat*, non quod eam Romanus Princeps, urbanique ac provinciales magiſtratus, quod ſignificant tui Apoſtoli, amplecterentur ejerato Gentiliſmo: ſed quod eam potius oppugnarent; quod eam tametſi tanta authoritate, tantiſque viribus oppugnatam non vincerent. Certe & noſtra (qui *Proteſtantes* ſive *Reformati* dicimur) religio Henrici II. temporibus fuit in Gallia celebris. Tune tamen eum ſapere putaveris, qui quo tempore Henricus noſtros homines iniquis

ſuſpicionibus exacerbatus ferro fl
que inſectabatur, *Gallorum gentem*
matam dixerit religionem ſuſcepiſſe
Romani communionem abjeciſſe?
Nemo ſic loquitur, niſi de iis, q
publica Regis authoritate, vel
gentis conſenſu fiunt. Quod deni
Tiberio affert Bovius, id & per
le, & ab hac inſuper cauſſa alienum
tile eſt, inquam; Tiberius enim
quidem ab eo non abhorruiſſe, ut C
inter Divos referretur: *à Deorun*
titudine, aut ab *injuſtitia* ἀποςῆσ
ceſiſſe, nunquam legitur; imo ho
de Chriſto placitum legitur neque
perſuaſiſſe, neque ut perſuaderet, va
boraſſe, aut contendiſſe. Sed & hoc
cumque de cætero fuerit Tiberii
um, ad id quidem quod nunc quæritu
nime pertinet. Hæc enim Apoſtol
imperante Tiberio, qui anno Chriſt
vivis exceſſerat, ſed aliis regnantibu
cipibus locuti eſſe finguntur. Ce
ipſo loco ajunt, Romanos Iudæis l
cultum ſic eripuiſſe, ut iis in *Hieroſoly*
à L. 6. c. 24. *ſolo* a *aram ponere* & *ſacrificare* no
rit: quæ, ut quivis videt, non poſſun
iis temporibus accipi, quæ Hieroſo
num excidium conſecuta ſunt, id eſt
Domini 70. Sed quo funditus ſu

Bovii cavillatio, illud præterea eſt animadvertendum, quod à clariſſimo reverendiſſimoque Vſſerio vere obſervatum eſt, non de populo tantum, ſed de Principibus Romanis clare, exſerteque loqui Διαταγέας. Romanos enim iſtos, qui *in Dominum crediderunt*, & *à Deorum multitudine diſceſſerunt, ac deſciverunt*, eos ipſos ajunt τὺς Ἰυδαίυς ὑποφόρυς ἔχειν, *vectigales ac tributa ſibi penſitantes Iudæos habuiſſe*, tum eos *patriis legibus uti* non ſiviſſe; quæ neq; populo, neque ipſis populi inferioribus magiſtratibus, ſed ſolis Principibus conveniunt. Ad quæ illud etiam poſtremo accedit, quod ajunt iidem, Romanos illos, de quibus verba faciunt, καὶ τὺς ἀγαθὺς ἀποδέχεσθαι, καὶ τὺς φαύλυς κολάζειν, *bonos probare, pravos punire*, continenterque illa de Iudæorum gravi ſub imperio Romano ſervitute, ac calamitate ſubjiciunt. Nimirum clare ſignificant, Romanos eo teſtari, quam ſibi cordi ſit juſtitia, quod Chriſtianorum quidem, utpote bonorum, ſacra ac religionem conſtituerint: Iudæis vero improbis, ac ultima commeritis, non modo civilem, ſed & ſacram & legalem poteſtatem ſacra ſua faciendi, ademerint: quæ rerum ſub Conſtantino, ſecutiſque Chriſtianis Principibus diſpōſitioñi ad amuſſim congruunt; ab Apoſtolorum temporibus plane penituſque abhorrent;

a *Diſſert. ad Ign. c.* 16. *p.* 118.

 horrent;

horrent: quibus ſcilicet Romani &
ſtianos graviſſimis perſecutionibus
bant, omni iis interdicta ſuæ colend
gionis poteſtate, & Iudæis contra
num Chriſti 70 tutam ac ſecuram ſ
ſacrorum libertatẽ concedebant: ut f
abſurdumque ſit dicere, Romanos tu
dem & *bonos probaſſe*, & *pravos p*
ſe; niſi forte Bovius, & *pravos Chri*
& *bonos Iudæos* fuiſſe, ſomniet. Atq
de Bovio quidem ſatis. Sed & ex iis
dit Turriani figmentum, qui fuiſſe a
a *In explanat. Apolog. ad Conſt.* *poſtolorum temporibus Romæ nobil*
tos credentes, ex domo etiam ac fami
ſaris; quos judicia exercuiſſe, & geſſi
giſtratus, ut hæc quæ Clemens dicit
poſſent, *nemo* (inquit) *cum ratione*
re poterit. Nam neque illud certu
quod iſte ſuo more confidenter pon
tos Romæ nobiles tum Chriſtianos fui
enim nobiles neceſſario ſunt, quicu
domo Principis ſunt, in qua multi
ſunt & miniſtri & ſervi ignobiles) n
tum fuerunt aliqui nobiles Chriſtia
dem ideo neceſſe eſt *judicia exercu*
magiſtratus geſſiſſe, quinimo con
Tertulliani quidem temporibus, id
no Chriſti 217. cum res Chriſtiana
quam Apoſtolorum ſæculo major e
que auctior, ullum fuiſſe Chriſtianu
ma

magiſtratum gereret; neque ſi Romanos aliquot, unum, & alterum fortaſſe, magiſtratus Chriſtianiſmum Apoſtolicis temporibus coluiſſe donaverimus, eo conſequens eſt, ut univerſim de tota gente vere dici potuerit *Romanos in Chriſtum credidiſſe, & à Deorum multitudine diſceſſiſſe*, quod ajunt Διαταγεῖς. Neque poſtremo id verum eſt, quod ſtatuit Turrianus, de ſolis magiſtratibus intellexiſſe τὰς Διαταγέας, cum ex ſuperioribus pateat eos de ipſis Romanorum principibus loqui, quos nemo neſcit ante à. D. 312. minime fuiſſe Chriſtianos. Sed nos Turrianum quidem non miramur immanes iſtas, planeque prodigioſas hyperbolas facile concoquere, Ignatianæ familiæ hominem; in qua omnia ſupra verum extollere, ex muſca elephantum facere, pro pauculis aliquot homuncionibus regna ac imperia tota ad Chriſtianiſmum traducta jactare, poſtremo fingere, ac, ut ſimpliciter dicam, mentiri, quoties ex uſu eſt, tam licet, quam verum dicere. Tantum eo fallitur Turrianus, quod ex ſuæ familæ moribus, ac inſtitutis de Chriſti Apoſtolis judicat, quorum plane alia fuit, quam Ignatianorum eſt, ratio ac diſciplina. Adeo enim veraces, adeoque ſancti, ac ſeveri fuerunt, ut vel mortem ipſam mendacio præoptaverint. Ergo qui tales fuerunt, nihil eos

quod verum non eſset, dixiſse, a
pſiſse, pro certo ſtatuendum eſt.
cum liquido falſum ſit, Romanos
temporibus *in Dominum credidiſſe*
Deorum multitudine diſceſſiſſe ; illu
que non minus falſum eſse putand
quod vult Turrianus, ab iis hoc vo
profectum eſse, in quo id ipſum habe

CAP. XVII.

Arg. XIX. Conſtitutiones multa haben
poſtolorum uſu & ſapientia aliena,
multas ex Euangeliis Ῥήσεις *citatas deſc*
quod multa ex V. T. apocryphis laudan
Iſraëlis etymon falſum & abſurdum add
Philippum Simonis baptiſten, Apoſtolu
unt; Iacobum fratrem Domini, Ap
fuiſſe negant; quod Mariam Lazari ſor
Magdalena diverſam inducunt; quod &
ſem falſo, & alias Scripturas perper
tant.

SED præter hæc à dogmate
ſciplina, ab hiſtoria Apoſtol
aliena, alia inſuper non pau
pud noſtros Διαταγέας occu
ab eorundem ſive uſu, ſive ſapientia al
rentia. Principio enim illi, quod ab h
in epiſtolis ſuis, quaſcunque habemus
alienum eſt, multas paſſim eaſque ſæ
tis prolixas citant ex quatuor Euang

rum codicibus ῥήσεις; ut illam ex Joanne *a*, ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *Scrutamini Scripturas*; hanc ex Matthæo *b*, *Beati eſtis cum exprobraverint vos*, & ex aliis alias. Hæc etiam ex Actuum initio, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, *quæ Chriſtus cœpit facere & docere*; unde etiam colligunt, Epiſcopum primo *facere*, hoc eſt, bene & Chriſtiane vivere; deinde & *docere* debere: quam in illa Lucæ verba obſervationem, ut bellam & ſcitulam eſſe non nego, ita Spiritus Sancti in eo loco menti congruam, gravemque & Apoſtolis dignam non puto; neque dubito, quin eam impoſtor, ut pleraque alia, ex ſequentium ſæculorum authoribus ſumpſerit, apud quos illa non raro occurrit.

a L.2.c.5. b *l.2.c.6. Vide etiam c.13. b.c.c. 16. d.c.17.d. c.20.a.b. c.c.21.b. c.25.c. 35.a.c. 53.c.* L. 5. *c. 3.d.l.7.c. 25. & paſſim.*

Sed neque illud Apoſtolicum eſt, quod hi Διατάγεις eos libros qui ſunt Apocryphi, ut Suſannæ *c*, & Iudithæ *d*, & Baruchi *e*, & Eccleſiaſtici *f* volumina laudant, eorumque ſententiis & authoritate nituntur: quod nuſquam veri Domini Apoſtoli fecerunt in certis & indubitatis ipſorum libris.

c L. 2. *c.* 51. d L. 3. *c.* 17. e L. 5. *c.* 2. f L. 4. *c.* 11.

Eſt & hoc ab Apoſtolorum more alienum, quod Principes, à quibus perſecutionem Eccleſia patiebatur, eos iſti Διατάγεις *tyrannos*, voce invidioſa & infami, alicubi appellant *g*.

g L. 4. *c.* 9.

Neſcio an & illud Apoſtolorum gravitatem,

tatem, & concordiam ſatis deceat, quod iſti poſtquam in ſuperioribus libris plurima velut uno omnes ore unaque ſententia conſtituerunt; libro repente octavo ſinguli, ut

a *l.* 8. 16. *Vid.* & *c.* 37. 19. 21. 22. 23, 25. 27.

Ioannes *a* verbi gratia ſolus, tum Philippus, tum alii ſuo quiſq; nomine ſua quędam ſeorſim decernentes inducuntur: quod non alia de cauſſa factum ab impoſtore crediderim, quam ut illa orationis varietate nonnihil recreetur lectoris animus, præcedentium ſi forte prolixitate ac uniformitate feſſus. Nam illa, quæ iſti ſinguli conſtituunt, ſi bona ſunt, & Chriſto, atque Eccleſia digna; cur non, ut cætera, decernuntur ab univerſis, præſertim in unum ſimul locum congregatis? Sin mala ſunt, & levia Eccleſiæque nequaquam neceſſaria, ea vero ne à ſingulis quidem, haud magis profectò, quam ab univerſis decerni decuit.

Ab eximia vero Apoſtolorum ſapientia illud primo abhorret, quod nomen *Iſrael* iſti ſic interpretantur *b*, quaſi idem eſſet quod ὁ ὁρῶν θεὸν, *Deum videns*, quo etymo uſque adeo gaviſi ſunt, ut id duobus locis ponere eos non piguerit. Atqui aliud eſſe *Iſraelis* etymon, nos docet ipſe Dominus, qui profitetur id nominis ſe Iacobo impoſuiſſe *c*, quod *adverſus Deum fortis fuiſſet*, eique in lucta quodammodo prævaluiſſet; quo etiam reſpicit Oſeas, cum de Jacobo

b *l.* 7. *c.* 37. *l.* 8. *c.* 15. *p.* 1024. *d.*

c *Gen.* 32. 28.

ait,

ait *a, In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt.* Et ſane congruunt huic etymo voces Ebrææ. שור enim eſt dominari, principem eſſe, אל vero Deus: ut ſit *Iſrael* idem quod *princeps cum Deo*, ſive ἄρχων πρὸς θεὸν, ut vertebat Symmachus, vel ἐνισχύσας μετὰ θεοῦ, qui *invaluit*, aut *confortatus eſt cum Deo*, ut Theodotion. Etymon vero Διατάγέων, ὁρῶν θεὸν, à vocibus Ebræis alienum eſt. Niſi igitur Apoſtolos & linguæ ſanctæ ignaros, & ſacris Dei ipſius oraculis adverſatos fuiſſe ſtatuamus, neceſſario fatendum eſt, non eſſe Apoſtolos hos Bovianos Διατάγέας. Sed illi ſcilicet, ut multa alia, ita & falſum hoc etymon, quod ſecuti ſunt, habent à Patribus tertii ſæculi, qui aliqua vocabulorum ſimilitudine decepti, quod ראה *ruah* Hebraicè ſit *videre*, *Iſraelem* per incogitantiam eo retulerunt, putaruntque idem eſse, quod ὁρῶν θεὸν, *Deum videns*, & litteras duas יש quæ initio nominis *Iſrael* occurrunt, exiſtimarunt eſse ex nomine איש *vir* detruncatas, unde tandem totum hoc etymon ſic effinxerunt, ut ſit Iſrael ὁ ἀνὴρ ὁρῶν θεὸν, *vir videns Deum*. Neque mirum eſt, iſtorum authoritatem τοῖς Διατάγεῦσι impoſuiſse, cum omnes pæne Eccleſiaſticos in eundem errorem olim abripuerit; ut ex Hieronymo diſcimus,

a Oſ. 12. 4.

ſcimus, qui ad hoc etymon refellendum ſe accingens, ait, *id omnium pæne ſermone detritum fuiſſe*, atque ita locum totum, vere
a Tradit. Hebr. in Gen. in c. 32. T. 3. fol. 76. k.
ſane, ac fortiter concludit: *Quamvis igitur grandis authoritatis ſint, & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſrael* virum, *ſive* mentem videntem Deum *tranſtulerunt, nos magis Scripturæ, & Angeli vel Dei, qui ipſum Iſrael vocavit, authoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ ſæcularis.*

Sed & hæc quæ ſequuntur, etiam longius ab Apoſtolorum ſapientia ac veracitate
b *de ſcript. Eccl. in Clem.*
diſcedunt. Quale illud eſt à Bellarmino *b* notatum, quod ajunt *οἱ Διαταγεῖς* Philippum *c*, à quo Simonem magum baptizatum narrat Lucas, fuiſſe Apoſtolum. *Ἡνίκα δὲ Φίλιππος* (inquiunt) *ὁ συναπόστολος ἡμῶν τῇ τοῦ θεοῦ δόσει, καὶ τῇ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ ἐνεργείᾳ, δυνάμεις ἰαμάτων ἐπετέλει ἐν Σαμαρείᾳ*, *Quando vero Philippus coapoſtolus noſter Dei munere & Spiritus ſancti operatione miracula ſanitatum in Samaria faciebat*, &c. Id vero (inquit Bellarminus *d*) *manifeſte falſum eſt*. Philippum enim illum ex Actis liquet, non Apoſtolum, ſed Diaconum fuiſſe. Ac illi quidem Apoſtolatum, ut Philippo gratis falſoque tribuunt, qui Diaconus fuit; ita & Iacobo Domini fratri, æque falſo ac contumelioſe eripiunt.

c L. 6. c. 7.

d c. 8.

Digitized by Google

eripiunt. Enumeratis enim omnibus Chriſti Apoſtolis, hunc inſuper extra eorum numerum ita adiiciunt *a*: Ἰάκωβός τε ὁ τοῦ Κυρίου ἀδελφὸς, καὶ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος, & Iacobus frater Domini, idemque Hieroſolymitanus epiſcopus. Et alibi *b* eundem ſcribunt ab Apoſtolis ordinatum fuiſſe Hieroſolymorum Epiſcopum; & Clementi Romæ, Euodio Antiochiæ, Zacchæo Cæſareæ Epiſcopis, aliiſque ejuſdem ordinis accenſent. Boviani vero Διαταγεῖς *c* duo hic ponunt: prius quidem, *Iacobum* fratrem Domini non fuiſſe Apoſtolum, ſed Epiſcopum duntaxat Hieroſolymitanum ab Apoſtolis ordinatum. Poſterius vero, quod ex priori neceſſario conſequitur, *Iacobum* illum fratrem Domini, alium eſſe à Jacobo Alphæi, qui ab Euangeliſtis inter XII. Chriſti Apoſtolos diſerte nominatur: proindeque non duos tantum, ſed tres eſſe Iacobos in Scripturis divinis memoratos inter primarios Chriſti diſcipulos; Jacobum Zebedæi filium Joannis fratrem, Iacobum Alphæi, utrumque Apoſtolum; Iacobum denique Domini fratrem non Apoſtolum, ſed Epiſcopum Hieroſolymitanum. Hæc autem omnia falſa eſſe, & ex ſcripturis liquet, & apud doctiſſimos adverſariorum confeſſum eſt. Jacobum enim Domini fratrem eundem quoque Apoſtolum

a *L.* 6. *c.* 14. *in. Sic etiam c.* 12. *p.* 949. *a. & l.* 8. *c.* 4.

b L. 7. *c.* 48.

c *Vt. ſupra.*

poſtolorum fuiſſe diſerte ait Paulus, dum narrans ſe Hieroſolymam Petri viſendi gratia veniſſe, ſeque apud eum diebus quindecim manſiſſe, continuo hæc addit, a *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.* Neque quicquam valet putida Bovii vitilitigatio, cavillantis *b* eum à Paulo *Apoſtolum* ampliori vocabulo dici, quomodo & alii Apoſtoli nominantur præter duodecim, quotquot ſcilicet ad propagandum Euangelium miſſi ſunt. Fateor, *Apoſtoli* nomen interdum latius ſic ſumi: ita hoc loco ſumendum, nego. Obſtat Pauli oratio. Non enim ſimpliciter negat, *Se ullum Apoſtolum vidiſſe,* ſed negat ſe ἕτερον τῶν Ἀποστόλων *alium Apoſtolorum* vidiſſe. Illud autem ἕτερον *alium,* evidentiſſime refertur ad Petrum, de quo in antecedente verſiculo hęc ſcripſerat *c*: *Veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Cum ergo nunc ſubiicit, *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem*, ſignificat ſe alium à Petro Apoſtolum vidiſſe neminem, præter unum Iacobum. Ergo Apoſtolos ejus ordinis intelligit, cujus erat viſus à ſe Petrus. Non erat autem ex illo *Apoſtolorum* cenſu Petrus, qui minus proprie & latius ſumpto vocabulo ita dicuntur, ſed ἐκ τῶν duodecim. Itaque ex hoc τῶν duodecim ordine fuiſſe Jacobum

a *Gal.* 1. 19.

b *In l.* 2. *c* 59. *Conſt.*

c *Gal.* 1. 18.

Digitized by Google

Jacobum neceſſe eſt, quem Paulus ſcilicet unum, præter Petrum, eximit ex ejus ordinis viris, quos non viſerat. Tum huic Bovii commento repugnat Pauli in eo loco conſilium. Se enim tuetur ab invidorum obtrectationibus, qui ejus authoritatem ideo elevabant, quod non una cum cæteris Apoſtolis, ſed poſt eos vocatus eſſet; contendebantque, non eſſe eum antecedentibus Apoſtolis æquiparandum. *Apoſtolos* autem iſti, non Bovianos minorum gentium *Apoſtolos* intelligebant (quibus Paulum æquiparari neque ulla fuit, neque eſſe potuit invidia) ſed τὲς duodecim. Paulus vero, ut ſuum miniſterium aſſerat, magnificè quidem, ſed tamẽ veriſſime prædicat, ſe nullius mortalis, ſed unius Chriſti miſſione atque inſtructione euangelizaviſſe gentibus; tantumque abeſſe, ut ab aliis Apoſtolis in eam provinciam miſſus fuerit, ut etiam antequam vel eos vidiſſet, tres annos totos id munus geſſerit. *Neque* (inquit *a*) *veni ad anteceſſores meos Apoſtolos.* Hic, ut omnes vident, τὲς duodecim intelligit (neque enim illi alii minuti Bovii Apoſtoli, Pauli anteceſſores fuerunt) Atque hoc loco id occupat Paulus, quod objici poterat, ipſum tamen Hieroſolymam ad Apoſtolos (illos ſcilicet duodecim) veniſſe. Concedit, ſe veniſſe. Negat, ſe veniſſe initio: quod omni-

a *Gal.* 1. 17.

no faciendum erat, ſi eorum vel miſſione, vel inſtructione nitebatur ejus prædicatio: veniſſe ait poſt totum elapſum triennium. Negat, veniſſe ad emendicandam, aut quærendam eorum authoritatem. Veniſse ait τοῦ ἱςορῆσαι Πέτρον, *ad inviſendum Petrum.* Denique negat, ſe omnes eos vidiſſe; (qui tamen omnino congregandi omnes fuerant, ſi ideo ad ipſos veniſſet, ut authoritatem vel munus ab illis acciperet) Vidiſſe tantum ait unum Petrum, & præter eum, neminem niſi Jacobum. Ex quibus jam ſole clarius eſt, omnem hic Paulo ſermonem eſſe περὶ τῶν δώδεκα, inſulſe adeo, ac præter omnem rationem eos Apoſtolos, (quorum cenſu hic Iacobus includitur) alios intelligi, quam τοὺς δώδεκα. Sed & in ſequenti capite idem clariſſime docet Paulus. Ait enim hunc Iacobum (neque enim quiſquam dubitat, quin de eodem illo loquatur, quem *fratrem Domini* appellaverat *a*) hunc (inquam) Jacobum τοῖς duodecim, imo præcipuis, ac primariis τῶν duodecim accenſet; & quidem ejus nomen primo loco ante Petri, Ioanniſque nomina nuncupans. *Cum cognoviſſent* (inquit *b*) *gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videntur columnæ eſſe.* Hunc, niſi & ipſe *majorum gentium* (ut ſic dicam) Apoſtolus fuiſſet, nunquam profecto

a *Gal.* 1. 19.

b *Gal.* 2. 9.

cto Paulus Petro & Ioanni adjunxiſſet; ne id (quod ſane fecit) dicam, antepoſuiſſet; nunquam eum & duos iſtos *columnas videri* dixiſſet; quo clariſſime ſignificat, tres illos viros duodecim Apoſtolorum principes ac coryphæos ab omnibus habitos eſſe, in quos pæne totum Apoſtolici collegii Eccleſiæque onus recumbebat. Jacobum autem iſtum, niſi & ipſe unus ex duodecim fuiſſet, quis ſanæ mentis putaverit tali loco, ac numero vulgo à Chriſtianis illlius ævi habitum fuiſſe? ut exceptis ſi forte Cepha & Joanne, reliquis decem, non dicam (quod tamen indignandum eſſet) æquaretur, ſed (quod omnino eſt intolerabile) etiam anteferretur? Sed nihil neceſſe eſt, abſurdiſſimam Bovii cavillationem pluribus refellere, quam Bellarminus ac Baronius ipſi refutant. Ille quidem, dum inter ea, quæ in Conſtitutionibus poſita *abhorrere videntur à veritate*, hoc diſerte numerat *a*, quod *Iacobum fratrem Domini non velint eſſe Apoſtolum ex duodecim*. Hic vero, dum præfatus *quoſdam Iacobum extra numerum duodenarium Apoſtolorum imprudenter nimis conſtituere*, eorum ſententiam mox ex Hieronymo oppugnat, *b* hæcque poſtremo addit: *Sed an non plus ſatis Paulus Apoſtolus monſtrat, Iacobum fratrem Domini unum ex duodecim fuiſſe, cum ſcribens ad*

a *L. de Script. Eccl. in Clem.*
b *a. D.* 44. 36. 37.

Galatas ait, Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini? *Euſebius* a *item ex Clemente Alexandrino nonniſi duos Iacobos fuiſſe tradit, dum ſic ait*; Duos item Iacobos fuiſſe ferunt; unum cognomento Juſtum, qui de templi faſtigio præceps dejectus fullonis vecte cæſus occubuit: alterum, qui capite abſciſſo migravit è vita. Hactenus Baronius; qui & illud obiter ſolvit, quod eſt à Bovio objectum, ſenſiſſe quoſdam Patres, Iacobum fratrem Domini non fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis; *Satis* (inquit b) *ad ejus ſententiæ confutationem eſſe videtur, ſi unde eſt deducta, repetatur origo. Ex rejectis enim illis Clementis nomine ſcriptis Recognitionum libris de tribus Iacobis authoritas ſemel ſumpta, in nonnullos eſt inconſultiſſime propagata.* Hæc quidem præclare Baronius; Illud minus recte, quod Conſtitutionum authorem negat in eadem de tribus Iacobis ſententia fuiſſe, vel id haberi poſſe ex capite 59. libri ſecundi. Nam ut hunc ex ſecundo libro locum, de quo vitilitigat Baronius, mittam, clara eſt Διαταγέων in ſexto illo c, quod ſupra laudavimus, operis volumine ſententia. Iſtic enim in Apoſtolorum cenſu locant primo *Iacobum, Zebedæi* filium; tum & *Iacobum Alphæi*; ac denique extra Apoſtolorum cenſum, *Iacobum Domini fratrem*,

a *Hiſt.l.* 2.*c.*1.

b *a.D.* 44.§.36.

c *l.*6.*c.* 14. *in.*

fratrem, & Hieroſolymorum Epiſcopum; Iacobum Alphæi (ut liquet) à *Iacobo* Domini fratre diſtinguentes. Sic etiam libro octavo *a*: ὑπὸ Μωσέως μὲν γὰρ τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιερεῖς κατεστάθησαν, καὶ ἱερεῖς καὶ Λευῖται. ὑπὸ δὲ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἡμεῖς οἱ δεκατρεῖς Ἀπόστολοι, ὑπὸ δὲ τῶν Ἀποστόλων, ἐγὼ Ἰάκωβος, καὶ ἐγὼ Κλήμης. *A Moyſe namque qui fuit Deo cariſſimus, conſtituti ſunt Pontifices, ſacerdotes, & Levitæ; à Chriſto autem Salvatore noſtro nos tredecim Apoſtoli; ab Apoſtolis vero ego Jacobus, & ego Clemens.* Non potuit apertius à Chriſti Apoſtolis hunc Iacobum Epiſcopum, hoc eſt Domini fratrem, diſtinguere. Sed Baronio quidem aliud agenti, neque de his Conſtitutionum locis (ut par erat) cogitanti, hoc quicquid eſt errati excidiſſe videtur.

a *l.* 8. *c.* 46. *p.* 1043. *b.*

Huc etiam illud pertinet, quod iidem Διαταγεῖς Mariam Lazari ſororem aliam faciunt à Maria Magdalene *b*: συνῆν γὰρ ἡμῖν (inquiunt) ἥτε μήτηρ τοῦ Κυρίου, καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ, ἔτι δὲ Μαρία ἡ Μαγδαληνή, καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου, καὶ Μάρθα, καὶ Μαρία αἱ ἀδελφαὶ Λαζάρου· Σαλώμη καὶ ἕτεραί τινες. *Erat enim nobiſcum mater Domini, & ſorores ejus; præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, ac Martha & Maria Sorores Lazari, & Salome & aliæ*

b *l.* 3. *c.* 6. *in.*

 quadam.

Digitized by Google

a D. 32. §. 19. *quædam*. Atqui *atteſtatione Ioannis Euangeliſtæ* (inquit Baronius *a*) *imo Chriſti, apertiſſimè conſtat, unam eandemque perſonam fuiſſe Mariam Lazari & Marthæ ſororem cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem ſoror Lazari unxiſſet pedes Jeſu, ac Judas ob eam cauſam ei eſſet infenſus, ipſe Jeſus, furentis diſcipuli audaciam reprimens, dixit b*, Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. *Cæterum eandem ipſam, quæ ad unguendum corpus Ieſu paratum unguentum ad ſepulcrum attulit, Marcus Euangeliſta c fuiſſe Mariam Magdalenam affirmat, quæ cum Maria Iacobi & Salome id officii exhibuerit; cumq; nec aliqua apud eum vel alios Euangeliſtas habeatur mentio de Maria ſorore Lazari ad illud munus præſtandum à Domino præmonſtrata, cognoſci perfacile poteſt, unam eandemque fuiſſe Mariam, quæ utramque obierit functionem*. Hactenus Baronius. Eadem Bellarminum *d* moverunt, ut inter ea, quæ *abhorrere a veritate videntur*, hoc quoque diſerte poneret, quod eſt in Conſtitutionibus, *diſtingui Mariam Magdalenam, a ſorore Lazari l. 3. c. 6.* Ergo cum ex his omnibus pateat, & Jacobum fratrem Domini, Apoſtolum fuiſſe; & Apoſtolum non fuiſse eum Philippum, qui Samaritanos baptizavit;

b *Ioan.* 12. 17.

c *Marc.* 16. 1.

d *De ſcript. Eccl. in Clem.*

Digitized by Google

vit; ac denique, ut vult Baronius, Mariam Lazari ſororem eandem eſſe cum Maria Magdalene; apparet, Chriſti Apoſtolos, quibus notiſſimæ erant hæ tres perſonæ, eſſe non poſſe τοὺς Bovii Διαταγέας, qui contra evidentem rerum ex novo Teſtamento veritatem, primum quidem & tertium negant; ſecundum vero affirmant.

Sunt & illa Διαταγέων à perſpecta Apoſtolorum veracitate aliena, quod affirmant, & Moſem vetare legem extra Judææ terminos legi, & librum Baruch à Iudæis legi; Ἀπαγορεύει a γὰρ αὐτοῖς (Ἰουδαίοις) ὁ θεῖος Μω- a L. 6. c.
σῆς καὶ θυσιαστήριον ἔξω Ἱερουσαλὴμ ἱστᾶν. καὶ 24. med.
τὸν νόμον ἔξω τῶν ὅρων τῆς Ἰουδαίας ἀναγινώσκειν. *Siquidem vetat eos divinus Moſes & aram extra Hieruſalem collocare, & legem extra Iudææ terminos legere.* Item alibi de Iudęis b: Καὶ γὰρ καὶ νῦν δεκάτῃ τοῦ μη- b L. 5. c.
νὸς Γορπιαίου συναθροιζόμενοι τοὺς θρήνους Ἱε- 20. init.
ρεμίου ἀναγινώσκουσι, &c. καὶ τὸν Βαροὺχ, ἐν ᾧ γέγραπται, οὗτος ὁ θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν, &c. *Siquidem & nunc decimo die menſis noni, quem Gorpiæum vocant, Iudæi in unum locum congregati, Lamentationes Hieremiæ legunt, &c.*
Item Baruch, in quo ſcriptum eſt, Hic Deus c Baruch. 3.
noſter, Non reputabitur alius ad eum. Atqui utrumque liquido falſum eſt. Nam neque in Moyſis libris ulla extat de non le-

genda extra Iudæam lege interdictio, neque qui ara & ſacrificiis nunc ex lege carent in diſperſionibus ſuis Iudæi, iidem legis lectione carent; neque librum illum Baruch à Conſtitutionibus memoratum vel menſe Gorpiæo, vel alio in ſynagogis legunt, qui ſcilicet neque hebraice ſcriptus extat, neque eſt aut fuit unquam in canonem ſacrarum Scripturarum à Iudæis relatus, vel pro divino habitus. Niſi ergo Chriſti Apoſtolos apertiſſime mentitos eſſe ſtatuamus, neceſſario negandum eſt, eos iſta ſcripſiſſe.

Deniq; & hoc ab Apoſtolis alienum eſt, quod Bovii Διαταγεῖς in citandis Scripturis haud ſemel peccant. Verbi gratia, ex l. 2. Reg. recitant τὸν Ἀβεδαδὰν ſive Ἀβδαδὰν Abedadam hæc dixiſſe a, οὐκ ἔστι μοί φησι μέρος ἐν Δαβὶδ, οὐδὲ κληρονομία ἐν υἱῷ Ἰεσσαί, *Non eſt mihi* (inquit) *pars in David, neque hæreditas in filio Jeſſe.* Indeque paulo ante dixerant, illum Abedadam ſuę in Davidem rebellionis pœnas dediſſe, οὔτε γὰρ Ἀβεσσαλὼν καὶ Ἀβεδαδὰν ἔμειναν ἀτιμώρητοι. *Non enim Abſalom, & Abedada impuniti remanſerunt.* Hoc autem in altero Regum volumine *b*, non de *Abedada* (qui neque iſtic, neque alibi in ſacris, quod ſciam, libris ullus eſt) ſed de Seba, filio Bochri, narrantur. Sed hæc Διαταγεῖς à Pſeudo-ignatio *c*, ut & alia plurima, habent; à quo & qui-

a *L. 6. c. 2.*

b 2. Reg. *(heb. Sam.) c. 20. 1. 22.*

c *Ep. ad Maſueſianos.*

& quidem in eodem argumento, fictitius ille *Abedadan* memoratur: Ἀβεδδαδὰν ὡσαύτως (inquit) τῆς κεφαλῆς ἀφαιρεῖται. *Abeddadan ſimiliter capite truncatus eſt ob ſimilem cauſam*; nimirum ob rebellionem in principem.

Sic iidem Διαταγεῖς Concilii Apoſtilici hiſtoriam ex capite Actuum decimo-quinto memorantes, fingunt, Apoſtolos ob turbas de lege ſervanda primum Hieroſolymis congregatos fuiſse: Antiochenos inde fratres, quorum Eccleſia eadem de cauſsa turbabatur, cognita Apoſtolorum congregatione, Hieroſolymam miſiſſe *a*: γενομένης οὖν στάσεως καὶ ζητήσεως οὐκ ὀλίγης, οἱ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀδελφοὶ γνόντες, ὅτι συνεληλύθαμεν πάντες περὶ τούτου ζητήσαντες *b*, ἐξαπέστειλαν πρὸς ἡμᾶς ἄνδρας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν εἰδήμονας, μαθεῖν περὶ τοῦ ζητήματος τούτου· *Cum igitur diſſenſio eſſet, & non parva quæſtio haberetur, Antiochenſes fratres, ubi cognoverunt, nos omnes ad hujus quæſtionis diſquiſitionem conveniſſe, miſerunt ad nos viros fideles, & ſcripturarum peritos, ut de hac quæſtione intelligerent*. Hæc illi. Lucas vero longe aliter rem narrat *c*. Non enim, (quod iſti ajunt) primo conveniſe dicit Hieroſolymis Apoſtolos, tum Antiochenos fratres, cum eos conveniſſe reſciviſſent, legatos ad eos miſiſſe: ſed plane contra teſtatur, cum

a L. 6. c. 12. in

b *forte leg.* ζητήσοντες.

c *Act.* 15. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Digitized by Google

Antiocheni ob turbas apud ſe exortas, Paulum & alios nonnullos Hieroſolyimam ad Apoſtolos & presbyteros ſciſcitatum ſuper hac queſtione miſiſſent, miſſiq; eo perveniſſent, & Antiochenorum ſtatum, ac deſideria expoſuiſsent, tum demum, eamque ipſam ob cauſſam, conveniſſe Apoſtolos & ſeniores, *videre de verbo hoc*, id eſt, *ut diſpicerent de hoc negotio*. Ex quibus liquet, falſa & inania eſſe, quæ Διαταγεῖς fabulantur. Neque verior eſt Jacobo ab iſtis in eadem narratione affiɛta interdiɛti *de ſanguine & ſuffocato* ratio; inde petita, quod hæc etiam ante legem à Moyſe latam piis divinitus fuerint vetita; ἅπερ a καὶ τοῖς πάλαι

a L.6.c. 12. 949. a. ἐνενομοθέτητο τοῖς πρὸ τοῦ νόμου φυσικοῖς, Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Νῶε, Μελχισεδὲκ, Ἰὼβ, καὶ εἴτις τοιοῦτος ἐγεγόνει; *quæ quidem etiam antiquis ſancita fuerant, qui ante legem ſecundum naturam vivebant, ut Enos, Enoch, Noachus, Melchiſedec, Iob, & ſiquis alius hujuſmodi fuit.* Atqui nihil i-

b Aɛt. 15. 19. 20. 21. ſtorum apud Lucam *b* verus Iacobus. Neque ſane ea cauſſa fuit, cur Apoſtoli interdiɛtum illud tulerint: quæ ſi vera eſset, abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, utpote à naturali lege profeɛta, perpetua æternaque eſse deberet: quod non eſt, ipſis conſentientibus adverſariis. Illi vero hanc abſtinentiam ad tempus tantummodo præ-

do præceperunt, ad cavendum Iudæorum ſcandalum, quod & ab Auguſtino jampridem fuſe præclareque demonſtratum eſt, & nunc ab omnibus probatur. Qui ergo divinis hiſtoriis hæc de ſuo falſa, & Apoſtolorum menti adverſantia impudenter aſſuunt, ii profecto fieri nequaquam poteſt, ut vere ſint Apoſtoli. Huc quoque poſtremo pertinet, quod illa velut à Chriſto dicta ex Johannis Euangelio citant *a*; ἐὰν μή τις βαπτισθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *Niſi quis baptizatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non ingredietur in regnum cœlorum*: quæ nemo non videt eſſe ab iis interpolata, ſubſtituto verbo baptizatus fuerit, pro eo, quod eſt apud Joannem, γεννηθῇ, *natus* vel *genitus fuerit*; Sic enim habet notiſſimus apud Joannem locus *b*; ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. *Niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.*

a L.6.c.15.

b *Ioh.* 3.5.

CAP. XVIII.

Fuſe refelluntur σοφὰ Bovii & Turriani φάρμακα, quibus fruſtra conantur Conſtitutiones his abſurdis liberare, neſcio quam ſermonis ideam comminiſcentes, in qua vera falſaque, vetera & recentia permiſcere, fabulari denique ac mentiri, & quidvis ſine flagitio fingere liceat.

HÆc autem omnia, quæ ex Apoſtolorum perſona dicta, longe, ut quivis videt, abſurdiſſima ac ſtultiſſima ſunt, Bovius & Turrianus ut aliquo pacto molliant, inprimis ſtatuunt, non ipſos Apoſtolos, ſed Clementem Romanum hos Conſtitutionum libros ſcripſiſſe. Tum huic fundamento illud deinde ſuperſtruunt, Clementem Apoſtolos induxiſſe loquentes, ut ſit totum opus quodammodo dramaticum. Sic enim Bovius a; *Hac autoritate præditi Apoſtoli, ut divinum cultum conſtituerent, & Euangelicas leges ſtabilirent, poſt Domini aſcenſionem, fidelium cætu in ordines diſtributo, ſingulis ordinibus officia, & propriam vivendi normam dederunt: ſacra, cæremonias, preces, jejunia, ritus, ſolennia omnia inſtituerunt; fidem, hoc eſt, credendi legem, pro ratione temporum explicaverunt. Hæc vero omnia Apoſtoli in Eccleſiis, in quibus Euangelium nunciaverant,*

a *Præfat. p.* 2.

Digitized by Google

runt, voce ac verbis tradiderunt, Hęc ita fabulatus, *Has igitur* (inquit) *traditiones, quæ nullis litterarum monumentis ab Apoſtolis commendatæ ſunt, ſed ſermone & non ſcripta inſtitutione ad Eccleſias pervenerunt, collegit in unum Clemens Pauli familiaris ac comes, atque iis octo libris digeſſit*. De ipſa vero operis ratione infra, pagina abhinc 20. ſic diſſerit; *Quod attinet ad genus ſermonum, cum Clemens diſciplinam ex Apoſtolorum ſermonibus excerptam, atque fidelibus traditam, in Eccleſiis vellet eſſe perpetuam, eam iis octo libris eſt complexus, in quibus, ſuppreſſa ſua perſona, omnem ſermonem tribuit Apoſtolis, putans, opinor, majorem authoritatem habituram orationem, ſi quæ ab ipſis præcepta accepiſſet, ea Apoſtolos ipſos faceret exponentes. Dixi autem, eum ſuum nomen ſuppreſſiſſe, propterea quod ex propria perſona non eſt præfatus, quanquam ſe aliquando faciat ex cœtu loquentium unum, ſocium Apoſtolorum, & in rebus agendis adminiſtrum. Ex quo intelligitur, hujuſmodi ſcribendi genus eſſe quaſi miſtum ex dialogo, & ex eo genere, in quo perpetuo orationis curſu res narrantur, quod* διεξοδικὸν *vocant. Nam ex ea parte, qua loquentes inducuntur, videtur dialogi ſimilitudinem habere; quatenus ſermones non habentur inter ipſos loquentes, ſed à princi-*

principio in Apoſtolorum perſonam inſtituta oratio eandem formam conſervat, quaſi ipſi Apoſtoli hos libros conſcripſerint, poteſt in fuſum illud & perpetuum genus referri. His ita conſtitutis, Bovius de ſuo illo ſermonum genere, partim ex dialogo, partim ex diexodico conflato, quod Clementi in his Conſtitutionibus tribuit, multa exſequitur mirabilia. Huic enim ex ea methodo, quam tenuit, vult licuiſſe acta, inſtitutaque Apoſtolorum, non ex temporum, quo ea acciderunt, ordine narrare, ſed interdum, pro rerum, quas tractat, ingenio, ultima ante prima, ſuperiora poſt inferiora. Sed & illud vult ei ex eadem ratione licuiſſe, fingere Apoſtolos in unum locum congregatos ea perſcripſiſſe, quæ tamen revera nunquam ipſi omnes uno tempore, atque in unum locum convenientes præceperunt, ſed diverſis temporibus, ſeparatim. Hæc ille; quorum plane gemina ſunt, quæ habet Turrianus: *Conſtitutiones Apoſtolorum ſcriptas eſſe factis perſonis. Clementem in hiſce libris conſtituendi, & loquendi, quæ in eis continentur, partes Apoſtolis, quibus convenire, & à quibus profecta eſſe ſcribat, dediſſe; licet nunquam inter ſe locuti eſſent, neque ſcripſiſſent, ut eos loquentes & ſcribentes facit. Hunc enim morem habere Dialogum.* Hactenus iſti. Me vero

virorum doctorum miſeret ac pudet in dealbando Æthiope, & exornando, atque expoliendo ſtultiſſimi pariter ac impudentiſſimi hominis dramate, nequicquam ingenio ſuo abutentium, operamque ludentium. Illud mitto, quod principio, ſane ſuaviter, & ex una animi ſui libidine, fingunt omnes, qui his libris explicati habentur, *ritus, omnia ſacra, jejunia, preces, ac cæremonias, Apoſtolos in eis Eccleſiis, voce ac verbis tradidiſſe, in quibus Euangelium annunciaverunt*. Id vero quam non modo temere, ſed & falſo, ac inverecunde, dicatur, & ex iis quæ hactenus diſputavimus, patet: & patebit etiam multo clarius ex his, quæ mox adjecturi ſumus. Quin ne illud quidem certum eſt, quod ponit Bovius, aliquid Apoſtolos iis Eccleſiis, quas ædificabant, voce tradidiſſe, quod non ſit in Novi Teſtamenti libris perſcriptum. Neque plane & ex omni parte verum eſt, quod tertio loco additur, Conſtitutionum authorem *eas traditiones colligere, quæ nullis litterarum monumentis ab Apoſtolis commendatæ erant, ſed ſermone, & non ſcripta inſtitutione ad Eccleſias pervenerant*. Iſte enim pſeud-apoſtolus omnia ἔγγραφα & ἄγραφα nullo diſcrimine convaſat. Nam plurima habet & ad fidem, & ad ritus, diſciplinamque pertinentia, quæ aut plane eadem,

eadem, vel leviter tantum immutata in veris Apoſtolorum monumentis leguntur. Sed his miſſis ad rem venio. Ac illud quidem imprimis Bovio, Turrianoque libens concedo, quod & partim jam invictis argumentis probatum eſt, & mox non infirmioribus, ut ſpero, demonſtabitur, has ſane Conſtitutiones nunquam ſcripſiſſe Chriſti Domini Apoſtolos, nunquam in octo hos libros degeſſiſſe, nunquam ita inter ſe locutos eſſe aut ſcripſiſſe, ut eos iſte planus loquentes, ſcribenteſque facit; nunquam denique in unum locum uno tempore conveniſſe, ut hæc præciperent. Rem totam merum drama, & quidem non bellum, neque facetum, ſed abſurdum, ac inſulſum eſſe fateor; in quo iſtum, quiſquis eſt, ineptum ſane & ineruditum ludionem, Apoſtolos loquentes induxiſse ideo cum Bovio putaverim, quod majorem authoritatem habituram orationem ſperaret ex eorum perſona inſtitutam. Cætera vero, quæ Bovius & Turrianus ponunt, nego. Ac primo illud, quod, ut impoſtoris facinus defendant, ſtatuunt, id, quod ſecutus eſt, ſcribendi genus licitum, ac laudatum eſse. Tum, quod aſsumit Bovius, in hoc genere licere rerum ac temporum ordinem perturbare, & facere, ut ea velut geſta ii narrent, qui, dum gererentur, vel nondum erant, vel jam

jam mortui erant; ac denique illud quod tertio uterque affirmant, Clementem, Pauli comitem, hujus dramatis authorem eſſe. Nam quod ad primum attinet, laudatos ſcriptores fateor viros in Dialogis ea inter ſe colloquentes feciſſe, quæ ipſi fortaſſe vel nunquam omnino, vel certe non iis verbis, neque eo ordine, ac modo, locuti erant, quo eos loqui faciunt; qualiter apud Græcos quidem Plato, Plutarchus, alii; apud Latinos, Cicero, & multi alii, quos enumerare, longum eſt, Dialogos inſtituerunt. Sed primo illud non abs re, ut mihi quidem videtur, quæri poteſt, an ut illis Socratem, Gorgiam, Alcibiadem, Craſſum, Antonium, Cottam, & cæteros de rebus vel philoſophicis, vel oratoriis diſputantes fingere licuit; ita & huic noſtro artifici, eos ſermones habentes Apoſtolos inducere licuerit, quos nunquam habuerunt? Nam & his quam illis multo majorem deberi reverentiam conſtat, & longe gravius eſſe periculum, ſi ea pro Apoſtolicis habeantur, quæ non ſunt Apoſtolorum, quam ſi pro Socraticis, vel Antonianis, quæ nunquam Socratis, vel Antonii fuerunt. Non ergo ſi Platonem, aut Marcum Tullium in Socrate, & Antonio, & cæteris, quorum perſonas in dialogis aſſumunt, impune ludere fas fuit, eo conſequens eſt, ut noſtro

impoſtori idem in Apoſtolos licuerit, quorum ſacroſanctum eſſe apud omnes Chriſtianos nomen decet. Huc & illud accedit, quod nihil eſt inter utrorumque facta ſimile. Nam Platonis, & Ciceronis, & aliorum, quæ ſunt de hoc genere orationes, eas ad dialogorum ſpeciem pertinere manifeſtum eſt, in quibus plures inter ſe probabiliter colloquuntur: noſtrorum vero Διαταγέων ſermo plane abnormis eſt, & inuſitatus. Dialogus quidem non eſt; in quo nullæ ſunt ſcilicet perſonarum in colloquendo vices; jugis eſt ac perpetua, vel omnium utplurimum uno conſenſu, vel interdum ſingulorum de Eccleſiæ rebus decernentium oratio. Neque ipſe Bovius auſus eſt *dialogicum* hoc opus profiteri. Dixit eſſe quaſi miſtum ex dialogo, & eo genere quod diexodicum appellatur. Sed quod Bovii pace dictum ſit, nihil noſtris Conſtitutionibus cum Dialogo commune eſt. Dialogus enim, quod vel nomen ſonat, duorum eſt vel plurium inter ſe colloquentium per vices recurrens atque alternans oratio; quale in iſtis Conſtitutionibus nihil occurrit. Sed, inquit Bovius, *ex ea parte, qua loquentes*, nimirum Apoſtoli, *inducuntur, videtur* hoc opus *Dialogi ſimilitudinem habere*. Faterer, ſi *inter ſe loquentes*, ut apud Platonem, & Ciceronem, & ex divinis ſcriptoribus

ribus apud *Iobum* perſonæ inducerentur. Nunc qualem nobis Bovius dialogum fingit, in quo nulli quidem inter ſe colloquuntur, nulli interrogant, nulli reſpondent; ſed virorum de rebus Eccleſiaſticis apud Chriſtianos leges ferentium ſcripta oratio perpetuo quodam curſu fertur? plane ut vel grandis aliqua Epiſtola ab abſentibus ad abſentes data, vel certe, ut legum codex ad ſubditos à principibus, aut à ſenatoribus ſcriptus, miſſusque? Deſinat ergo Bovius ſuos nobis Dialogos obtrudere. Nihil ad Διαταγέας dialogus, vel dialogi leges. Totum eorum opus merè διεξοδικὸν eſt, nulla Dialogi miſtura temperatum; quod à capite ad calcem uno tenore decurrit; nulla perſonarum inter ſe colloquentium varietate diſtinctum. Id tantum in oratione diſciminis cernitur, quod cum omnes Apoſtoli ſimul ſemelque uno velut ore plerumque, & in longe maxima operis parte loquentes fingantur, eſt interdum ubi ſinguli, veluti tacentibus reliquis, erumpunt, & ſoli aliquantiſper verba faciunt, non apud cæteros collegas, ut cum iis colloqui dici aut videri poſſint, ſed apud eoſdem (Chriſtianos ſcilicet, quotquot ſunt, vel epiſcopos, vel homines) ad quos directa erat initio omnium oratio. Itaque quod iis locis occurrit, *Et ego Petrus*, *Et ego Ia-*

cobus conſtituo, &c. inepte quidem, ac præter laudatorum ſcriptorum uſum, & conſuetudinem dictum fateor; ad dialogi vero formam accedere, nego. Cum enim Apoſtoli univerſi hæc loquentes ſcribenteſque jam ab initio operis inducti fuerint, eam orationis formam ſervari ad extremum decebat, & quæ quorundam propria, ac ſingularia erant, ea ipſa ab univerſis, quibus non erant incognita, pro inſtituta ſermonis ratione narrari, hoc vel alio ſimili modo; *Ita quoque unus ex nobis Petrus, vel Iacobus*, &c. *conſtituit*: pro quo, ſed inepte, ſolam Petri, Iacobi, & aliorum ſimiliter perſonam in medium univerſorum ſermonem velut ſubito irrumpentem, & omnem orationis œconomiam ſtolide, ac præter decori leges, perturbantem ſcriptor facit, ut quivis facile animadvertet, qui hæc Conſtitutionum loca diligenter inſpexerit. Nobis ſatis eſt, quod ſimile iſtorum exemplum neque ex ſacris, neque ex profanis authoribus, qui quidem laudati ſint, afferri ullum poteſt. Iſta ergo eſt, non quod vult Bovius, *dialogi miſtura*, ſed craſſa, ac inexcuſabilis ineruditi ſcriptoris ἁμαρτία. Huc & alterum accedit, ingens ac præcipuum hujus ſcriptoris à Dialcgorum authoribus diſcrimen; quod hi quidem, etſi aliquid fingant, nulli tamen

men impoſturam faciunt; hic vero fraudis, ac doli mali manifeſtus tenetur. Nam qui Dialogos cum laude inſtituunt, ii perſonam ſuam non occultant, ſed aperte in ipſo ſtatim limine edunt, ac profitentur. Vel enim narrant, ac præfantur, quæ occaſio, quiſve caſus eos, quos colloqui faciunt, in unum locum coëgerit, & in eos, quos illis tribuunt, ſermones induxerit; ut Cicero in Oratore, & in Bruto, & alii multi fecerunt: vel certè præſcripto operi nomine ſuo teſtantur, ſe totius dramatis authores eſſe; quod Plato in pleriſque Dialogis, & alii cumplures ſecuti ſunt, ita ut nemo vere poſſit queri, ſibi verba data fuiſſe; nemo jure dubitare queat, an opus, quod obtruditur, ab uno aliquo eorum, qui colloquentes inducuntur, ſcriptum fuerit. Itaque nemo hactenus repertus eſt, qui vel leviter ſuſpicatus ſit, aut à Socrate, aut à Craſſo ſcriptos eſſe eos Dialogos, qui apud Platonem, & Ciceronem extant, & in quibus illi loquentes inducuntur. Noſtrarum Conſtitutionum parens plane aliter ſe geſſit. Nam neque narrat, uſpiam, cur, quave ex occaſione Apoſtolos hæc una congregatos loqui faciat; neque nomen ſuum operi ut authoris, præſcripſit; neque denique vel ſuæ, vel alterius, præterquam Apoſtolorum & ſociorum, per-

ſonæ notitiam ullam in aliqua operis parte edidit; unde dici queat, non ipſos Apoſtolos, ſed alium aliquem hos libros compoſuiſſe. Nam & Apoſtoli toto paſſim opere ſe hæc, non decernere modo, & conſtituere, ſed etiam ſcribere, atque ad epiſcopos, cæteroſque Chriſtianos mittere affirmant; & titulus operis in ipſo ſtatim limine, *Apoſtolorum* nomen præfert, *Clementis* vero nomen, quod nunc in titulo legitur, & additum videtur ab alia, quam ab authoris, manu, (de quo mox pluribus dicendum erit) neque ſuadet, Clementem operis ſcriptorem fuiſſe. Sic enim habet titulus; Διαταγαὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου τε καὶ πολίτου. *Conſtitutiones ſanctorum Apoſtolorum per Clementem Romanum epiſcopum & civem.* Jam vero, cum hi Διαταγεῖς in ipſo opere diſerte narrent *a*, ſe ſuā hanc καθολικὴν διδασκαλίαν διαπέμψασθαι διὰ τοῦ Κλήμεντος, *miſiſſe per Clementem comminiſtrum ſuum*, apparet, illa in titulo verba διὰ Κλήμεντος, *per Clementem*, (ſiquidem ab ipſo authore ſcripta fuiſſe placeat) ſignificare Conſtitutiones *per Clementem* non *ſcriptas* (quod volunt Bovius & Turrianus) ſed *miſſas fuiſſe*, quod diſerte memorant ipſi Διαταγεῖς. Neque ſane negari poteſt, quin præpoſitio διὰ multo ſępius in hoc ſenſu ſumatur, quam in

a L. 6. c. 18.

in illo. Nam quam quis defert epiſtolam, vel conſtitutionem, ea δι' αὐτοῦ πέμπεσθαι, *per eum mitti*, & vulgo & rectè dicitur; quam autem quis ipſe ſcribit, ea ὑπ' αὐτοῦ, *ab eo* potius, quam δι' αὐτοῦ, *per eum*, ſcripta dicitur. Ergo neque hic adhibitum Clementis nomen certo prodit authorem operis fuiſse Clementem: illud potius innuit, miſſum quidem fuiſſe ac delatum per Clementem, non autem ab eo ſcriptum; omninoque videtur, quiſquis hoc opus condidit, id voluiſſe, idque conatus ac molitus eſſe, ut crederent homines, ſua illa ab Apoſtolis verè ſcripta fuiſſe ac miſſa. Itaque qui in Conſtitutiones has incidunt, eos neceſſe eſt ſtatuere, vel eas ab Apoſtolis vere eſſe ſcriptas, vel certe ab aliquo impoſtore per ſummam & inexpiabilem fraudem Apoſtolis affictas, ac ſuppoſitas. Fruſtra ergo Bovius, fruſtra Turrianus, ad Dialogorum leges confugiunt, in quibus nullum eſt fraudi, & impoſturæ præſidium. Per has enim leges perſonas inter ſe probabiliter colloquentes inducere licet; tuum partum alteri ſupponere, tuoque operi alterius nomen præſcribere non licet. Illud elegantię eſt, hoc fraudis: illud ingenii, hoc impoſturæ: illud etiam boni, ac honeſti viri fecerint; hoc nemo niſi planus.

Iam neque illud verius eſt, quod ſecun-

do loco ſtatuit Bovius, huic ſcriptori per ſuum illud ex dialogo & διεξοδικῷ miſtū ſermonis genus, licuiſſe rerum ac temporum ordinem miſcere ac perturbare. Hoc quidem ſtrenue factum à Conſtitutionum parente, & fateor, & ſupra probavi, & Bovius ipſe concedit. Id in ullo, ſive dialogico, ac dramatico, ſive diexodico, ſive ex utraque ſpecie mixto, ſive alio denique ſermonis genere licere, falſiſſimum eſt, & ſiquis hujuſmodi aliquid uſurpavit, perperam ac præter rectas ſcribendi leges, uſurpavit. Noſter Διαταγέων faber Jacobum, verbi gratia, Hieroſolymorum epiſcopum, loquentem facit, quo tempore certum eſt eum fuiſſe mortuum: Apoſtolos de Ioannis Evangelio præcipientes inducit, quod ſcriptum fuiſſe, cum unus ex Apoſtolis ſupereſſet Ioannes, omnes conſentiunt: multa alia, ut oſtendimus, Apoſtolis tribuit ab eorum vel ætate & memoria, vel moribus & ingenio, vel cognitione & ſapientia abhorrentia. Proferat Bovius, ſi poteſt, vel unum ſive Dialogorum, ſive alterius operis authorem, cui talia impune, ac citra reprehenſionem mentiri conceſſum fuerit. Cicero quidem, & Plato, & alii, quotquot ſunt, Dialogorum probati laudatique ſcriptores, nemo neſcit quantopere ab hoc peccato ſibi caverint, quamque ſtudioſe omnia ad veri

ſpeciem

ſpeciem effinxerint, nihil perſonis, quas colloqui faciunt, uſpiam tribuerint, quod eſſet ab eorū, vel moribus & inſtitutis, vel etiam (quod longe turpiſſimum eſt), ætate atque temporibus alienum. Ne Poëtis quidem ipſis, quorum maxima eſt in hoc genere poteſtas, quiſquam id conceſſerit, quod Bovius ſuo fabulatori vindicat. Notum eſt illud ſummi & poetæ, & Critici *a*:

a *Horat. de Arte poët.*

- - Pictoribus atque poëtis
Quælibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Itaque ne Virgilius quidem impune tulit, quod Palinurum *portus Velinos* nominantem induxerit; cum *Velia* oppidum, à quo portus Velinus dictus eſt, diu poſt Palinuri ævum in agro Lucano conditum, & eo nomine appellatum ſit. Id enim, ut eſt apud Gellium *b*, reprehendit Hyginus; & merito quidem, ut videtur. Neque id illi Grammatico placuiſſe arbitror, quod idem, tametſi ſummus, ac cætera laudatiſſimus author, Æneam ſuum cum Didone Pœna faciat viventem ac verſantem; quam nonniſi trecentis poſt Æneæ tempora annis vixiſſe clarum eſt. Quod ſi ne Poëtis quidem

b *Noct. lib.* 10. *c.* 16.

iſta conceduntur, quanto minus rerum Chriſtianarum, & quidem Apoſtolicarum Scriptori licet omnem temporum rationem ſpernere? eaque Apoſtolos velut facta diſerte ac nominatim memorantes inducere, quæ poſt eorum mortem contigerunt? Plane ergo concidit nova illa, ac inaudita Bovii methodus, qua ille immanem ſuarum Διαταγῶν parenti poteſtatem concedit quidvis pro arbitrio fingendi, ac mentiendi. Nulla ratione, nulla juris vel æqui ſpecie, nullo denique, niſi peccantium, exemplo nititur prodigioſa illa methodus: ut neceſſe ſit, qui eam uſurpat, τῶν Διαταγῶν architectum, non modo, quod concedit Bovius, *Dialogiſtam*, & ποιητὴν, ſive *fictorem*; ſed etiam mendoſum, peſſimumque ποιητὴν fuiſſe; qui res à ſe invicem alienas conjunxit ac miſcuit, impudentia neſcio an imperitia, inſcitiaque majori. Sed hoc loco operæ pretium eſt aliud Turriani commentum obiter refellere; qui, ut à ſuo Διαταγῶν ſcriptore turpiſſimæ κακοπλαςίας crimen depellat, ait *a*, eum *Apoſtolis*, quos loquentes inducit, *annumerare ſecundum idioma Scripturæ, Iacobum occiſum, & Stephanum lapidatum, qui* κατὰ γνώμην *& ſecundum ſpiritum præſentes fuerunt. Hanc enim doctrinam Catholicam, ab Apoſtolis prædicatam, quam Clemens litteris mandavit,*

a *Explan. in l. 8. Conſt. c. 4.*

vit, & has Conſtitutiones, Iacobum quoque fratrem Ioannis, & Stephanum, Spiritu cum reliquis congregatos ſanxiſſe. Sed primo inauditum eſt, quę in terris geruntur, ea à mortuis quoque geſta dici, quod iſta eorum ſpiritus ſcilicet probare quoque putentur. Et ſi talia recte dicantur, omnino; quod ait Reverēdiſſimus noſter Uſſerius *a*, eadem quoque ratione, affirmare potuit Conſtitutionum author, non *Baptiſtam* modo, & *Symeonem* ſenem, ſed etiam Ieremiam & Ezechielem, & Eſaiam, & Moſem, & omnes Dei Prophetas, una cum Apoſtolis conveniſſe, & his Διαλαγαῖς condendis ac ſcribendis adfuiſſe; quod Turrianus fortaſſe, quo eſt ſtomacho, haud ægre concoxerit; cæterorum, neſcio an ullus ſit admiſſurus. Abſit vero, ut hoc ſermonis portentum *Scripturæ idioma* eſſe concedamus. Fateor, Paulum ad Corinthios ita ſcribere *b*; *Ego quidem abſens corpore, præſens autem Spiritu, jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere h juſmodi Satanæ.* Eundem memini ad Coloſſenſes quoque hæc ſcripſiſſe *c*; *Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.* Sed hæc quid ad Turriani gloſſam faciant,

a *Diſſertat. de Ignat. c. 16. p. 113*

b 1. *Cor.* 5. 3. 4. 5.

c *Col.* 2. 5.

ciant, vel quid τῶν Διαταγέων ſententiam juvent, quidve cum ea commune habeant, non video. Paulus, qui hæc dicit, in vivis erat, quo tempore illa ſcripſit; *Iacobus & Stephanus* cum hæc dixiſſe finguntur, jampridem erant mortui. Quod Paulus ſcribit, id ipſi notiſſimum, compertiſſimumque erat, ſe ſcilicet ſpiritu cum iis, ad quos ſcribebat, præſentem fuiſse. Quod ſcribit impoſtor, *Iacobum & Sthephanum* Apoſtolis iſta ſcribentibus, ſaltem ſpiritu adfuiſſe, hoc eſt, animo & cogitatione, id neque ipſi, neque ulli mortalium notum eſse potuit. Denique Paulus diſertè dicit, quo ſenſu, quove modo & Corinthiis & Coloſſenſibus adfuerit, *corpore* (inquit) *abſens*, *ſpiritu præſens*. Siccine etiam apud noſtrum Διαταγέα *Iacobus ac Stephanus*? Ille vero omnia plane aliter. Neque eorum præſentiam, cujus modi fuerit, *corporis* ne, an *ſpiritus*, tantum definit, neque omnino vel *corporis* eorum, vel *ſpiritus* meminit, ſed ſuos Apoſtolos ſimpliciter ita loqui facit a: Ἡμεῖς νῦν διὰ τὸ αὐτὸ γενόμενοι Πέτρος καὶ Ἀνδρέας, Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης υἱοὶ Ζεβεδαίου, &c. ἅμα πάντες καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενόμενοι, ἐγράψαμεν ὑμῖν, &c. *Nos nunc in unum congregati Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes filii Zebedæi, &c. una omnes in unum locum congregati, ſcripſimus vobis*, &c. Vides, ut Ioan-

a L. b. c. 14. in.

Ioannem Zebedæi filium, hoc tempore his condendis, ſcribendiſque Conſtitutionibus adfuiſse dicant, non *ſpiritu ſolo*, ſe vero cæteros etiam *corpore* (quod omnino diſtinguendum erat, ſi ea iſtorum mens erat, quam fuiſse vult Turrianus) ſed ſimpliciter, una & eadem dictione ſe omnes Apoſtolos, interque eos Joannem, ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενέσθαι ac γεγράφασθαι in unum *conveniſſe, ſcripſiſſeque* dicant. Ergo cum non aliter de Joanne quam de cæteris, ſed de utriſque eodem omnino vocabulo eadem dicant, neceſse eſt, velle iſtos, aut ipſum quoque Jacobum *corpore* una cum cæteris præſentem adfuiſse, aut certe neque cæteros corpore, ſed omnes ſpiritu tantum congregatos fuiſse: qui profecto miſerabilis, & antehac, quod ſciam, inauditus *conventus* eſt. Eadem eſt alterius quoque loci ratio, in quo præter Iacobum Joannis fratrem, Diaconos quoque ſeptem, adeoque & Stephanum, qui eorum unus erat, in hoc conventu præſentes adfuiſse narrant; a *Nos igitur* 12. *Apoſtoli una conſiſtentes divinas has noſtras de omni Eccleſiaſtica forma conſtitutiones vobis præcipimus; nobiſcum quoque præſentibus & vaſe electionis Paulo, coapoſtolo noſtro, & Iacobo Epiſcopo, ac reliquis presbyteris, &* SEPTEM *Diaconis.* Clarum eſt, vel etiam ſeptem Diaco-

a L. 8. c. 4. in.

Diaconos corpore præſentes intelligi, vel cæteros certe ſolo & ipſos ſpiritu conveniſſe ſignificari; quæ quam ſint abſurda omnes vident. Nihil ergo Turrianus in Scripturæ phraſi habet præſidii, cujus ille *idioma* impudenter hoc eſſe vult, quod non eſſe nunc conſtat. Huc & illud accedit, quod ea interdum loquuntur iſti Διαταγεῖς, quæ fidelium vita functorum, ut Martyrum (quales Iacobus & Stephanus fuerunt) *ſpiritibus* minime conveniunt. Verbi gratia hæreticos alicubi memorantes, hæc addunt continuo *a*; ὧν τῆς ἀπάτης ῥύσεται ἡμᾶς ὁ θεὸς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, *quorum fraude liberabit nos Deus per Ieſum Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra.* Iſta vero omnes intelligunt; non conſummatorum ſpirituum, ſed fidelium adhuc in ſæculo decertantium verba eſſe. Qui hæc ergo una cum cæteris Apoſtolis ita loquentes inducuntur Iacobus & Stephanus, ii non ſpiritus carne ſoluti, cœloque recepti, ſed homines adhuc hic in certamine poſiti eſſe finguntur: quo fit, ut Turriani de eorum ſecundum ſpiritum, & κατὰ γνώμην ſolam præſentia, κρησφύγετον nullum hic habere locum poſſit.

a L. 6. c. 18. p. 955. a.

Cap.

CAPUT XIX.

Contra Bovium & Turrianum probatur, non fuiſſe Clementem Romanum Conſtitutionum ſcriptorem.

DENIQUE illud quoque aperte falſum eſt, quod tertio loco Bovius & Turrianus ponunt, Clementem eſſe horum librorum authorem. Ipſæ quidem Conſtitutiones reclamant; in quibus, non Clemens, ſed Apoſtoli non ſemel affirmant, ſe eas ſcripſiſſe *a*: *Omnes una & in unum congregati ſcripſimus vobis Catholicam hanc doctrinam*: a L.6.c. 14. Item *b*, *Nos* XII. *Apoſtoli una conſiſtentes divinas has noſtras de omni Eccleſiaſtica forma Conſtitutiones vobis præcipimus.* b L. 8. c. 4. Clementis vero meminerunt quidem, ſed velut ejus, non à quo ſcriptæ ſunt, ſed per quem miſſæ ſunt hæ Conſtitutiones. Sic enim alibi loquuntur iidem Apoſtoli *c*: Καταλιπόντες ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις καὶ λοιποῖς ἱερεῦσι τήνδε τὴν καθολικὴν διδασκαλίαν ἀξίως καὶ δικαίως εἰς μνημόσυνον ἐπιστηριγμοῦ τοῖς πεπιστευκόσι θεῷ, διαπεμψάμενοι διὰ τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Κλήμεντος, τοῦ πιστοτάτου, καὶ ὁμοψύχου τέκνου ἡμῶν ἐν Κυρίῳ, ἅμα καὶ Βαρνάβᾳ, καὶ Τιμοθέῳ τῷ ποθεινοτάτῳ υἱῷ, καὶ Μάρκῳ τῷ γνησίῳ, σὺν οἷς καὶ Τίτον ὑμῖν γνωρίζο- c L.6.c. 18.extr.

γνωρίζομεν καὶ Λουκᾶν, Ἰάσονά τε καὶ Λούκιον, καὶ Σωσίπατρον. *Vobis Epiſcopis, & reliquis ſacerdotibus hanc doctrinam Catholicam digne ac juſte reliquimus, ut memineritis fulcire ac roborare eos, qui Deo crediderunt. Quam quidem doctrinam miſimus vobis per fideliſſimum comminiſtrum noſtrum, ac filium cariſſimum Clementem: una cum Barnaba, & Timotheo filio optatiſſimo, & cum ſincero Marco; cum quibus notos vobis eſſe volumus Titum, Lucam, Iaſonem, & Lucium & Soſipatrum.* Unde liquet quod libro octavo *a* Clemens præſens ac loquens ſed pauciſſima, nimirum hæc tantum verba, καὶ ἐγὼ Κλήμης, *Et ego Clemens conſtitutus ſum ab Apoſtolis Epiſcopus*; id inquam, efficere quidem, ut ipſe quoque Clemens Apoſtolis hæc conſtituentibus adfuerit: verum non tanquam una cum iis decernens ac ſcribens, ſed tanquam ea quæ Apoſtoli ſcripſerint, accepturus, atque delaturus ad epiſcopos & ſacerdotes Chriſtianæ Eccleſiæ. Eſt & alius locus, in quo Petrus Clementis honorificè meminit, narrans, eum ſibi olim cum Simone pro fidei veritate certanti adfuiſse. Ergo neceſse eſt, vel iſtos Διαταγέας impudenter mentiri; vel certe ruere, quod à Bovio & Turriano ſtatuitur. Illi enim, quod hi negant, exſerte ajunt, *Apoſtolos Conſtitutiones ipſos ſcri-*

a L. 8. c. 46. p. 1044. b.

pſiſſe;

pſiſſe; qui eas, non *ſcripſiſſe*, ſed ab Apoſtolis ſcriptas, miſſaſq; accepiſſe ad Epiſcopos ſacerdotes perferendas, teſtantur. Ex quibus conficitur, quod habet titulus, Διαταγαὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, id ſic eſſe, accipiendum, ut ſint hæ Conſtitutiones ab Apoſtolis, non modo ſtatutæ ac decretæ, ſed etiam ſcriptæ, miſſæque: eo referenda eſſe, (quod nuper monuimus) verba illa ſequentia διὰ Κλήμεντος, ut iis ſignificetur, Conſtitutiones fuiſſe non *à Clemente ſcriptas*, quod fruſtra volunt adverſarii, ſed *per Clementem miſſas*; quod diſerte narrant Διαταγεῖς. Quanquam ego quidem vehementer dubito, an hæc verba olim habuerit libri ἐπιγραφή. Epiphanius quidem, quoties Conſtitutionum meminit (eas autem, quarum meminit, Turrianus & Bovius eaſdem cum noſtris eſſe volunt) nunquam *Clementinas* vocat, ſed nude, ſimpliciterque Ἀποστόλων Διατάξεις *a*, & ſæpius in ſingulari numero Διάταξιν *b*, *Apoſtolorum Conſtitutiones*, ſive *Conſtitutionem*. Eſt & ubi tradit librum ita vocari *c*: Ἀλλὰ καὶ οἱ Ἀπόστολοι (inquit) φασιν ἐν τῇ Διατάξει τῇ καλυμένῃ· *Quin & Apoſtoli in eo libro, qui vocatur Conſtitutio, ajunt Dei ſtirpem ac vineam eſſe Eccleſiam.* De Clemente, ne unum quidem verbum facit. Sic Athanaſius τὴν Διδαχὴν Ἀποστόλων, quam Bovius quoque

a *Hær.* 80. §. 7.
b *Hær.* 70 §. 10. & *hær.* 75. §. 6.
c *Hær.* 45 §. 2.

Digitized by Google

que ſuarum Conſtitutionum volumen eſſe vult, *Apoſtolorum* ſimpliciter vocat, nunquam Clementis; quin & eam à Clementinis, ut ſupra diximus, diſerte diſtinguit. Eadem eſt Euſebii ratio, qui Διδαχὰς Ἀποϛόλων, quas memorat, Ἀποϛόλων ſimpliciter, non autem & *Clementis*, vel *per Clementem* vocat. Itaque & ex ipſo libro conſtat, authoris, quiſquis ille fuerit, hoc conſilium, hancque mentem, ac voluntatem fuiſſe, ut ſuum hoc opus haberetur, non pro ſuo, non pro Clementis, vel cujuſquam alterius ſive Epiſcopi, ſive presbyteri, ſed pro *Apoſtolorum* vêro, ac genuino, & ab ipſis inſtituto, conſcriptoque, vel certe dictato opere; & ex Epiphanio & Athanaſio apparet, prima illius operis rudimenta Apoſtolorum duntaxat, non autem & Clementis nomen prætuliſſe. Ego enim ex ea ſive Διδαχῇ, quam Euſebius & Athanaſius memorant, ſive Διατάξει, quam refert Epiphanius, ſive (quod fortaſſe verius) ex utraque varie aucta, mutata atque interpolata, noſtras Conſtitutiones tandem exiiſſe, facile crediderim; & ſolo Apoſtolorum nomine, quod illæ unum præferebant, initio inſcriptas fuiſſe. Mox illa διὰ Κλήμεντος addita, ut Conſtitutionum tanto major eſſet authoritas, quæ & ab Apoſtolis ſcriptę, & per *Clementem*, notiſſimum ac ſanctiſſimum

ſimum Martyrem, perlatæ eſſent. Inde factum, ut hominum partim innocenti errore, partim fortaſſe & dolo, illa διὰ Κλήμεντος perperam interpretantium, jactatum primo, mox vulgatum fuerit, illas *Conſtitutiones* à Clemente Apoſtolorũ nomine ſcriptas fuiſſe. Gelaſius quidem, quod ſupra obſervavimus, hoc opus, quod perperam cum Petri *Itinerario* confundit, *S. Clementis libros octo vocari*, ait. Canon vero eorum, qui dicuntur Apoſtolorum, ultimus eas Clementi tribuit; Αἱ Διαταγαὶ (inquit) ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι. *Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris nuncupatæ.* Hunc autem canonem poſt Gelaſii tempora factum inde conſtat, quod Gelaſio paulo junior Dionyſius, cognomento *Exiguus*, inter Apoſtolorum, quos exhibet, canones neque hunc habet, neque alios proximè præcedentes 34. quibus Græcorum codex auctior eſt, quam Latinorum. Jam Trullani Patres eadem quoque ſecuti videntur, qui has Conſtitutiones, quo loco adulteratas eſſe tradunt, ideoque inter apocrypha relegant, vocant b, τὰς τῶν Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος Διατάξεις. Recentiores commemorare nihil neceſſe eſt; quibus iſtorum authoritas facile idem perſuaſit. Sed illi quidem ſive

a *Can.* 85.

b *Can.* 2.

vetuſtiores, ſive recentiores contra ſcriptoris ipſius mentem eunt; qui, ut nuper demonſtravimus, hoc opus ſuum ubique pro libris vere ab Apoſtolis ſcriptis, miſſiſque haberi vult. Itaque ſi libri pro veracibus admittuntur, neceſſe eſt, iſtorum, qui eos Clementi tribuunt, opinionem concidere: ex operis vero ipſius verbis, cui de ſe major, quam cuivis alii, fides habenda eſt, ſtatuendum erit, eos libros, non à Clemente, ſed ab Apoſtolis fuiſſe ſcriptos, miſſos, atque æditos. Sin pertendas ab Apoſtolis non eſſe ſcriptos, illud denique tibi nobiſcum neceſſario confitendum eſt, eorum authorem virum fuiſſe, non modo mendacem, ſed & inſigniter impudentem, qui opus ſuum Chriſti apoſtolis auſus eſt ſupponere, atque affingere. Unde evidentiſſime conſequitur, quod nos defendimus, iſtum Conſtitutionum ſcriptorem, quiſquis de cætero fuerit, Clementem certe non eſſe, virum optimum, ac ſanctiſſimum, & à turpiſſimis impudentiæ, mendaciique, ac impoſturæ criminibus, quorum iſte maniſeſtus eſt, vehementer alienum.

Idem quoque validiſſime probant pleraque eorum, quæ ſupra attulimus. Clementem enim Apoſtolorum familiarem, quique eorum mores, inſtituta, actus & tempora non minus quam ſua, nota, ac

com-

comperta habebat, quis crediderit Apoſtolis ea tribuiſſe, quæ ab eorum vel dogmate, vel diſciplina, vel hiſtoria abhorrent? Itaque cum ſupra fusè demonſtratum ſit, multa Apoſtolis hujuſmodi ab iſto Conſtitutionum ſcriptore tribui, atque affingi; eadem quoque opera confectum eſt, iſtum ſcriptorem alium fuiſſe, quam Clementem, nequid de veteris memoriæ authoribus dicam; quorum nemo eſt ad annum Chriſti 494. qui has Conſtitutiones vel inter Clementis opera recenſuerit, vel eas uſpiam Clementi tribuerit: cum tamen ii quæ Clementis eſſe ſciebant, & ſæpe commemoraverint, & vero plurimi, ut par erat, fecerint: quod quia in prima operis parte demonſtravimus, nihil hic neceſſe eſt eadem repetendo confirmare.

Huc & illud accedit, quod ex ea, quæ vere Clementis eſt, ad Corinthios epiſtola, apparet, diverſum eſſe à Conſtitutionum authore Clementem. Cum enim ambo phœnicis avis hiſtoriam tradant, plane aliter, atque aliter eam narrant *a*; quod & jam ſupra obſervavimus. Atqui non eſt credibile, unum & eundem virum, qui quidem gravis ſit ac ſanctus, rem eandem diverſis, ac contrariis modis narrare. Non eſt ergo idem & epiſtolæ ad Corinthios, & Conſtitutionum author. Epiſtolæ vero

a *Confer ep. 2. Clem. ad Cor. p. 34. extr. 35. cum l. 5. Conſt. c. 6. p. 919.*

Digitized by Google

ro ad Corinthios certus, atque indubitatus ſcriptor eſt Clemens. Ergo Conſtitutionum idem Clemens author eſſe non poteſt.

JOAN-

JOANNIS DALLÆI
De
PSEUDEPIGRAPHICIS
APOSTOLICIS
LIBER II.

CAP. I.

Argumentum I. Conſtitutiones à nullo veterum, qui primis Chriſtianiſmi ſæculis floruerunt, memorari. Argument. II. Conſtitutiones ipſi Clementi, qui earum author fuiſſe fingitur, ignotas fuiſſe.

ATQUE ita hactenus Conſtitutiones cum Apoſtolorum, quorum ſe eſſe ipſæ mentiuntur, dogmatis, & libris, & temporibus, & ingenio contendimus & comparavimus; ex eaque comparatione planum fecimus, id opus neque Apoſtolorum ipſorum, neque Clementis Romani eſſe. Quod tametſi ad frangendam omnem librorum iſtorum authoritatem, eoſque inter apocryphos, fictitios, atque impoſtorum fœtus relegandos, ſatis eſſe merito videri poſſit: age tamen, ne quid omnino ſuperſit ea de re dubii, eoſdem nunc libros cum Eccleſiæ, & ejus quæ tribus primis à Chriſto nato ſæculis in

Digitized by Google

terris floruit, & ejus quæ deinceps ad nos uſque priori ſucceſſit, moribus, inſtitutis, atque hiſtoriis comparemus; videamuſque an Conſtitutionum opus ad primorum & ſequentium temporum ingenium conlineet. Ita enim certiſſime explorari poſſe arbitror, quid de toto hoc opere ſtatuendum ſit.

Quo loco illud inprimis, de quo nemo Chriſtianus dubitat, cogitandum eſt; quotquot habemus vel ipſorum Apoſtolorum, vel virorum Apoſtolicorum monumenta, ea nos à primis, vetuſtiſſimiſque habere Chriſtianiſmi ſæculis. Ea enim & Apoſtoli, virique Apoſtolici ſuis diſcipulis tradebant, & hi maxima cum cura ſtudioque ac reverentia & accipiebant, & ſervabant. Neque ullus hodie eſt primorum Chriſti miniſtrorum, vel in Scripturarum canone, vel extra canonem, certus, ac minime controverſus liber, quem non conſtet jam ſecundo, tertioque Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculo & extitiſſe, & pro vero vel Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum virorum fœtu à compluribus illius memoriæ Chriſtianis habitum fuiſſe, Id, quia clarum & apud omnes confeſſum eſt, pluribus perſequi ſuperſedeo. Itaque ſi quæ nobis nunc obtruduntur vel Apoſtolorum, vel Clementis nomine Conſtitutiones, eorum authorum, qui-

quibus inſcribuntur, verè ſint; nemo dubitaverit, quin eæ primorum illorum ſæculorum Chriſtianis cognitiſſimæ fuerint; quorum ſcilicet fidei ab authoribus traditæ, ac commendatæ eſſe dicuntur. Jam vero cognitas iis fuiſſe, neque ſcimus, neque profecto ſcire poſſumus; quique id affirmant, ii temere, ex ſola animi ſui libidine, non ex ulla certa ratione, vel ex probabili ſaltem argumento, id totum, quantumcunque eſt, affirmant. Nam certos quidem & indubitatos vel Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum virorum, quos legimus, libros, primis illis Chriſtianis cognitos, eoque loco ac numero, quo par eſt, habitos fuiſſe, ſcimus, quod eorum, qui proximè poſt Apoſtolos vixerunt, quique his deinceps ſucceſſerunt, omnes, quæ ſuperſunt, orationes, ac diſputationes plenæ ſint iſtorum librorum nominibus, ac ſententiis. Clemens, Juſtinus, Irenæus, alter Clemens, Tertullianus, & cæteri, qui Dei gratia extant illorum temporum ſcriptores, libros iſtos ſemper in ore habent; eorum authoritatem, quoties ea ad rem, quam agunt, pertinet, nunquam omittunt; ex eorum denique ſenſibus, ſententiis, ac verbis pœne omnem ſermonẽ ita contexunt, ut quicquid erat Apoſtolicum, id omne non tantum cognoviſſe, & animo ſuſpexiſſe, ſed etiam memoriter

tenuiſſe, atque in numerato habuiſſe videantur; neque id mihi quiſquam negabit, qui in primorum, à me nuper memoratorum, ſcriptorum monumentis verſatus fuerit. Sed qui Apoſtolica ita familiaria habebant; in omnique paſſim ſermone uſurpabant, ii ne ſemel quidem Conſtitutionum iſtarum meminerunt, vel aliquid ex iis nominatim unquam recitant. Neque ullum nobis ex tribus prioribus Chriſtianismi ſæculis, verum ac indubitatum ſcriptorem adverſarii proferre poſſunt, qui has ſive Apoſtolorum, ſive Clementis διατάξεις laudaverit, memoraverit, innuerit. Ac eam quidem epiſtolam, quæ ad Corinthios, tametſi neque ab Apoſtolis, neque ex Apoſtolorum perſona, ſed à Clemente Eccleſiæ Romanæ nomine ſcripta fuit, diſertiſſimè memorant illorum temporum ſcriptores, Irenæus *a*, Clemens Alexandrinus *b*, Origenes *c*, & ex ea non pauca recitant. Conſtitutionum, quæ vel ab Apoſtolis ipſis, vel certe à Clemente Apoſtolorum juſſu, & nomine ſcriptæ dicuntur; & multo prolixiores, atque uberiores, omnem pæne Eccleſiaſticam materiam complectuntur, ne ſemel quidem meminerunt. Quod ergo ajunt adverſarii, eas illius memoriæ Chriſtianis cognitas fuiſſe, id, ut liquet, totum eſt incertum ac dubium, neque ulla ratione,

a *l.* 3. *c.* 3. *fuſè.*
b *l.* 4. *Strom. l.* 5. & *l.* 6.
c *l.* 2. περὶ ἀρχῶν.

ne, aut veri ſpecie nititur, Idque unum ad evertendã iſtorum librorum authoritatem ſatis eſt. Non enim nos decet alia pro Apoſtolicis habere, quam quæ certo ac evidenter ab Apoſtolis profecta eſſe novimus. Ab Apoſtolis autem profecta neque conſtat, neque ſane conſtare poteſt, niſi quæ primis Eccleſiæ temporibus cognita fuiſſe certum eſt. Ergo cum exploratum & compertum neque ſit, neque vere eſſe poſſit, primos illos Chriſtianos iſtas *Διατάξεις* cognitas habuiſſe: illud quoque, quod inde conſequitur, neceſſariò tenendum eſt, neminem certo ſcire eas ab Apoſtolis eſſe profectas; temereque adeo ac ſtulte facere, & in aere, vel in arena fidem ſuam ædificare, qui his libris eam, quam Bovius & Turrianus volunt, authoritatem tribuunt.

Sed quid dixi, incertum eſſe, an trium poſt Chriſti in terris natales ſæculorum ſcriptoribus cognitæ fuerint Bovianæ *Διατάξεις*? Imò certum eſt, non fuiſse cognitas; idque ex iis, quæ diſputare inſtituimus, clariſſimum, ut ſpero, fiet. Principio illud inde, ut mihi quidem videtur, elucet, quod ex Chryſoſtomo, idoneo ac omni exceptione majori teſte, conſtet, Natalis Dominici diem ignotum diu fuiſse in Orientali Eccleſia, neque in ea ante a. D. 370. celebrari publica, ſolenniq; feſtivitate cœpiſse.

a *Hom. in. Nat. Chr. quæ T. 5. eſt hom. 31.*
b *Vid: p. 425. e. 426. e.*
c *Ibid. p. 418. a.*
d *Ibid. p. 418. b.*
e *Vid. p. 425. e.*

piſſe. Is enim in ea oratione *a* quam de hoc argumento ſcripſit, quamque Antiochiæ *b*, antequam ad epiſcopatum vocatus eſset, habitam fuiſse, certum eſt, de Dominico natali hæc tradit *c*: οὔπω δέκατόν ἐστιν ἔτος, ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται, *Nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies nobis innotuit*; Item *d*, πρὸς ἡμᾶς κομισθεῖσα νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν. *Nunc ad nos demum, non ante multos annos tranſmiſſus.* Jam ex ipſa oratione *e* conſtat, annum illum, eum ipſum fuiſſe, quo à Chryſoſtomo habitæ erant adverſus Iudæos homiliæ. Has autem ab eo habitas poſt ſuſceptum diaconatum (id eſt poſt a. D. 380.) demonſtravit Blondellus *f* noſter. Fac hanc homiliam primo diaconatus anno à Chryſoſtomo dictam; inde fiet, decimo ante hunc anno (id eſt æræ Chriſtianæ 370.) Antiochiæ, in qua hæc pronunciavit Chryſoſtomus, adeoque & in tota Orientis diœceſi, cujus Antiochia metropolis fuit, cognoſci, celebrarique cœpiſſe natalem Chriſti diem. Ergo totis eo anno anterioribus 369 annis ignota, inuſitataque in Oriente fuit Dominici Natalis feſtivitas. Ignota autem iis eſſe non poteſt, quibus Boviani Διατάξεις noti ſunt; qui eam ſcilicet verbis diſertiſſimis celebrari præcipiunt *g*: τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσετε,

f *In Primatu Pap. p. 1256.*
g *L. 5. c. 12. init.*

ετε, ἀδελφοὶ, καὶ πρώτην γε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῖν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐννάτου μηνὸς, *Dies feſtos agitate, Fratres; ac primum quidem diem natalis, qui vigeſimo quinto die menſis noni celebretur.* Ergo hos Διαταγέας totis tribus primis ſæculis, duobuſque quarti ſæculi trientibus (ad annum ſcilicet Domini 370.) omnibus Orientalis diœceſeos Chriſtianis ignotos fuiſſe, clarum ex his, perſpicuumque eſt.

Sed & in Alexandrina diœceſi pariter quoque ad a. D. 246. eoſdem ignotos fuiſſe, patet ex Hieronymo; *Alexandria* (inquit *a*) *à Marco Euangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Atqui iſta à noſtris Διαταγαῖς abhorrent; quę Epiſcopum omnem à tribus, minimum à duobus, epiſcopis ordinari volunt *b*; *ab uno ordinatum deponunt*; nedum ut à ſolis presbyteris evectum ferant. Ergo neceſſe eſt, ad Dionyſium uſque (id eſt a. D. 246.) ignotas fuiſſe Alexandriæ Διαταγάς. Sed jam ſingulos illorum temporum ſcriptores videamus.

a *Ep. 85. ad Euagr.*

b *l. 8. c. 27.*

Primus ac vetuſtiſſimus omnium poſt Apoſtolos

Apoſtolos ſcriptorum eſt hic ipſe Clemens, quem homines malèferiati Conſtitutionum parentem eſſe inepte, ac ſane impudenter volunt. Atqui illi viro ne cognitas quidem eas fuiſſe, ex ejus, quæ extat, vera ad Corinthios epiſtola manifeſtum eſt. Mitto, quod nuper dixi, alia iſtum de phœnice narraturum fuiſſe, quam quæ narrat, ſi authores ejus hiſtoriæ, quæ apud Διαταγέας extat, habuiſſet Apoſtolos; à quibus ſcilicet vel latum unguem diſcedere nefas putaſſet, qui tamen non modo ab iſtorum narratione diſceſſit, ſed rem plane aliter, ac contra, quam hi
a p. 35. inſtituunt, exſequitur. Tradit enim *a*, eam avem in Arabia mori, quam Διαταγεῖς in Ægypto ſponte incendi & in cinerem redigi
b l. 5. c. 6. gi *b* fabulantur. Mitto & illud, quod ſu-
p. 919. d. pra quoque attigi, Clementem non omiſſurum fuiſſe hoc loco, quo *reſurrectionis veritatem* confirmat, adhibitos in eodem argumento à Conſtitutionum ſcriptore *c*,
c Ibid. b. c. Sibyllæ verſus; quibus nihil dici poterat in eam rem clarius. Omiſit ſcilicet, quod & ipſos, & Διαταγέας, qui eos recitant, utroſque pariter neſciret. Ad alia venio. Clemens in tota illa Epiſtola Corinthios objurgat, in diſſidia & ſeditionem ex plebis in præpoſitos ſuos irreverentia, contemptuq; ac rebellione delapſos; non obſcure

ſcure queritur quoſdam ὀ δικαίως ἀποβαλέ- a *p. 57. extr.*
ϑαι τῆς λειτεργίας, *injuſte ſacro miniſterio*
dejectos eſſe: & mox; ὁρῶμεν γὰρ (inquit *b*) ὅ- b *p. 58. in.*
τι ἐνίες ὑμεῖς μετηγάγετε καλῶς πολιτευομέ-
νες ἐκ τῆς ἀμέμπτως αὐτοῖς τετιμημένης λει-
τεργίας. *Videmus enim vos nonnullos præclare converſantes à miniſterio, quod inculpate ab ipſis colebatur, tranſtuliſſe, ſive exegiſſe*. Ait *c*, *Corinthiorum Eccleſiam*, δἰ c *p. 62. in.*
ἓν ἢ δύο πρόσωπα ςασιάζειν πρὸς τὲς πρεσβυ-
τέρες, *propter unam, & alteram perſonam contra presbyteros ſeditionem movere*. Hic certe locus erat, quo afferri inprimis decebat illas, quas ſupra recitavimus, Apoſtolorum ſcilicet & Epiſcoporum ſummo in ſubditas plebes imperio Διατάξεις. Sed nihil horum Clemens *d*. Jubet Corinthios ſcripturas conſulere, ex iis obſervare *e*, juſtos nunquam à ſanctis, ſed ſemper ab d *p. 58.*
impiis rejectos, ac perſecutionem paſ- e *p. 60.*
ſos. Ex ſcripturis *f* affert, debere *nos San-* f *Luc. 17.*
ctis κολλᾶσϑαι, *adhæreſcere, noſque ipſos adjungere*. Affert & iſta unum eſſe Deum, & unum Chriſtum, & unum ſpiritum, unam vocationem, unum Chriſti corpus; ſcandalorum ex Euangelio pœnas recitat. Iubet Corinthios ſcriptam olim à Paulo ad ipſos, jam tum quoque tumultuantes, epiſtolam, in manus ſumere, & quæ ab Apoſtolo in ſimili argumento dicta erant, perpendere:

Caritatis,

Digitized by Google

Caritatis, humilitatiſque Chriſtianæ officia *a* ac laudes exſequitur; diſſenſionum ac ſeditionum mala deplorat *b*; eos, qui peccaverant, ad pœnitentiam hortatur; monet ut ſe præpoſitis, à quibus diceſſerant modeſte ſubjiciant; ὑμεῖς οὖν (inquit *c*) οἱ τὴν καταβολὴν τῆς στάσεως ποιήσαντες, ὑποτάγητε τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ παιδεύθητε εἰς μετάνοιαν. *Vos igitur qui prima fundamenta ſeditionis jeciſtis, ſubditi eſtote presbyteris, & in pœnitentiam erudimini.* Præclare quidem hæc Clemens. Sed nemo negaverit, multo in eam rem, quam agit, diſertiora, efficacioraque eſſe illa noſtrorum Διαταγέων ſcita; *oportere Epiſcopum ſubjectis imperare, non autem ipſi ſubditos*; item *e*, *Epiſcopos plebis ſuæ Reges eſſe, principes, dynaſtas, deos terrenos*, & cætera ejuſdem generis. Inprimis vero hæc *f*, *quanto ſacerdotium regno præſtat, tanto graviores pœnas debere, qui audet vel nutu oculorum huic adverſari, ac contra tendere, quam qui regno.* Tum ſequentia, quibus ſui hujus decreti veritatem ex Abſalomi, & Abedaddæ, & Dathanis & & Coritarum graviſſimis ob ſeditionem pœnis affirmat. Nihil intelligit, qui Clementem non intelligit, iſta ſuo illi argumento adeo commoda, ac opportuna allaturum fuiſſe, ſi ea ab Apoſtolis diſerte ita decreta, conſtitutaque ſciviſſet. Ille autem

a p. 61.
b p. 63.
c p. 72.
d L. 2. c. 14.
e l. 2. 26.
f l. 6. c. 2. init.

Digitized by Google

nullius iſtorum meminit. Ergo neque iſtorum quicquam habebat cognitum.

Quid quod nonnulla habet, quæ apertiſſime cum noſtrorum Διαταγέων ſcitis pugnant? Hi enim multitudini, ſive plebi nullum plane jus in præpoſitos concedunt; & grande nefas putant, epiſcopos non modo ἄρχεσθαι, *parere* multitudini; ſed vel à laïco aliter, quam per mediatorem & interpretem adiri. Clemens *a* ab hac ſpiritus elatione adeo abeſt, ut eum in cœlum ferat, qui Eccleſiæ multitudini obſequitur, ſponteque miniſterio abire, quam contra ejus juſſa, ac voluntatem niti mavult. Quis (inquit *b*) *inter vos generoſus eſt? qui miſericors & caritate plenus? Ille dicat; Si propter me ſeditio, contentio, ſchiſmata, ecce abſcedo; abeo, quo volueritis,* καὶ ποιῶ τὰ προστασσόμενα ὑπὸ τοῦ πλήθους, & FACIO QVÆ A PLEBE MANDANTUR. Hunc, quem Clemens velut generoſiſſimum Chriſti ſervum laudat, Διαταγεὺς velut ignavum juris epiſcopalis proditorem exſecratus eſset, eique ſuum illud occinuiſset *c*, ἄρχειν σε χρὴ τῶν ὑπηκόων, οὐ μὴν καὶ ὑπ' αὐτῶν ἄρχεσθαι. Non fuit ergo Clementi pro Apoſtolo cognitus ὁ Διαταγεὺς; nedum ut ipſe Clemens fuerit.

a *a. l.* 2. *c.* 14. & *alibi ſæpe L.* 2. *c.* 28. *d.*

b *a. p.* 69.

c *Lib.* 2. *c.* 14.

Sed & Clemens in eadem epiſtola de Apoſtolis ſic loquitur, Κατὰ χώρας οὖν καὶ πό-

λεις κηρύσσοντες καθίςανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιςεύειν. *Per regiones igitur & urbes verbum prædicantes, primitias eorum ſpiritu probantes, Epiſcopos & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituebant.* Solos, ut vides, *epiſcopos*, & *diaconos* memorat; & *epiſcopos*, ut liquet, eoſdem intelligit, quos & Paulus *a* in loco ſimili πρεσβυτέρους vocat, & ipſe poſtea ſubinde eodem quoque nomine cenſet. Noſtri vero Διαταγεῖς *b* epiſcopos, presbyteros, ac diaconos, & à ſe oppidatim inſtitutos narrant, & quidem, ut nomine, ſic etiam re inter ſe diſtinctos; & de iis inſtituendis, ordinandiſque plures leges ferunt. Nequid de ſubdiaconis dicam, & lectoribus & cantoribus, & oſtiariis, quos iſti anxie commemorant; Clemens ne nominavit quidem, cum rei, quam agit, intereſſet, totum illum hierarchię ordinem referri, ſiquidem is tunc temporis in Eccleſia obtinebat.

a Tit. 1. 5

b l. 8. c. 46.

Denique cum noſtri Διαταγεῖς Epiſcopum, quod ſupra demonſtravimus, magno ſupra presbyterorum ordinem intervallo evehant; ab eoq; omnem Eccleſiæ cujuſque unitatem, velut à capite, pendere ſtatuant; Clemens cujuſquam iſtiusmodi miniſtri, qui cæterorum princeps eſſet, quique vel à Co-

à Corinthiis ſeditioſis ſpretus, vel à tota Eccleſia colendus eſſet, mentionem plane nullam fecit; nullum in ſingulari numero *epiſcopum*, cujus à multitudine authoritas læſa, juraque violata fuerint, in tota epiſtola nominat; nullum unum, ad quem plebem revocet, cuique ceteras omnes Eccleſiæ partes ſubjectas eſſe velit. Semper in numero plurium πρεσβυτέρους *presbyteros*, appellat, in quos turbatum erat, quibuſq; ſingulos fideles ſubjici vult, πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους (inquit) στασιάζετε, *contra presbyteros ſeditionem movetis*; μόνον τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων, *Solum Chriſti ovile cum conſtitutis presbyteris in pace degat*. ὑποτάγητε τοῖς πρεσβυτέροις, *Subditi eſtote presbyteris*. Τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν, τοὺς νέους παιδεύσωμεν. *Præpoſitos noſtros revereamur, Seniores inter nos honoremus. Juvenes erudiamus.* Ex his vel cæcus videt, etiam tum Eccleſias communi presbyterorum conſilio rectas, gubernataſque fuiſſe; neque cujuſquam in eorum conſeſſu præcelluiſſe in cæteros poteſtatem. Clementi ergo ignotos fuiſſe neceſſe eſt iſtos τῶν Διαταγῶν Apoſtolos, quorum tempore, & quidem ex ipſorum decreto, epiſcopus hierarches erat, totiuſque presbyterii princeps, cujuſq;

a *p.* 62.
b *p.* 69.
c *p.* 73.
d *p.* 30.

velut dynaſtæ aut regis, presbyteri nihil aliud erant, quam Conſiliarii.

Sed neque illud omiſerim, quod cum totum epiſtolæ argumentum poſceret ac flagitaret Eccleſię prępoſitos magnificis atque honorificis inprimis vocabulis appellari, Clemens nunquam eos aliter vocat, quam *presbyteros*, *epiſcopos* ſi forte, & προηγȣμένȣς *præpoſitos*. Ἱερέων & ἀρχιερέων, *ſacerdotum* ac *Pontificum* nominibus, quæ & multo digniora, honeſtioraque, & noſtris Διαταγεῦσι oppido familiaria ſunt, in totum abſtinuit. Sed nihil neceſſe eſt, quæ de hoc genere obſervari poſſent, ea omnia commemorare. Hæc ſatis, ut arbitror, demonſtrant nullos Clementi, nullos ejuſdem temporis (id eſt exeuntis primi à Chriſto nato ſæculi, ſecundique ineuntis) Chriſtianis cognitos fuiſse Bovii Διαταγέας.

Cap. II.

Argum. III. Conſtitutiones Juſtino a. D. 163. Romæ martyrio functo, ignotas, inviſas & inauditas fuiſſe. Argum. IV. ut & Athenagoræ Athen.

EX ſecundi ſæculi ſcriptoribus primus eſt Iuſtinus, qui Anno Chriſti 163. Romæ pro fide à Ruſtico præſide ſecuri percuſsus marty-

martyrium fecit. Egregia extant ejus opera, quibuscum quiſquis Conſtitutiones diligenter comparaverit, facile intelliget, eas ſanctiſſimo Martyri, adeoque & illius ævi Chriſtianis fuiſse incognitas. Quod enim *Διατάξεις* ſciſcunt ſabbati diem, velut creationis *μνημόσυνον*, à Chriſtianis obſervandum eſse, ac feriandum, neque jejunio funeſtandum, ab eo Iuſtinus tantum abeſt, ut ſabbatum ubique inter Chriſti cruce abolita Moyſis cæremonialia computet, ac ne ab ipſis quidem Patriarchis, qui vel ante vel poſt diluvium ad Moyſem uſque vixe- a *Dial.*
runt, obſervatum fuiſse conſtanter defen- *cumTryp.*
dat *a*. Sed & diſerte teſtatur à ſui temporis *p.* 183. 5.
Chriſtianis non fuiſse obſervata ſabbata *b*; & 186.
τοῦτό ἐστιν ὃ ἀπορεῖν ἄξιόν ἐστιν, ὅτι τοιαῦτα 16. *p.*
ὑπομένοντες, οὐχὶ καὶ τὰ ἄλλα πάντα, περὶ 189. *l.*
ὧν νῦν ζητοῦμεν, φυλάσσομεν. *Hoc ipſum eſt* 43.
conſternatione animi dignum, quod talia b *Ibid. p.*
perferentes, non etiam alia omnia, de qui- 182. 30.
bus nunc quærimus, ſervemus. Illa autem *omnia de quibus quærebatur, ſunt* περιτομὴ σαρκικὴ καὶ σάββατα καὶ αἱ ἑορταὶ, *circumciſio carnalis, & ſabbata &, & feſta.* Et alibi ſupra docuerat, novam legem indicere ſabbatum quoddam perpetuum *c*; σαββατί- c *Ibid. p.*
ζειν ὑμᾶς ὁ καινὸς νόμος διὰ παντὸς ἐθέλει. 177. 12.
Quibus verbis aperte ſignificat, ſabbati die nihil nobis præſtandum incumbere, quod

non idem cæteris quoque diebus præſtandum ſit. Nondum ergo novum illud noa p. 73. 25. 76. 23. 77. 17. ſtrum Διαταγέων mandatum Iuſtino, & cæteris Chriſtianis innotuerat, quo ſabbato præ aliis hebdomadis diebus quies, & à jejunio immunitas decernitur.

Idem quoque facile deprehendemus, ſi quæ Iuſtinus de baptiſmo & ſynaxibus Chriſtianorum, tradit, ea cum Διαταγέων diſciplina contenderimus. Illic ſumma ſimplicitas veris Apoſtolorum libris conſentanea elucet; hic omnia ritibus & cæremoniis humanis infuſcata. Baptiſmus quidem b *Apol. 2. pro Chriſt p. 73. 30. ad 40. & ſeqq.* Iuſtino ita *b* deſcribitur, ut nihil aliud prẹter aquam in eo requirat; *oleum* & *chriſma* ſive *unguentum*, quod adhibent Διαταγεῖς, nullus memoret. *In nomine* (inquit) *rerum cunctarum parentis, & Domini Dei, & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti ſuſcipiunt quod in aqua eſt lavacrum.* Tum Juſtinus totum Eu- c *Ibid. p. 76. l. 30. & ſeqq.* chariſtiæ myſterium Paganis (eos enim alloquitur *c*) nude ac ſimpliciter pandit; quod noſtri Διαταγεῖς non à Paganorum modo, ſed & à Catechumenorum ocu- d *l. 1. obſerv. 13* lis, atque auribus ſumma cura ſummovent; quod certo argumento, vel ipſo fatente Albaſpineo *d*, eſt, non eſſe iſtos hujus arcani Διαταγέας veros Chriſti Apoſtolos; quorum cum inſtituta & Juſtinus,

nus; & qui tum erant Chriſtiani accurate ſervarent, hoc utique etiam ſervaſſent, ſi vere eorum fuiſſet.

Mox non alterius diei meminit, quo tunc Chriſtianorum conventus fierent, præter unum ſolis diem, id eſt Dominicum *a*: τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. *Solis, qui dicitur, die omnium qui vel in oppidis, vel rure degunt, in eundem locum conventus fit.* Conventus, quos ſabbato Διατάγεις *b* indicunt, nullus memorat; nedum ut quod hi jubent, quotidie mane & veſpere Chriſtianos in Eccleſiam ventitaſſe tradat. De domo illa, in quam conveniebant, an oblonga, quod moroſe præcipiunt Διατάγεις, an rotunda, vel quadrata fuerit, deque cæteris ejuſdem generis vanis, nihil dicit.

a Ibid. p. 77. l. 23. 42. 43.

b l. 5. c. ult. & l. 8. c. 33.

Quo loco id etiam obiter obſervandum, *corpus & ſanguinem Domini*, quod ſequentibus ſæculis pro Eucharistiæ nomine vulgo apud Chriſtianos uſurpatum eſt, nuſquam Iuſtino eo ſenſu accipi. Hoc ſacramentum ille ubique vel Εὐχαριστίαν ſimpliciter dicit, atq; ita vocari diſerte tradit *c*, καὶ ἡ τροφὴ αὕτη (inquit) καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, *Alimentum hoc apud nos vocatur euchariſtia*; vel etiam explicatius *d* τὸν ἄρτον τῆς εὐχαριστίας, καὶ τὸ ποτήριον τῆς εὐ-

c Ibid. p. 76. 45.

d Dial. cum Tryph. p. 201. 45.

χαρισίας nominat, id eſt *panem & poculum Euchariſtiæ*; vel, ut habet alibi *a*, τὴν εὐχαριςίαν τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, *panis & poculi euchariſtiam*, vel *b*, εὐχαριςηθέντα ἄρτον, καὶ οἶνον, καὶ ὕδωρ, *panem, vinum & aquam euchariſtiâ ſacrã*, vel eodem ſenſu *c*, τὴν δι᾽ εὐχῆς εὐχαριςηθεῖσαν τροφὴν, *alimentum Euchariſtica prece ſanctificatum*. Nomina vero hæc *corpus & ſanguis Chriſti* nunquam, quod ſciam, ſimpliciter ſic poſita uſurpat, ut Euchariſtiam ſignificet; quod tamen eſt τοῖς Διαταγεῦσι, ut ſupra diximus, familiare. Ergo iſti non Iuſtini, ſed inferioribus Iuſtino ſæculis, quorum hæc fuit uſitata locutio, vixerunt.

a *Ibid. p.* 269. 49.
b *Apol.* 2. p. 76. 44.
c *Ibid. p.* 77. 2.

Eo quoque pertinet, quod Tryphoni hæreticos Chriſtianos obiicienti, Iuſtinus *d* confitetur quidem multos eſse hujuſmodi, quales etiam nominatim memorat Μαρκιανοὺς (id eſt, vel *Marcionitas*, ut reddit interpres, vel fortaſse *Marcoſios*) *Valculinianos, Baſilidianos, Saturnilianos*; ſed reſpondet primo, id à Domino Chriſto fuiſse prædictum; quo loco hæc Chriſti ex Euangelio *e* recitat, *Multi veniunt in nomine meo*, &c. *Cavete* f *à pſeudoprophetis*, &c. Tum proteſtatur g, ſe ſuoſque, id eſt veri nominis Chriſtianos, nihil cum eis commune habere; neque enim eos Chriſti doctrinam ſequi, quantumvis ejus ſibi nomen

d *Dial. cum Tryph. p.* 196. 32.
e *Matth.* 24. 11. 24.
f *Matth.* 7. 15.
g *Ibid. l.* 25.

men aſciſcant. Hîc vero, ut omnes vident, Apoſtolorum ſi quod diſertum erat contra iſtos hæreticos dictum, commemorandum ac recitandum erat. Nullum autem recitat Iuſtinus. Ergo neque iſtos Διαταγὰς Bovii Apoſtolos cognitos habebat; apud quos ſcilicet diſertiſſima extat contra illos ipſos hæreticos ſententia *a*; ex quibus *Marcum, Baſilidem*, & *Saturnilium* etiam nominatim memorant. a *l.6.c.8. in.*

Huc & illud poſtremo accedit, quod Διαταγαὶ mortuorum reſurrectionem, Chriſtique adventum cum ultimo univerſorum judicio clariſſime diſertiſſimeque continuant *b*; quod nullum, ut omnes vident; millenario Chriſti & Sanctorum in terris ante judicium regno locum relinquit. Atqui Iuſtinus *c* illud mille annorum regnum & ipſe credit, & quotquot tum erant *recta per omnia ſententia Chriſtiani*, *eos id ipſum quoque credere* affirmat. Quis vero id eos credituros fuiſſe putet, ſi eos libros habuiſſent, proque Apoſtolicis cenſuiſſent, in quibus id delirium clariſſime, ut dixi, evertitur? Sed hæc de Juſtino ſatis.

b *l.7.c.33.*

c *Dial. cum Tryph. p. 139. 48.*

Athenagoræ, qui ejus æqualis fuiſſe prehibetur, nonnulla opuſcula extant; è quibus multis modis id ipſum confirmari poteſt. Ego unum tantum adducam. Is ſcriptor cætera quidem præclarus, in con-

Digitized b

a *Legat. pro Chriſt. T.1.gr. lat. Bibl. Pp. p. 78. d.*

jugium iniquior eſt: ſic enim habet *a*, ἢ οἷός τις ἐτέχθη, μένειν, ἢ ἐφ' ἑνὶ γάμῳ· ὁ γὰρ δεύτερος εὐπρεπής ἐστι μοιχεία. *Vel qualis natus eſt, quiſque maneat, vel unicis nuptiis copuletur. Secundæ enim honeſtum quoddam adulterium ſunt.* Hæc ille nunquam ita vel ſenſiſſet, ſi noſtrorum Διαταγέων *b* eam, quam ſupra recitavimus, conſtitutionem Apoſtolicam agnoviſſet; in qua & ſecundæ nuptiæ clariſſime conceduntur, imo neque tertiæ plane damnantur; quartæ tantum (quamquam & hoc ipſum falſo & præter Apoſtolicum dogma) ſuggilantur, velut προφανὴς πορνεία, *manifeſta ſcortatio.*

b *l.3.c.2.*

Caput III.

Arg. V. Conſtitutiones Irenæum a.D. 197. mortuum, neſciviſſe, & multa eorum dogmata vel ignoraſſe, vel etiam pulſaſſe; idque ex veris vivi monumentis fusè demonſtratur.

Nunc ad Irenæum veniamus, quem martyrium feciſſe alii anno Chriſti 206. volunt; Blondellus *c* noſter a.198. Is vel unus ſatis eſt ad id, quod inſtituimus, probandum, Nam cum in præclaro illo opere, quod contra hęreticos, tum alios, tum etiam Cerinthianos, Marcoſios, Menandrianos, Baſilidianos,

c *De Epiſc. p. 32.*

Satur-

Saturnilianos à noſtris Διαταγαῖς nominatim memoratos & refutatos ſcripſit, omnia undique ex Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum monumentis ac traditionibus, quæ ſuo illi argumento congruebant, magna cura collegerit, nihil plane de noſtris Conſtitutionibus habet; qui tamen unus liber plura contra illas hæreſes diſerta continet, quam ullus Apoſtolorum ab Irenæo laudatus. Quædam tantum exempli cauſſa ponam; Nam omnia annotare & longum eſſet, & pœne ſupervacaneum. Irenæus ergo Apoſtolorum doctrinam ab hæreticorum deliriis alienam fuiſſe, ex ipſorum Apoſtolorum, & ſcripturis, & traditionibus fuſe probat. Cur Διαταγῶν, quibus nihil eſt in hoc genere diſertius, ſi eos Apoſtolicos norat, nullus meminit? Refert quodam loco eam, de qua diximus, Clementis ad Corinthios epiſtolam; ex qua probat & Apoſtolos tradidiſſe, & Clementem accepiſſe, docuiſſeq;, *unum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ,* a l. 3. c. 3.
plaſmatorem hominis, qui induxerit cataclyſmum, & advocaverit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus ſit Moyſi, qui legem diſpoſuerit, & Prophetas miſerit, qui ignem præparaverit Diabolo & Angelis ejus. Sed quid ille in iſtis tempus terit? Cur non ex noſtris

Con-

Conſtitutionibus diſertè ab Apoſtolis da-
a l.6.c.4. in. mnatos refert hæreticos *a τὺς βλασφημοῦντας θεοῦ τὴν πρόνοιαν, ἢ τὴν δημιουργίαν, Dei providentiam, vel creationem blaſphemantes*? Cur non de innumerabilibus aliqua profert loca, in quibus Διαταγεῖς Chriſti Domini Patri & mundi creationem, & omnem veteris teſtamenti œconomiam, legiſque Moſaicæ promulgationem, & Prophetarum miſſionem clariſſime tribuunt *b*?
b l.6.c. 11. *diſertiſſime* Ac, ut cætera mittam, cur non illum ſaltem locum recitat, in quo iſti ipſos illos, quos Irenęus tam operoſe refellit hæreticos, *διαῤῥήδην* ac nominatim proſcribunt,
c l.6.c.8. eorumq; dogmata liquido ſugillant *c*, *εἶτα καὶ ἕτεροι ἑτέρων κατῆρξαν ἐκτόπων δογμάτων* Κήρινθος, καὶ Μάρκος, καὶ Μένανδρος, καὶ Βασιλείδης, καὶ Σατορνῖλος; Ita compendio tota hæc diſputatio tranſigi poterat. Sed ille ſcilicet hæc, quæ qua erat ſapientia, loco tam neceſsario non fuerat, ſi ea habuiſset, omiſsurus, ideo prætermiſit, quod nondum ejus ævo nati eſsent poſthumi, ſerique illi Bovii Apoſtoli.

Neque omittendum eſt, quod hic tradit de Clementis epiſtola Irenæus, quam diſerte ait *d*, *vetuſtiorem eſſe his, qui nunc*
d l.3.c.3. (inquit) *falſo docent, & alterum Deum ſuper Demiurgum, & factorem horum omnium quæ ſunt, commentiuntur.* At qui antiquiſ-

Digitized by Google

quiſſimas eſse volunt Διαλάξεις, ii huic ipſi Clementi eas tribuunt; epiſtolæq; adeo ad Corinthios ſorores germanas ſtatuunt. Jam cum Romæ epiſcopus eſset Clemens, quo tempore illam epiſtolam Romanæ Eccleſiæ nomine ad Corinthios dedit, cumque non plures, quam novem ad ſummum annos epiſcopus fuerit, omnino neceſse eſt, Conſtitutionum libros, ſi ii vere Clementis ſint, vel ante editam ad Corinthios epiſtolam, vel certe paucis annis, id eſt non pluribus quam octo, poſt eam conſcriptos fuiſse. Ex quibus evidenter ſequitur, ipſas quoque Διαλάξεις, ſi Clementis ſunt, eſse *iſtis hæreticis* ex Ireneo vetuſtiores. Atqui eſse non vetuſtiores, ſed recentiores, conſtat, quæ ſcilicet illos ipſos hæreticos, veluti jam exortos memorant. Ergo fieri non poteſt, ut vere Clementis ſint noſtræ illæ Conſtitutiones.

Narrat idem Irenęus *a*, audiviſse aliquos à Polycarpo, *Ioannem Domini diſcipulum in Epheſo, euntem lavari, cum vidiſſet intus Cerinthum, exiliiſſe de balneo non lotum, ſe timere dicentem, ne balneum concideret, cum intus eſſet Cerinthus.* Cur iſtis non addidit, quod Clemens in Conſtitutionibus tradidit, Apoſtolos Cerinthum iſtum nominatim inter eos hæreticos cenſuiſse, qui καλῆρξαν ἐκτόπων δογμάτων? a *l.* 3. *c.* 3.

Ita

Ita & quo loco contra Ebionæos, & Nicolaïtas diſputat, quæ in Conſtitutionibus habentur adverſus iſtos diſertiſſima, omnino ea attuliſſet, ſi cognita habuiſſet. Quod de iſtis tacet, hoc ipſo clamat, ſe ea plane neſciviſse.

a *l.* 1. *c.* 26. *c.* 27. *& alibi l.* 3. *l.* 6. *c.* 6. *& c.* 8.

Sed & Irenæi, pręter inſigne illud adverſus hæreſes opus, extat apud Euſebium nobilis ad Victorem epiſtolæ egregium fragmentum, è quo vel meridiano ſole clarius eſt, nullas tum (id eſt paulo ante finẽ ſecundi ſæculi) apud Chriſtianos fuiſse Bovianas Apoſtolorum Διατάξεις.

b L. 5. *hiſt. Eccl. c.* 26.

Primo id validiſſime probat ipſum epiſtolæ argumentum. Eſt enim ſcripta de quæſtione Paſchali, quæ tum eo uſque exarſit, ut Victor, Romæ Epiſcopus, Aſiæ Eccleſias excommunicandas putaret, quod eæ Paſcha decima quarta Luna una cum Judæis præciſe celebrarent, aliter quam ipſe, & reliquus Chriſtianorum orbis. Neque id inter Eccleſias diſcriminis eo primum tempore natum erat. Fuiſse jam antea ait Irenæus ſub Aniceto, & Pio, & Hygino, & Teleſphoro, & Xyſto, & Sotere, Eccleſiæ Romanæ, ut Irenæus loquitur, *presbyteris*. At ſi tum extitiſsent Bovianæ Conſtitutiones, nullus futurus erat iſti controverſiæ locus, in quibus ſcilicet ea ſecundum Romanos non minus clare, diſerteque;

Digitized by Google

que, quam ab ipſo Victore definita eſt his verbis *a* : Δεῖ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, τοὺς τῷ Χριστοῦ τιμίῳ ἐξηγορασμένους αἵματι, τὰς ἡμέρας τοῦ πάσχα ἀκριβῶς ποιεῖσθαι μετὰ πάσης ἐπιμελείας μετὰ τροπὴν ἰσημερινήν· ὅπως μὴ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑνὸς παθήματος μνείαν ποιῆσθε· ἀλλὰ ἅπαξ τοῦ ἔτους τοῦ ἅπαξ ἀποθανόντος· μηκέτι δὲ παρατηρούμενοι μετὰ Ἰουδαίων ἑορτάζειν· οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς· πεπλάνηνται γάρ, καὶ αὐτὴν τὴν ψῆφον, ἣν νομίζουσιν ἐπιτελεῖν· ὅπως πανταχόθεν ὦσι πεπλανημένοι, καὶ τῆς ἀληθείας ἀπεσχοινισμένοι. ὑμεῖς δὲ φυλάσσετε ἀκριβῶς τὴν ἰσημέριον τροπὴν τῆς ἐαρινῆς, ὅς ἐστι Δύστρος. ἐπιτηροῦντες ἕως εἰκάδος πρώτης σελήνης, ὅπως μὴ ἐν ἑτέρᾳ ἑβδομάδι ἐμπέσοι ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης· καὶ πλάνης γενομένης ἀγνοίᾳ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπιτελέσωμεν τὸ πάσχα· ἢ ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἑορτάσωμεν τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἀναστάσιμον ἡμέραν, ἀλλ' ἐν Κυριακῇ μόνῃ. *Oportet ergo, fratres, ut qui pretioſo Chriſti ſanguine redempti eſtis, dies feſtos Paſcha accurate, & omni diligentia poſt æquinoctium celebretis, ut neque unius paſſionis bis per annum memoriam renovetis, ſed potius ſemel quotannis ſemel item mortui memoriam celebretis; neque amplius cum Iudæis tempus celebrandi Paſcha obſervetis. Nulla enim nobis nunc cum eis communio eſt. Falluntur*

a l. 5. c. 16. in.

tur namque in ipſo etiam calculo, & ratiocinatione, quam exiſtimant ſe abſolvere, ut ex omni parte à veritate abſtracti ſint. Vos vero obſervate diligenter converſionẽ verni æquinoctii, quæ incidit in vigeſimum ſecundum diem menſis duodecimi, qui appellatur Dyſtros, & notate uſque ad vigeſimam primam Lunam, ne in aliam hebdomadam incidat Luna quarta decima, & per errorem bis uno eodemque anno Paſcha agitemus, aut diem reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, alio die, præterquam Dominico, tantum celebremus. Hæc Boviani Apoſtoli. Mitto, quod ſupra obſervatum eſt, aliam extare apud Epiphanium ipſam quoque velut Apoſtolorum Διάταξιν, qua plane contra, quam hic, paſcha Chriſtiani cum Iudæis obſervare jubentur; quæ tametſi & ipſa ſpuria falſaque ſit, quod ſuo loco demonſtravimus, clariſſime tamen docet, iſtam, quæ cum ea adverſa fronte pugnat, novellam eſſe, ac priori recentiorem, & poſt Epiphaniana tempora à maleferiatis hominibus, ejecta illa ſuperiore, quę Iudæis favet, Conſtitutionum codici inſertam. Mitto, quod *ipſa Conſtitutio*, ut ait ac fatetur Bovius [a], *ſe prodit, & tantum non voces emittens, clamat ſe novam eſſe. Ait enim æquinoctium fieri* 22. *Dyſtri menſis, hoc eſt Martii: perſpicuum eſt autem Chriſti tem-*

[a] *Ad Conſt. Apoſt. l.* 5. *c.* 18.

ſti tempore æquinoctium fuiſſe 25. *Martii; tempore vero Anatolii Laodiceni Epiſcopi, qui vixit Probo imperante a. D.* 280. *æquinoctii tempus retroceſſerat tribus diebus, Solque arietem ingrediens faciebat æquinoctium vernum* XI. Kal. Apriles, *hoc eſt* 22. *Martii; quod narrat Euſebius in Eccleſ. Hiſt. l.* 7. Hactenus Bovius. Hæc, inquam, in præſentia quidem mitto. Illud unum ajo, ſi hæc Apoſtolorum Conſtitutio Aniceti, Pii, Hygini, Teleſphori, Xyſti, Soleris, & Victoris ævo Chriſtianis cognita fuiſſet, viros ſanctiſſimos Polycarpum, Thraſeam, Sagarim, Papirium, Melitonem, Polycratem, & cæteros Aſianos, Apoſtolici nominis obſervantiſſimos, nunquam violaturos fuiſſe tam claram, tamque diſertam legem, Paſcha contra quam illa decernit, una cum Judæis celebrantes. Quod ita inſtituerunt, eo ipſo clamant nihil ſe ſciviſſe ab Apoſtolis in contrariam partem decretum. Sed nihil eſt argumentis opus. Polycarpus, quo viro, poſt Apoſtolos, quorum familiaris fuit, vix ullus apud Chriſtianos unquam fuit, ſanctior ac divinior Aniceto affirmat apud Irenæum in hac ipſa epiſtola a, *Ioannem Domini noſtri diſcipulum, & reliquos, quibuſcum verſatus erat, Apoſtolos*, ita ut Aſiani obſervabant, Paſcha celebraſſe, id eſt cum Judęis;

a *Euſ. l.* 3. *hiſt. c.* 26.

Idem quoq; poſtea affirmavit ad Victorem ſcribens Aſianorum princeps, veneranda canitie, ſanctiſſimiſque moribus ſenex Polycrates; qui commemoratis Joanne & aliis non paucis veteris memoriæ viris, partim Apoſtolis, partim Apoſtolicis, οὗτοι πάντες (inquit *a*) ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ πάχα κατὰ τὸ εὐαγγέλιον. *Hi omnes obſervarunt diem Lunæ decimaquartæ Paſchatis ſecundum Euangelium.* Omnino neceſſe eſt, vel mentitos eſſe de Apoſtolis Polycarpum, ac Polycratem (quod nemo, niſi à Chriſto alienus, & furens dixerit) vel certe falſos eſſe ac fictitios noſtros illos Bovii Διαταγέας, qui Apoſtolos de paſcha plane contra, quam ipſi obſervabant, decernentes faciunt. Sed etiamſi Polycarpum ac Polycratem cauſæ ſuæ ſtudio abreptos falſo iſta de Apoſtolis jactaſſe dixeris (quod vel ſuſpicari de talibus viris nefas arbitror) illud quidem certe negari non poteſt, eorum hac in parte adverſarios, Anicetum, & Victorem, & cæteros omnes, præter Aſianos, illam Apoſtolorum pro ſuo uſu ac ritu factam conſtitutionem, ſi ea tum cognita fuiſſet, in medium fuiſſe allaturos. Atqui neque eam, neque aliud ullum Apoſtolorum, quod quidem ſcriptum extaret, mandatum in tota hac cauſſa adhibuiſſe unquam leguntur. Irenæus Anicetum,

a *Ibid. c.* 25.

quo

quo minus ad contrarium Polycarpi uſum concederet, nihil aliud cauſſatum eſſe memorat, niſi unam ſuorum anteceſſorum conſuetudinem, ὅτε μὴν ὁ Πολύκαρπ@ (inquit *a*) τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε τηρεῖν, λέγοντα τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν. *Neque Polycarpus Aniceto perſuaſit, ut conſuetudinem Aſiaticam obſervaret; quippe qui diceret, morem presbyterorum, qui ante ſe fuerant, debere retineri.* Neque Euſebius, qui hæc narrat, contendentes ulla lege ſcripta, ullove præcepto in hac controverſia nixos fuiſſe ait; ſed diverſam utroſque *traditionem* obtendiſſe *b*; Aſianos quidem paſcha luna decimaquarta ὡς ἐκ παραδόσεως ἀρχαιοτέρας, *velut ex antiquiori traditione*, celebrandum eſſe pugnantes; alios diverſum morem, *qui etiam* (inquit) *ad hodiernam diem obtinuit, ex Apoſtolica traditione obſervantes.* Ergo fatendum eſt, nullam tum in Eccleſia extitiſſe Apoſtolorum ſcriptam hac de re legem; Conſtitutionumque adeo noſtrarum codicem, in quo ea lex diſertiſſime habetur, illius memoriæ Chriſtianis plane, penituſque ignotum fuiſſe.

a *Ubi ſuprà.*

b *Hiſt. l. 5. c. 25. init.*

Quod ipſum etiam aliter nos docet in illa epiſtola Irenæus. Ait enim non ſuo modo tempore *c*, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον, *ſed & multo prius*, diverſam apud Chriſtianos

c *Ibid. c. 26. in.*

ſtianos fuiſſe *jejunii* antepaſchalis *formam* ſive *ſpeciem*; *Alios enim putaſſe oportere ſe unum diem jejunare; alios, duos; alios vero, etiam plures: fuiſſe & qui horis diurnis, nocturniſque quadraginta diem illum ſuum* eſurialem *metirentur*. Jam illud primo plane eſt incredibile, hujuſmodi apud illorum temporum Chriſtianos exstituram fuiſſe jejunii varietatem, ſi iis cognitæ fuiſſent, & pro Apoſtolicis habitæ noſtræ Διατάξεις. Hæ enim omnem ante paſchalis illius jejunii rationem adeo exſerte accurateque definiunt, ut nemo de eorum, qui eam decreverunt, ſenſu dubitare poſſit *a*. Ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα (inquiunt) *νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς καὶ σαββάτου ἓξ ἡμέρας, &c. τὴν μέντοι παρασκευὴν καὶ τὸ σάββατον ὁλόκληρον νηστεύσατε, οἷς δύναμις πρόσεστι τοιαύτη, μηδενὸς γευόμενοι μέχρις ἀλεκτοροφωνίας νυκτός. εἰ δέ τις ἀδυνατεῖ τὰς δύο συνάπτειν ὁμοῦ, φυλασσέσθω κἂν τὸ σάββατον. Iejunate diebus paſchæ incipientes à ſecunda feria uſque ad ſextam, & Sabbatum ſex diebus*, &c. *Sexta tamen feria & Sabbato ex toto manete jejuni, qui ita firmis viribus eſtis, ut ferre poſſitis, nihil prorſus guſtantes uſque ad nocturnum galli cantum. Siquis vero propter imbecillitatem utrumque diem conjungere non potuerit; ſaltem ſabbatum ſervet.*

a L. 5. c. 18.

ſervet. Legis rationem inde petunt, quod his diebus ablatus fuerit ſponſus; tum, διὸ παραινοῦμεν καὶ ὑμῖν νηστεύειν ταύτας (ἡμέρας) ὡς καὶ ἡμεῖς ἐνηστεύσαμεν ἐν τῷ ἀναληφθῆναι αὐτὸν ἀφ᾽ ἡμῶν, μέχρις ἑσπέρας. *Quamobrem vos hortamur, ut his* (diebus) *jejunetis, (ſicut & nos jejunavimus cum ablatus fuit nobis) uſque ad veſperam. Reliquis vero ante ſextam feriam diebus, edite hora nona, vel veſpere, vel ſicut quiſque valet. Sabbato autem uſque ad galli cantum.* Atque hanc ſuam de jejunio, feſtoque Paſchali legem paulo poſt perpetuam eſſe jubent: καὶ τοῦτο ὑμῖν ἔστω νόμιμον αἰώνιον ἕως τῆς συντελείας τῶν αἰώνων, μέχρις ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος. *Sit hoc vobis legitimum ſempiternum uſque ad conſummationem ſæculi, donec veniat Dominus.* Hæc illi, ſane ſevere ac graviter. Atqui & ſuo tempore, & anterioribus etiam temporibus longe aliter à Chriſtianis factum tradit Irenæus. Primo teſtatur, non fuiſſe unam apud omnes illius jejunii rationem; quæ tamen & una eſſe debuerat, & procul dubio una futura erat, ſi hæc ab Apoſtolis, communibus univerſorum magiſtris, lex ſcripta fuiſſet. Tum varias illas, quæ tunc obtinebant, jejunii rationes hujusmodi recenſet, quæ pæne omnes ab hac, quæ una ſolaque apud omnes valere debuerat, diſcre-

 pant.

Digitized by Google

pant. Nam & quos uno die, & quos duobus jejunaſse ait, ii plurimum à noſtrorum Διαταξέων regula, qui ſex jejunari volebant, diſcedebant; & qui pluribus diebus, quam duobus jejunaſse dicuntur, probabile eſt, pleroſque non ſex, quod volunt Boviani Apoſtoli, ſed tribus ſi forte, quatuorve, aut quinque jejunaſſe. Denique qui ſex præciſe diebus jejunaverint nulli diſerte ab Irenæo memorantur. Tum & illud, quod ab omnibus, quorum vires id ferunt, Διαταγεῖς requirunt ſolidum ſextæ feriæ, ſabbatique, hoc eſt 40. horarum jejunium, non omnes, ſed pauci quidam præſtitiſse ab Irenæo narrantur. Nullam ergo iſti ab Apoſtolis hac de re latam legem norant; quam ſi noviſsent aliquam, omnes eam communi conſenſu obſervaturos fuiſse, nihil eſt quod dubitemus. Ea enim erat Chriſtianorum per ea tempora pietas, is in res divinas, atque apoſtolicas amor, ut plane ſit incredibile legem illam, ſi Apoſtolica foret, ita ſecure ſpretam contemptamque fuiſſe, ut, à pleriſque vulgo violaretur; à pauciſſimis, & (quantum quidem ex Irenæo conſtare poteſt) fortaſſe à nemine ſervaretur. Irenæus quidem certe, cui Apoſtolica nulla lex ignota eſſe potuit, commune hoc vel omnium, vel pœne omnium flagitium narrans denotaſſet, ſi flagitium eſſet; adjeciſſet

ſet præter inſtitutum Apoſtolorum ita diverſimode jejunari; legem ipſam Apoſtolicam recitaſſet, vel ſaltem memoraſſet. At nihil ille hujuſmodi. Quin & illam diverſitatem, hoc eſt (ſi Bovianos Διαταγέας audimus) manifeſtam gravemque Apoſtolicæ legis tranſgreſſionem, adeo non damnat, ut etiam laudet; neque cujuſquam ritum reprehendat, aut repudiet; ſed bene factum cenſeat, quod omnes impune ſuo diverſi modo, ſuaque ratione, ſalva interim fide & pace εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους (inquit) καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. *pacem inter nos retinemus, variaque ac diſcrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat.* Itane vero Irenæe? Tune à quoquam eos turbari, aut rejici nefas putas, qui proculcata Apoſtolorum authoritate, non ſex, quod illi diſerte præcipiunt, ſed unum tantum, aut alterum diem jejunio colendum ante paſcha exiſtimant? Abſit, ut ſanctiſſimum Martyrem ita nihili feciſſe arbitremur Apoſtolorum decreta. Quid ergo eſt? Nimirum quas tu mihi, Bovi, edis Apoſtolorum leges, eæ Irenæi temporibus nullæ fuerunt; quas jam tum fuiſſe obtinere non potes, niſi & eadem opera impios fuiſſe omnes illius memoriæ Chriſtianos, & ipſum quoque Irenæum vel impi-

um, vel certe nimis craſſum fuiſſe ſtatuas. Tuas niſi hac lege Conſtitutiones tenere non potes. Nos quidem, qui & illorum temporum Chriſtianos optimos, maximeque (ut ſic dicam) Apoſtolicos, & Irenæum longe præſtantiſſimum, ſapientiſſimumque Epiſcopum fuiſſe ſcimus, Conſtitutiones illas tuas, quæ cum iſtorum pietate & ſapientia conſiſtere non queunt, libentes dimittimus, nothaſque & ſequioribus ſæculis natas eſſe, confitemur. Quod ipſum clariſſime confirmat Irenæus, dum illam jejunandi diverſitatem non ex præcepti Apoſtolici contemptu, aut negligentia (quod omnino & verum erat, & dici debuerat, ſi qua Apoſtolorum de hujus jejunii ratione lex erat) ſed à non ſatis accurata ſimplicis & privatæ quodammodo conſuetudinis obſervatione exortam eſse docet. Ex quo liquet, non ex præcepto, aut lege, ſed ex uſu ac conſuetudine, invaluiſse apud Chriſtianos antepaſchale illud jejunium; eoque mentiri impoſtorem, qui ſuam de eo Διαταγὴν impudenter Apoſtolis affinxit.

Cap.

CAP. IV.

Arg. VI. Ex apocrypha Barnabæ epiſtola ductum; quo clariſſime demonſtratur, Conſtitutiones alicujus impoſtoris opus eſſe.

SED antequam ultra progredior, ex apocrypha Barnabæ epiſtola aliquid obſervandum eſt; ex quo deprehendi poteſt, nihil minus eſſe, quam Apoſtolos, τοὺς Bovii Διαταγέας. Eam enim epiſtolam ante ſecundi ſæculi finem Barnabæ ſuppoſitam, affictamque fuiſſe inde clariſſime perſpicitur, quod Clemens Alexandrinus in Stromateon opere, quod paulo poſt annum Domini 194. ſcriptum conſtat, non pauca paſſim ex illa laudavit. Iam in illa Barnabæ epiſtola hęc verba de filiis mortis leguntur a, οὐ κολλώμενοι ἀγαθῷ, οὐ κρίσει δικαίᾳ, χήρᾳ καὶ ὀρφανῷ προσέχοντες, ἀγρυπνοῦντες οὐκ εἰς φόβον θεοῦ, ἀλλ' ἐπὶ τὸ πονηρόν· ὧν μακρὰν καὶ πόρρω πραΰτης, καὶ ὑπομονή· ἀγαπῶντες μάταια, διώκοντες ἀνταπόδομα, οὐκ ἐλεοῦντες πτωχὸν, οὐ πονοῦντες ἐπὶ τῷ καταπονουμένῳ, εὐχερεῖς ἐν καταλαλιᾷ, οὐ γινώσκοντες τὸν ποιήσαντα αὐτοὺς, φονεῖς τέκνων, φθορεῖς πλάσματος θεοῦ, ἀποστρεφόμενοι τὸν ἐνδεόμενον, καταπονοῦντες τὸν θλιβόμενον, πλουσίων παράκλητος, πενήτων ἄνομοι κριταὶ, πανταμαρτητοί. *Non adhærentes*

a *ep. pene extr. p. 252. edit. Iſ. Voſſii.*

rentes bono, juſto judicio viduæ & orphano minime adtendentes, vigilantes non ad timorem Dei, ſed ad malum, à quibus longe abſunt manſuetudo & vigilantia, diligentes vana, vindictæ amatores, non miſerentes egeno, non laborantes ad levandum oppreſſum, ad detractionem prompti & faciles, non cognoſcentes factorem ſuum, liberorum homicidæ, corruptores creaturæ Dei, ſe ab indigente avertentes, opprimentes oppreſſum, divitum advocati, pauperum iniqui judices, per omnia peccatores. Hactenus Pſeudo-Barnabas. Non eſt ovum ovo ſimilius, quam illis Barnabæ hæc noſtrorum Διαταγέων in eorundẽ hominũ deſcriptione.

[a] l. 7. Conſt. c. 19. οἱ [a] γὰρ τούτων ποιηταὶ οὐ κολλῶνται ἀγαθῷ, οὐδὲ κρίσει δικαίᾳ· ἀγρυπνοῦσιν οὐκ εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀλλ' εἰς τὸ πονηρὸν, ὧν μακρὰν πρᾳότης καὶ ὑπομονή. μάταια ἀγαπῶντες, διώκοντες ἀνταπόδομα, οὐκ ἐλεοῦντες πτωχὸν, οὐ πονοῦντες ἐπὶ τῷ καταπονουμένῳ, οὐ γινώσκοντες τὸν ποιήσαντα αὐτοὺς, φονεῖς τέκνων, φθορεῖς πλάσματος θεοῦ, ἀποστρεφόμενοι ἐνδεόμενον, καταπονοῦντες θλιβόμενον, πλουσίων παράκλητοι, πενήτων ὑπερόπται, πανθαμάρτητοι. Omnia, pauciſſimis voculis exceptis, eadem, quæ Barnabæ: ut altera ex alteris deſcripta fuiſſe neceſſe ſit. Non deſcripſiſſe autem pſeudo-Barnabam ex Apoſtolorum conſtitutionibus manifeſtum eſt. Hæc enim ſi inde

de mutuatus eſſet, haud dubie Apoſtolos, verborum ſcilicet authores, nominatim laudaſſet, illa, quæ in citandis ſacris ſcriptoribus ſolennia ſunt, addidiſſet, *ut ajunt Apoſtoli*, vel, *ut loquuntur in ſuis Conſtitutionibus Apoſtoli*, vel aliquid ſimile. Non fecit. Non eſt ergo dubitandum, iſtius pſeudo-Barnabæ ævo, id eſt ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo jam adulto, nullas adhuc extitiſſe Bovianas Apoſtolorum Διαταγάς. Sed & hinc clarum certumque, τοὺς Διαταγέας illa nuper deſcripta verba ex pſeudo-Barnabæ apocryphis ſumpſiſſe; quod cum à verorum Apoſtolorum & ingenio, & ævo alienum ſit, omnino neceſſe eſt, impoſtorem fuiſſe, qui talia Apoſtolis affinxit.

CAP. V.

Arg. VII. Conſtitutiones Clementi Alexandrino fuiſſe ignotas. Arg. VIII. Neque eas vel ſciviſſe, vel probaſſe Tertullianum. Ex eo clariſſime confici, nullas adhuc tertio iſto ſaculo ineunte extitiſſe Apoſtolorum Conſtitutiones.

ATQUE hæc de ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo. Sed neque tertio cognitas fuiſſe Bovianas Διατάξεις ex omnibus, qui toto eo tempore vixerunt, ſcriptoribus, clarum eſt;

quorum nemo eſt, qui eas memoraverit,
Primus ex iis prodeat Clemens Alexandri-
nus; qui ſecundo ſæculo exeunte florere
cæpit, tertiique initia attigit. Stromateon
enim opus ſcripſit paulo poſt Commodi
necem, hoc eſt paulo poſt annum D. 192.
Is cum omni ſacra & exotica eruditione ad
miraculum abundaret, præclara illa inge-
nii ſui monumenta, quæ ſane reliquit non
pauca, ſolet multis divinorum Chriſtiano-
rum, philoſophorum, etiam hæreticorum
ſcriptorum litteris, ac teſtimmoniis varie-
gare. Quin & ipſe non raro apocrypha,
ut Barnabæ epiſtolam, & alia uſurpat.
Clementis quidem certe epiſtolam ad Co-
a Strom. l. 1. 289. *a. & l.* 4. *& l.* 6.
rinthios veram, ac γνησίαν, multis ſubinde
locis laudat, *a* & ſatis prolixas ex ea ῥήσεις
deſcribit. Cur non & Διαλέξεις, ſiquas
ejuſdem authoris norat, aliquo loco me-
morat? cum tam multa paſſim tractet, quæ
ex eo libro vel probari, vel ornari, & illu-
b Pædag. l. 3. *c.* 5. *tot. p.* 232. 233.
ſtrari poterant? Verbi gratia, in Pædago-
go multus eſt, ut promiſcua utriuſq; *b* ſexus
balnea damnet, reique fœditatem ac turpi-
tudinem demonſtret. Ac in eo ſermone
Heſiodum, Græcum poetam, uſurpavit;
utque oſtenderet, quam ſit periculoſum
nuda mulierum corpora aſpicere, illud
c Matth. 5.
Chriſti ex Euangelio *c* attulit, *Qui inſpexit*
περιεργότερον *curioſius, jam peccavit.* Ob-
ſecro

ſecro te, cur tali in loco hæc ex Conſtitutionibus [a] diſertiſſima omiſit? περιπατῶν δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ λούσασθαι βουλόμενος; χρήσῃ a L. 1 c. 6. extr. βαλανείῳ ἀνδρείῳ, ἵνα μὴ διὰ τὸ ἐπιδεικνῦσαί σε σῶμα ἐν ἀσχήμῳ ἀποκαλύψει γυναιξὶν, ἢ θεάσασθαι θέαν οὐχ ἁρμόζουσαν ἀνδράσιν, ἢ σὺ παγιδευθῇς, ἢ παγιδεύσῃς ἐπὶ σαυτῷ τὰς οὕτως εὐαλώτους γυναῖκας. Φυλάσσου οὖν τὰ τοιαῦτα. *Cum in foro deambulas, & lavare vis, utere balneo virorum, ne, quia corpus nudum mulieribus turpiter oſtenderis, aut quod non decet viros ſpectaveris, vel illaqueeris, vel illaquees fœminas, qua ſic facile capiuntur. Cave igitur ab hujuſmodi rebus.* Qui Clementis morem, ſcribendique rationem norit, non dubitabit, quin iſta hic fuerit commemoraturus, ſi ea ſciviſſet. Qui ejuſdem πολυμάθειαν ac multijugam eruditionem perſpectam habuerit, is nunquam credet, ignotas ei fuiſſe Apoſtolorum Διατάξεις, ſiquæ eo ſæculo extiterunt. Ergo quod hanc ῥῆσιν tali loco omittit, eo fatetur ſe Διατάξεις neſciviſſe; quod neſcivit, eo probatur, nullas tum apud Chriſtianos fuiſse.

Nunc ad Tertullianum, Clementis æqualem, veniamus; qui & ipſe unus ad conficiendum, profligandumq; totum illud fictitium Διαταγῶν opus ſatis eſſe poteſt. Is enim, non modo eas (quas, cum fuerit erudi-

eruditiſſimus, ignorare, ſi fuiſſent aliquæ; non potuit) nuſquam memoravit; ſed etiam plurima paſſim vel ipſe ſentit, ac docet, vel ſenſiſſe, docuiſſeque ejus temporis Catholicos Chriſtianos teſtatur, quæ cum iſtorum Διαταγέων ſcitis nullo modo conſiſtere queunt. Pauca de multis proferam. Ille, quod & ab Auguſtino, & quidem non ſine admiratione atque indignatione, obſervatum eſt, & ex ipſius Tertulliani de Anima *a* commentario perſpicuum eſt, ſenſit, *animam noſtram corpoream* eſſe. Noſtri vero Διαταγεῖς illuſtriſſimo loco, hoc eſt in ipſa prædicationis doctrinæque ſuæ ἐξηγήσει, ac ſynopſi, ψυχὴν (inquiunt *b*) *ἀσώματον ἐν ἡμῖν καὶ ἀθάνατον ὁμολογοῦμεν. Animam in nobis confitemur incorpoream, & immortalem.* Quis Tertullianum vel tam imperitum fuiſſe crediderit, ut Apoſtolorum, ſiquæ ſuo tempore extitiſſent, Conſtitutiones neſciverit; vel tam impudentem, ut contra diſertiſſimam Apoſtolorum profeſſionem contrariam ipſe ſententiam & ſequi, & apud homines Chrſtianos palam edere, ac defendere ſuſtinuerit? Quin & diverſam, hoc eſt τῶν Διαταγέων ſententiam, vulgo tribuit, & veluti plebeium errorem dimittit; *Simplicior quiſque fautor* (inquit) *ſententiæ noſtræ putabit, carnem etiam idcirco repræſentandam eſſe judicio,*

a *l. de An c. 5. fuſe & c. 9. alibi ſæpius.*

b *l. 6. c. 11. c.*

c *l. de reſurr. carn. c. 17.*

judicio, quia aliter anima non capiat paſſionem tormenti, ſeu refrigerii, utpote incorporalis; Hoc enim VULGUS *exiſtimat. Nos autem animam corporalem, & hic profitemur, & in ſuo volumine probamus* a, *habentem proprium genus ſubſtantiæ, ſoliditatis, per quam quid & ſentire, & pati poſſit.* Tum ſtatim ſe concedere ait, *animam habere corpulentiam propriam.* Nemo mihi perſuaſerit, Tertullianum, quod Apoſtolicum eſſe ſciret dogma, id non modo rejecturum, ſed & contemptim aſpernaturum, *vulgoque* imputaturum fuiſſe. Et ſi eam fuiſſe finxeris viri inverecundiam, ut Apoſtolicæ ſententiæ tam arroganter oppedere quiverit: illud certe non negabis, eum quo erat in diſputando acumine, hinc redundantem ex Apoſtolorum nomine invidiam aliqua arte fuiſſe declinaturum, & eorum verba commode interpretaturum. Qui philoſophorum contra hoc ſuum dogma & authoritatem & rationes adeo non ſprevit *b*, ut etiam fuſe ac diligenter expenderit, atque ſolverit, certe ſolvere conatus ſit; ejus profecto non fuit Apoſtolorum, ſi quod erat contra ſe in hoc argumento vel in ſpeciem dictum, contemnere, maxime quo loco ex ipſorum libris animæ (ut loquitur) *corporalitatem* aſtruere contendit. Ille vero *c* nullam ſibi ipſi vel hic vel alibi Apoſtolorum

a *l. de an. c.* 5.

b *Ibid. c.* 5. & 6.

c *Ibid. c.* 7.

Διάταξιν

Digitized by Google

διάταξιν objicit. Quid ergo eſt? Nempe nondum eo ſæculo orti erant Boviani Apoſtoli; quos ſi ſciviſſet Tertullianus, haud dubie vel ſecuturus erat, vel certe confutaturus. Neutrum fecit. Nullos ergo hujus quidem commatis Apoſtolos cognitos habuit. Idem quoque ad Fauſtum Regenſem, quinti ſæculi ſcriptorem, obſervari poſſet; quia & *animam & Angelos ſubſtantiæ corporeæ* eſſe docet. Atque hæc quidem obiter. Sed ad rem. Cum noſtri Διαταγεῖς infantes baptizari jubeant, *βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, baptizate pueros veſtros infantes*; Tertullianus planè contra; baptiſmum in æuum maturius differri vult; *Itaque* (inquit) *pro cujuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi utilior eſt; præcipue tamen circa* Parvulos. Mox; *Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? Cautius agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, decima credatur. Norint petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.* Quo & illa, quæ hic continuat, pertinent; *Non minore de cauſſa innupti quoque procraſtinandi, in quibus tentatio præparata eſt, tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur.* Vel eo proſunt hi, maximi alioqui ſcriptoris, errores, ut intelligas

a ep. ad. Ben. Paul. T. 3. bibl pp. p. 40. d. e.
b Conſt. l. 6. c. 15.
c L. de bapt. c. 18.

telligas nondum Διαταγέας tum extitiſſe; qui ſcilicet ſi extitiſſent, proque Apoſtolis habiti eſſent, Tertullianum his opinionibus, ſane incommodis, liberaturi erant. Sed & hæc ex eodem de Baptiſmo opere oſtendunt, Tertulliano ignotas fuiſſe Bovii Apoſtolos. Nam ſi eos norat, cur laïcis, quam illi plane penituſque adimunt *a*, baptizandi poteſtatem hic liberaliſſime concedit? *Etiam* (inquit *b*) *laicis jus eſt, quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt, niſi aut epiſcopi jam aut presbyteri aut diaconi vocantur diſcentes. Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo. Proinde & baptiſmus, æque Dei cenſus, ab omnibus exerceri poteſt.* Tantum laïcos monet, ut *verecunde ac modeſte, propter Eccleſiæ honorem*, nec niſi *in neceſſitatibus*, utantur. Quin & multo etiam vehementius Διαταγέας noſtros alibi pulſat Tertullianus. Cum enim unum hoc ſit de capitalibus eorum edictis *c*, *Non permittimus laico ullum ex operibus ſacerdotalibus facere, ut ſacrificium, aut baptiſmum*; Septimius plane contra, & utrumque hoc & cætera omnia, eſt ubi & quando concedit laïco; *Ubi* (inquit *d*) *Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus; & offers, & tinguis, & ſacerdos es tibi ſolus.* Atque ita factum fuiſse in Euangelicæ prædicationis primordiis, author eſt Hilarius

a *l.* 3. *c.* 10. & *c.* 11. & *c.* 20.

b *l. de bapt. c.* 17.

c. *l.* 3. *Conſt c.* 10.

d *De exhortat. caſtit. c.* 7.

S Diaconus

Diaconus in Commentariis, qui falſo Ambroſio tribuuntur; *Omnibus* (inquit a) *inter initia conceſſum eſt & Euangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare.* Quæ profecto nunquam iſte ita ſcripſiſſet, ſi noſtras Conſtitutiones & legiſſet, & pro Apoſtolicis habuiſſet.

a *In Eph. c.* 4.

Idem Tertullianus æque ac Juſtinus, Chiliaſtarum quoque delirium, non obſcure, quod ſupra diximus, à Bovianis Apoſtolis confoſſum, ſecutus eſt.

Sed idem clariſſime, diſertiſſimeque negat, Apoſtolorum vel manu, vel nomine atque authoritate ſcriptas fuiſſe Bovianas Διατάξεις, dum multas in his voluminibus perſpicue aperteque & præceptas, & litteris mandatas obſervationes, ipſe b *ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio* haberi, *vindicarique* ait. Quales hæ ſunt, quas recenſet, *aquam ad baptiſmum adituri* (inquit) *conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompis, & angelis ejus*; Item, *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus*; &, *Eadem immunitate à die Paſcha ad Pentecoſte uſque gaudemus.* Hos omnes ritus plane ἀγράφυς eſſe, ſolaque traditione ac conſuetudine *ſine ullius ſcripturæ inſtrumento* receptos fuiſſe, atque invaluiſſe

b *l. de cor. Mil. c.* 3.

docet

docet Tertullianus. Id vero liquido falſum eſt, ſi Apoſtolorum vere ſunt Bovianæ Διατάξεις; in quarum libro ſeptimo primum illud de baptizandi conteſtatione diſertiſſime perſcriptum legitur *a*; Καὶ ὅταν ᾖ πρὸς αὐτὸ λοιπὸν τὸ βαπτισθῆναι ὁ κατηχηθεὶς, μανθανέτω τὰ περὶ τῆς ἀποταγῆς τοῦ διαβόλου. *Cum in eo de cætero erit catechumenus, ut jam jam baptizetur, diſcat ea, quæ de renuntiando diabolo habentur.* Tum ipſa recitatur renuntiationis formula *b*; Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ, καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, &c. *Renuntio Satanæ, & operibus ejus, & pompis ejus, & cultui ejus, & Angelis ejus.* Alterum de oblationibus anniverſariis pro defunctorum natalitiis, haud obſcurius ſcriptum invenitur *c*; Ἐνιαύσια ὑπὲρ μνείας αὐτοῦ (τοῦ κεκοιμημένου) καὶ διδόσθω ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ πένησιν εἰς τὴν ἀνάμνησιν αὐτοῦ. *Item anno exacto pro memoria ipſius* (defuncti) *& ex bonis ejus detur pauperibus ad recordationem ejuſdem.* Tertium de dominici, & totius Pentecoſtes à jejunio immunitate ſcripſerant quoque Boviani Διαταγεῖς. *d* Ἔνοχος ἁμαρτίας ἔσται ὁ τὴν Κυριακὴν νηστεύων ἡμέραν ἀναστάσεως οὖσαν, ἢ τὴν Πεντηκοστὴν, *Reus peccati erit, qui Dominico die jejunaverit, cum is ſit reſurrectionis dies, aut qui Pentecoſte.* Si hæc vel ab Apoſtolis,

a *l.* 7. *c.* 41.

b *Ibid. c.* 42.

c *l.* 8. *c.* 42.

d *l.* 5. *c.* 20. *extr.*

ut præferunt ipſi libri, vel certe (quod Bovius mavult) à Clemente Apoſtolico, Apoſtolis authoribus, ſcripta ſunt; ſi (quod decernit canon Apoſtolorum ultimus) libris novi Teſtamenti canonicis accenſenda ſunt; qui factum eſt, ut Tertullianus eas, quæ iſtic perſcriptæ ſunt, obſervationes *ſine ullius ſcripturæ inſtrumento* haberi, vindicarique dixerit? mox ullam earum extare negaverit *Scripturarum legem?* *Harum* (inquit) *& aliarum hujuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies?* Qui factum, ut eas Solius *traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio* ſtare ſcripſerit? Itane vero? Atqui præter *traditionem*, luculenta erat, & quidem ἔγγραφος iſtarum diſciplinarum, ſi Bovio credimus, ex libris vel Apoſtolorum ipſorum, vel certe Apoſtolici Clementis, probatio. Nos vero de his Tertulliano credere juſtius eſt, quam Bovio. Cum ergo neget Tertullianus illas obſervationes *ullo Scripturæ inſtrumento, ulla ſcripturæ lege*, alio denique, quam *unius traditionis titulo* niti; neceſſario confitendum eſt, nullos adhuc illo tempore Apoſtolos, nullum Clementem ſuas de iſtis leges ſcripſiſſe; quæ adeo horum nomine ſcripta nunc leguntur, ea poſt Tertullianum, non ab Apoſtolis, vel à Clemente, qui

a *l. de cor. Mil. c. 4. in.*

qui centum ante eum annis mortui omnes erant, ſed ab impoſtore aliquo ſcripta, editaque fuiſſe. Id vero ex hoc ipſo Tertulliani loco aliter quoque confirmatur. Nam ille quandam ſuo ævo ſolennem in baptiſmo diſciplinam commemorat, cujus nulla eſt apud Διαταγέας mentio. *Inde* (id eſt ex aqua baptiſmali) *ſuſcepti, lactis* (inquit) *& mellis concordiam præguſtamus ; exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus.* Nempe iis temporibus vixerunt Διαταγεῖς, quibus illa lactis, melliſque præguſtatio, Tertulliani ævo uſitata, obſervari deſierat.

Jam & illud clariſſime arguit nullas Tertulliani temporibus extitiſſe Bovianas Apoſtolorum διαταγὰς, quod vir acerrimus, ac diligentiſſimus, diſputandique mirabilis artifex, earum authoritatem neque Marcioni, aut Valentinianis, neque Praxeæ in luculentiſſimis quæ adverſus eos edidit, operibus uſquam opponit. Marcion, ut notum eſt, Chriſti Patrem negabat univerſi conditorem, vel Moſaïcæ legis authorem fuiſſe: Eadem delirabant Valentiniani. Tertullianus quinque contra Marcionem volumina, unum contra Valentinianos ſcripſit; egregium utrumque opus, ac illud præſertim prius; in quo nihil omittit quo Marcionis impudentia frangi poſſit; omnes

Scripturas, traditiones, & rationes, omnia argumentorum genera, ſtupenda diligentia, parique acumine, evolvens, inveſtigans, eruens, ac ediſſerens. Solas Διαταξεις, quæ unæ contra Marcionis, & Valentinianorum inſaniam diſertiſſimæ ſunt, eorumque prodigioſum dogma exſerte, totidemque verbis evertunt, ac refutant, in neutra diſputatione uſpiam adhibet. Quid de ejus cum Praxea, diverſi generis hæretico, conflictu dicam, qui & ipſe egregium unum volumen totum occupat? Ille quidem de Scripturis nihil reliquit intactum, quo Chriſtum alium à Patre eſſe, contra Praxeam, utrumque in unam perſonam impie ac imperite miſcentem & confundentem, aſſerat atque vindicet. Noſtros διαλαγέας qui Filium à Patre ubique ita diſertè diſtinguunt, ut etiam interdum ultra, quam quod ſatis eſt, progredi videantur, nunquam tamen adverſus Praxeam advocat; nullum in tali cauſſa teſtimonium iſtis Chriſti Apoſtolis denunciat. Eos plapræterit; neque in hunc magis, quam in Marcionem, paria, quamquam diverſa, furentem excitat. Si alius eſſet diſputator, tantum flagitium in ejus ſocordiam, vel oblivionem conferri fortaſſe paterer. De Tertulliano, nemo, cui vel leviter notus ille fuerit, quicquam hujuſmodi unquam

unquam ſuſpicabitur. Quid ergo eſt? Nimirum Tertullianus, quæ nondum ſuo tempore extabant, quę non niſi diu poſt ejus fata natæ ſunt Conſtitutiones, eas quantumvis acer ac diligens vel perſpicere, vel è futuri temporis tenebris eruere non potuit. Nihil mirum eſt, quod quæ non erant, minimè animadverterit. Cæterum nodum hunc, niſi eas nondum tunc fuiſſe conceſſeris, nunquam expedies. Huc quoque pertinet, quod cum alibi *a* mulieres à conferendo baptiſmo longiſſime idem ſubmoveat; Διαλαγεῶν diſertiſſimam in eam rem ſententiam nullus in eo loco memoravit.

a *l. de bapt. c. 17. extr.*
b *l. 3. conſt. c. 9.*

Quid quod non in his modo, ſed & in aliis quoque cauſis eadem ſemper cernitur Tertulliani ſtultitia, idemque ſtupor? præſens, paratumque Bovianorum Apoſtolorum præſidium ubique conſtantiſſime faſtidientis? Nam & alibi *c* dum adverſus Catholicos ſtata Montani jejunia, ſeraſque & ad veſperam dilatas eſcas, denique & Xerophagias magno molimine defendit, nullum de Bovii Apoſtolis, qui Montani in hac cauſſa pene toti ſunt, verbum fecit; de tam multis eorum pro Montano ſententiis nullam attulit. Extat ejus adverſus Pſychicos (quo nomine Catholicos invidioſe appellat) de jejuniis liber, in quo id inprimis

c *l. de jejun. advers. Pſych.*

probare laborat jeiuniorum, etiam apud Chriſtianos licitam eſſe *νομοθεσίαν*, hoc eſt, nobis adhuc ſub novo teſtamento ſtata ex præcepto, certaque lege jejunia obeunda eſſe. Montanum enim, quem defendit, Catholici ideo præſertim damnabant, quod jejuniorum leges Chriſtianis impoſuiſſet; *Hic eſt* (inquit de Montano Apollonius) ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας, *qui matrimoniorum ſolutiones docuit; hic, qui de jejuniis leges tulit.* Tertullianus ergo, ut ſua illa lege certa præcepta jejunia conſtituat, colligit de Scripturis jejunii laudes, fructum, exempla Apoſtolorum; quod unice quærebatur, quodque unum ad definiendam quæſtionem ſatis erat, nullas uſquam memorat jeiuniorum leges. Ergo nullas, quas afferret, habuit. Neque enim credibile eſt tam acutum, tamque diligentem diſputatorem, qui etiam longinqua petit, tam præſens cauſæ firmamentum neglecturum fuiſſe, ſi quod habuiſſet. Iam vero ſi tunc extitiſſent Bovianæ διδάξεις, leges jejuniorum plurimas habuiſſet, in quibus nemo neſcit plurimas extare; quales illæ ſunt, quas paſſim in iis libris legimus; de jejuniis *antepaſchalis hebdomadis, quadrageſimæ, quartæ ſextæque feriarum, unius poſt Pentecoſten hebdomadis.* Hæc quidem Boviani Apoſtoli

a *Euſeb. hiſt. l. 4. c. 5.*

b *c. 3. 4. &c.*

c *l. 5. Conſt. c. 17.*

lege

lege non minus certa, accurataque præcipiunt, quam ſua olim Montanus, quæcunque tandem illa fuerunt. Quæ cum Tertullianus in tota hac diſputatione alto ſilentio tranſmiſerit, neceſſario dicenda ſi extitiſſent; clarum eſt nullos tum extitiſſe Conſtitutionum libros in quibus hæc extant. Iam neque de xerophagiis hoc eſt aridis cibis pulſatus, (quod *velut novum affectati officii nomen & proximum Ethnicæ ſuperſtitioni* in Montano denotabatur) ullam affert Apoſtolorum de hoc diſciplinæ genere legem; quæ tamen, ſi tum extabant Bovianæ Conſtitutiones, in promptu erat. Xerophagiam enim exſerte jubent, qui in iis loquuntur Apoſtoli. *Totis ſex diebus* (qui ſcilicet Paſcha proxime antecedunt) *ſolo pane, & ſale, & oleribus*, & *ſola in potum aqua utimini.* Hoc vero victu ne Montanicus quidem ſiccior aut avidior fuit. Imo clarum eſt ipſiſſimam hanc eſſe Montani xerophagiam. Cur Catholici reprehendebant quod erat Apoſtolicum? Cur quod reprehendebatur, id Tertullianus, ſi Apoſtolicum vere fuit, *Apoſtolicum* fuiſſe non reſpondet? Cur ad Apoſtolorum tabulas, id eſt ad Conſtitutionum codicem, non provocat? Niſi & impudentes Catholicos, & hebetem Tertullianum finxeris, (quod utrumque procul à vero eſt) neceſſario fatendum eſt

a c. 2.

b *l.* 5. *Conſt. c.* 18.

nullas tum fuiſſe has, quas nunc Bovius edit, Apoſtolorum tabulas.

Sed hoc ipſum multo etiam clarius, certiuſque confirmat Catholicorum illius memoriæ, à Bovianorum Apoſtolorum Scitis plane diverſum dogma. Illi Chriſtianis jejunandum eſſe concedunt *a*; *ex imperio*, vel *ſub lege præcepti* jejunandum negant; jejunari volunt *ex arbitrio, pro temporibus & cauſis uniuscujusque*; & ſiquæ ſit *ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa*, licere epiſcopis *univerſæ plebi mandare jejunium*. Boviani vero Apoſtoli omnia illa, quæ nuper memoravimus *b*, antepaſchalia, quadrageſimæ, unius poſt Pentecoſten hebdomadis jejunia, non ex *arbitrio, ſingulorum*, ſed ex certa, exſertaque lege, non ex occurrentis neceſſitatis occaſione *interdum*, ſed *perpetuo* ex certo, ſtatoque officio obiri præcipiunt. Tum illi Tertullianicorum temporum Catholici diſerte negant *d*, *Apoſtolos ullum aliud impoſuiſſe jugũ certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Quorum verborum (ut alibi demonſtravimus) ſenſus eſt, *abolitis legalibus & Propheticis vetuſtatibus*, quarum in proximo meminerunt, nullum aliud pro remoto illo jejuniorum legalium onere, jugum certorum (qualia erant legalia) jejuniorum ab Apoſtolis Chriſtianorum cervicibus impoſitum eſſe.

a *Tertull. de jejun. c.* 2. & *c.* 13.

b *c.* 13.
c *l* 5. *Conſt. c.* 18.

d *Tertull. de jejun. c.* 2.

eſse. Sed etſi, quod pertendunt adverſarii, *nullum aliud jugum impoſuiſſe Apoſtolos*, ſic interpreteris, ut Catholici ſignificent, præter *illos dies quibus ablatus eſt ſponſus*, nullos alios certis & in commune *omnibus obeundis jejuniis* dies *determinaſſe* Apoſtolos; nihilominus conſtabit Bovianos Apoſtolos ab illius memoriæ Catholicis non fuiſse pro Chriſti Apoſtolis habitos, vel agnitos. Boviani enim διαταγεῖς non modo *dies illos* duos, *quibus ablatus eſt ſponſus*, hoc eſt ſextam feriam, & ſabbatum antepaſchale, ſed & alios quatuor proximè præcedentes dies, & quadrageſimam totam, & unam poſt Pentecoſten hebdomaden, & omnium totius anni hebdomadum quartam, ſextamque ferias, *jejuniis* (ut diximus) *determinant*. Ergo fieri non poteſt, ut illos Catholici illorum temporum pro veris Chriſti Apoſtolis agnoverint; quos plane contra, quam Διαταγέας, ajunt vel nulla omnino, vel certe nulla præter bidui antepaſchalis jejunia certa, & in commune omnibus obeunda præcepiſſe, legeque lata decreviſſe. Tertio, ex eodem Tertulliani opere liquet (quod à clariſſimo Rigaltio *a* de Africana Eccleſia obſervatum eſt) nullũ ævo Tertulliani apud Catholicos *integrum ſive ſolidum jejunium commune ac publicum fuiſſe, niſi Dominica die:* quæ vero

a *Ad libr. de Orat. p. 155.*

vero *certis per reliquum annum diebus uſitata erant*, ea *ſpontanea, ſeu privata, & propria cuique pro ſua religione fuiſſe.* At Boviani Apoſtoli omnibus omnino Chriſtianis reliqua totius anni non minus quam paſchatis σαυρωσίμȣ jejunia præcipiunt, lataque lege imponunt. Quarto hoc ipſum Paſchatis σαυρωσίμȣ jejunium, *commune quidem, & quaſi publicum,* (ut alibi loquitur Tertullianus adhuc Catholicus) apud Chriſtianos tum fuiſſe conſtat; cœterum uſu & conſuetudine non præcepto & lege ſtetiſſe: & ex ſupra memoratis Irenæi & Apollonii verbis, & ex omni Catholicorum apud Tertullianum de jejuniis cauſa, apparet. Apud Bovianos vero Διαταγέας id ipſum antepaſchale jejunium, certa lege exſerte præceptum eſt. Denique cum iſti, quod ſupra oſtendimus, omnes omnino Chriſtianos ſex diebus antepaſchalibus jejunare præcipiant, ex Irenæo *b* & Tertulliano *c* liquet iſtorum temporum Catholicos plæroſq; uno tantum, & altero die jejunaſſe; & qui pluribus diebus jejunarunt, eos, ut cum Tertulliano dicam, *differenter, & ex arbitrio, non ex imperio jejunaſſe.* Quinto, *Xerophagias* Boviani, ut nuper diximus, Διαταγεῖς non modo probant, ac commendant, ſed etiam præcipiunt, atque imperant; quas illorum temporum Catholici damna-

a *l. de Orat. c.* 14.

b *apud Euſeb. hiſt. l.* 5. *c.* 26.
c *de jejun. c.* 14.

bant, *velut novum affectati officii nomen, & proximum ethnicæ Superſtitioni;* & iis *caſtimoniis* comparabant, *quæ Apim, Iſidem, & magnam Matrem certorum eduliorum exceptione* apud Paganos *purificabant.* Tantumque ab eo aberant, ut id diſciplinæ genus poſitum ab Apoſtolis fuiſſe putarent, ut etiam Montaniſtas, qui Xerophagias illas præcipiebant, jam olim à Paulo *prænotatos* fuiſſe dicerent, quo loco eos *deteſtatur, qui ſicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abſtinere à Deo conditis* huicq; velut ſuperſtitioſæ abſtinentiæ objicerent *fidem in Chriſto eſſe liberam, ac ne Iudaïcæ quidem legi abſtinentiam quorundam ciborum debere, ſemel ab Apoſtolo in totum macellum admiſſam.* Catholicos ergo iſtorum temporum (id eſt ſecundi ſæculi exeuntis, tertii ineuntis) clarum, manifeſtumque eſt pro Chriſti Apoſtolis neque habuiſſe, neque agnoviſſe illos Bovii Διαταγέας, quorum ſcilicet leges, præceptaque, ac diſciplinas neſcierunt, vel ſi ſciverunt (quod non eſt veriſimile) certe contempſerunt, ac proculcarunt, & à verorum Apoſtolorum doctrina alienas eſſe cenſuerunt.

a *Ibid. c.* 2.

b *Ibid.*

c *Ibid.*

Sed & hoc quoque ex eodem Tertulliani contra Pſychicos opere obſervandum eſt, quod quodam loco, ut crimen repercutiat, quo Montaniſtæ à Catholicis ob certorum

torum dierum religioſam obſervationem *Galaticari* dicebantur *a*, omnes dies moroſè colligit, quorum erat aliqua apud ipſos Catholicos in religione obſervatio, *Paſcha, quinquaginta exinde ad Pentecoſten dies, quartam ſextamque ferias ſtationibus dicatas*, etiam *jejuniis paraſcevem*, & *ſabbatum* ipſum *antepaſchale*. Rogo te cur non & Natalem Domini, & Apoſtolorum, Martyrumque dies hic commemoraverit? Cur non inprimis *quadraginta* quadrageſimalis jejunii *dies* in medium attulerit, multo decentius atq; opportunius memorandos, quam quinquaginta Pentecoſtes dies, non mœrori & jejuniis (de quibus Montano cum Eccleſia lis erat) ſed lætitiæ atque exultationi determinatos? Huic quæſtioni unum eſt quod reſpondeas; tacuiſſe iſta Tertullianum, quod ea nondum apud Chriſtianos in uſum recepta eſſent. Unde porro conſtat neque Διαταγέας, qui iſta omnia præcipiunt *b*, Chriſti eſſe Apoſtolos; qui ſi eſſent, jam tum in uſu futura erant, quæcunque ſunt ab iis præcepta. Sed & ex hoc ipſo Tertulliani libro aliter etiam demonſtratur nondum apud Catholicos tunc temporis in uſu fuiſſe quadrageſimam. Is enim diſertiſſime ſcribit *c* Montaniſtas *duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet ſabbatis, & dominicis*,

a *Ibid.c.* 14.

b L. 5. c. 12. c. 20. *extr.*

c *l. de jejun. c.* 15

minicis, obtuliſſe Deo. Itaque ſi jam tum obtinebat apud Catholicos quadrageſima, ſequetur,eos multo plures Xerophagiarum dies obſervaſse, quam Montaniſtas: (Illi enim ex his rationibus quadraginta;hi vero non plures, quam decem, obſervarunt.) *multo* adeo *majorem* apud Catholicos, quam apud Montaniſtas, fuiſse *ciborum interdictionem*; quod quam ſtultum, abſurdumque,quam ab omni veteri hiſtoria alienum ſit,etiam pueri norunt. Ergo,ut quod certum eſt, conſtet; ut ſcilicet fuerit *major ciborum* apud Montaniſtas, quam apud Catholicos *interdictio*; pluresque Xerophagiæ, omnino neceſse eſt,hos toto anno pauciores, quam decem dies *abſtinuiſſe à certis cibis*, quos *non rejiciebant*, ſed *differebant*; quod illi ſcilicet dies non plures quam decem obſervarent. Dies vero ſi pauciores, quam decem, hujuſmodi abſtinentiæ Catholici determinarunt, nondum ergo illi quadrageſimam obſervarunt; neque adeo Διαταγὰς, qui eam exſerte præcipiunt, pro ſui Chriſti Apoſtolis habuerunt. ὑμῖν φυλακτέα ἡ νηστεία τῆς τεσσαρακοστῆς, μνήμην περιέχουσα τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας τε καὶ νομοθεσίας, *Servandum vobis eſt jejunium quadrageſimæ, quod vitæ Chriſti & legis latæ recordationem continet.* a *l.* 5. *Conſtit. c.* 12.

Sed & ex alia Tertulliani nobili cum Catholicis

Catholicis controverſia idem quoque elucet. Decreverat Romanus, certe Catholicus, Epiſcopus admittendos per pœnitentiam ad reconciliationem mœchos, & fornicatores, pœnitentiaque functis dimittendum ab Eccleſiæ miniſtris crimen. Hoc decretum, ut novum, atque inſolens, ut iniquum & à ſcripturis alienum, impotenter invadit Tertullianus, miriſque modis vexat ac dilacerat, deniqueid toto neque modico volumine oppugnat, quod de Pudicitia inſcripſit. Pertendit nefas eſſe, mœchis ab Eccleſia concedi ullum inter ſuæ reconciliationis candidatos locum; ullam pænitentia quantumvis accurata functis, communionem. Quæcunque ex Scripturis Apoſtolicis ſuo iſti, certe immani, & à veri ſpecie abhorrenti dogmati objiciebantur, ſtudioſe colligit, & quatenus quidem in ipſo eſt, ſolvit. *Διατάξεων* Bovianarum non magis quam ipſius Bovii meminit. Atqui in iis non uno loco diſertiſſime & exploſum, ac damnatum cernitur Tertullianicum illud dogma & conſtitutum illud, quod Septimius oppugnat, Catholicorum decretum. *Κρῖνε* a *οὖν ὦ ἐπίσκοπε, μετὰ ἐξουσίας ὡς ὁ Θεὸς, ἀλλὰ τοὺς μετανοοῦντας προσλαμβάνου. Indica igitur, ô Epiſcope, cum poteſtate, tanquam Deus; Sed pœnitentes recipe.* Mox; *Peccatorem* inquiunt *b cum miſericordia, & com-*

a *l.* 2. *c.* 12. *in.*

b. *ibid. c.* 13. *extr.*

& commiſeratione & ſuſceptione allice; promiſſa ei ſalute, ſi mores mutet, & peccatorum pœniteat. Pœnitentem vero caſtigando recipe, memor Domini, cum dixit, gaudium eſſe in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Sin vero pœnitentem non receperis, objicis eum inſidiatoribus. Et paulo poſt *a*; *Recipe ergo pœnitentem nihil addubitans. Neque obſtent tibi, aut ab hoc officio retardent, qui inhumane ajunt, non oportere talium convictu contaminari, neque communem cum eis habere ſermonem.* Iſtos vero qui peccatores repellebant, multis confutant; Tum ita concludunt *b*; *Oportet igitur vos qui hæc auditis, eos qui deliquerunt hortari & ad pœnitentiam impellere, ac bona ſpe eſſe facere; neque ſuſpicari debetis, quaſi participes eorum, quæ ipſi commiſerant, efficiamini, quod eos diligatis. Recipite ergo libenter ac læti pœnitentes, & judicate cum miſericordia, ac miſeratione peccantes.* Et paulo poſt; *Sic, inquam, ut dixi, recipite, ut & populus moneatur, & is, qui peccavit, non prorſus intereat.* Idem agunt capite ſequenti, & ordinem, quo peccator ab epiſcopo examinari, pœnitentiamque ſuſcipere debeat, liquido præſcribunt, ac denique hæc ſubjiciunt *c*; οὕτως οὖν καὶ ἡμᾶς δέον ἐστὶ ποιεῖν, τοὺς ἐφ᾽ ἁμαρτίας λέγοντας μετανοεῖν, ἀφορίζειν

a *Ibid.* c. 14.

b L. 2. c. 15.

c *Ibid.* c. 16. *extr.*

χρόνον ὡρισμένον κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ ἁμαρτήματος. ἔπειτα μετανοοῦντας προσλαμβάνεσθαι ὡς πατέρες υἱούς. *Sic igitur vos facere oportet; eos ſcilicet, qui ſe ajunt pœnitere, quod peccaverint ejicere vel ſeparare ab Eccleſia definito certoque tempore, ſecundum proportionem peccati; poſtea vero recipere pœnitentes, ut Patres Filios.*

a L. 2. c. 48.

Alibi quoque fuſius de variis pro peccatorum varietate imponendis reo pœnitentiis agunt. Illa quoque in eandem rem ſunt diſertiſſima; ubi converſo ad unumquemque Epiſcopum ſermone; τοὺς δὲ (inquiunt) ἡμαρτηκότας νουθέτει, καὶ στίβων ἐν τῇ νηστείᾳ, ἐν τῇ ἀφέσει ἐλάφρυνον, καὶ προσκλαύσαντα εἰσδέχου, πάσης τῆς Ἐκκλησίας ὑπὲρ αὐτοῦ δεομένης, καὶ χειροθετήσας αὐτὸν, ἔκλοιπον εἶναι ἐν τῷ ποιμνίῳ. *Lapſos vero mone, & jejunio premens, leva remiſſione, & eum qui luxit recipe cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manus ei imponens ſine eum de cætero in Eccleſia eſſe.* Hic habes peccatoris πρόσκλαυσιν, & Eccleſiæ pro eo deprecationem; & ejuſdem poſtremo reconciliationem poſt peractam pœnitentiam per manuum impoſitionem ab Epiſcopo ſuſceptam; quibus, ut ex ipſo Tertulliano videre eſt, ordo ille omnis continetur, quo Catholicus, cujus decretum impugnat, Epiſcopus mœchos & fornicatores data pœnitentia reconciliari præ-

b *Ibid. c.* 48.

ri præceperat. Sed & alibi, quod ſupra diximus, pœnitentium in Eccleſia ordinem ab aliis diſtinguunt, & quibus illi verbis tum ab Epiſcopo benedicantur, tum à Diacono dimittantur, poſtremoq; peracta pœnitentia communionem recipiant, & alia id genus eodem ſpectantia, clare enarrant. Nihil neceſſe eſt cætera deſcribere, quæ plurima paſſim in eandem ſententiam habent Boviani Διαταγεῖς; quę omnia ſi Tertulliani temporibus in Eccleſia extitiſſent, proque Apoſtolicis agnita fuiſſent; primo neque neceſſe erat Catholicum illum epiſcopum, quem Tertullianus petit, pœnitentiæ ordinem tam diſertis, tamque multis ipſorum Apoſtolorum verbis conſtitutum novo decreto figere. Sed neque veriſimile eſt vel Montanum, vel Tertullianũ tam luculenta Apoſtolorum authoritate firmatum inſtitutum oppugnaturos, ac everſuros fuiſſe. Illud quidem nemo negaverit; hæc ſi Chriſtiani pro Apoſtolicis tum habuiſſent, ea Catholicos quidem in hac diſputatione, velut firmiſſima, ac invicta cauſæ ſuæ præſidia haud dubie allaturos fuiſſe; Tertullianum vero, præcipuum in iis vel ſolvendis, vel certe ſecandis, operam poſiturum fuiſſe. Atqui cum in cæteris, quæ & ipſa ſane haud infirma è ſcripturis Catholici afferebant, explican-

a *Vid. & l. 2. c. 41. tot.*

b *Vid. l. 2. oro. p. 843. a. c. d. & c. 21. toto. & c. 22. & c. 23. & c. 24. & c. 38. & c. 39. & c. 41. & c. 43. L. 7. c. 47. extr.*

dis toto hoc libro ſudaverit, de iſtis τῶν Διαταγέων dictis ne unum quidem verbum fecit. Unde apparet, neque à Catholicis quicquam ei fuiſſe ex his libris objectum. Quin & has Διατάξεις uſque adeo neſcivit Tertullianus, ut in quaſdam earum hypotheſes recta incurrat. Verbi gratia Διαταγεῖς paſſim Epiſcopo poteſtatem tribuunt peccata fidelibus lapſis remittendi; ut & ex iis, quæ nuper deſcripſimus, liquet, & ex his diſertis eorum verbis *a*; γνώριζε οὖν, ὦ ἐπίσκοπε, τὸ ἀξίωμά σου· ὅτι ὡς τοῦ δεσμεῖν ἐκληρώσω τὴν ἐξουσίαν, οὕτω καὶ τοῦ λύειν. *Agnoſce igitur Epiſcope dignitatem tuam, quod poteſtas, ut ligandi, ſic etiam ſolvendi tibi obtigit.* Hæc vero Tertullianus liquido refutat *b*, & Epiſcopos, non *poteſtatem delictorum dimittendorum*, ſed *ſolius diſciplinæ officia ſortitos*, κληρώσασθαι contendit. Quis hominem tantum ea, quæ Apoſtolica ſciret, ita præfracte ac inverecunde dejecturum fuiſſe crediderit? Scripturam quidem Paſtoris ſibi in hac ipſa cauſa à Catholicis objectam libere repellit, & inter apocrypha amandat *c*: *Cederem tibi*, inquit, *ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum, etiam veſtrarum, inter apocrypha, & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde*

a L. 2. c. 18.

b L. *de Judic.* c. 21.

c L. *de pud.* c. 10.

& inde patrona ſociorum. Saltem ſimile quid de Conſtitutionibus dixiſſet, ubi earum ſententiam aperte explodit; ſiquidem eas noviſſet, & Apoſtolis tribui ſciviſſet. Nunc cum earum in hac cauſa nullus meminit, ſatis oſtendit, ne extitiſſe quidem tum ullas, nedum ut pro Apoſtolicis vel apud Catholicos, vel apud hæreticos habitæ fuerint.

Aliud præterea ex eodem Tertulliani opere obſervandum eſt, quod multo etiam evidentius conficit, nullas iſtis temporibus Chriſtianis fuiſſe Bovianas Apoſtolorum Conſtitutiones. Nimirum tametſi mœchos & fornicatores ad pœnitentiam, indeque ad communionem admittendos decreverit Catholicus ille à Tertulliano exagitatus Epiſcopus; multoſque alios idem vel tunc vel proxime inſecutis temporibus factitaſſe ex Africanæ Eccleſiæ ſcriptoribus conſtet *a*; illud tamen certum eſt, & fuiſſe alias Catholicorum Eccleſias, quæ & tunc & diu poſtea, mœchos à pœnitentia & communione excluſerint; & ipſos illos qui mœchos tunc admittere cœperunt, eoſdem antea excluſiſſe, & cum mœchos primum admiſerunt, tamen etiam tum homicidas & apoſtatas ab omni reconciliationis Eccleſiaſticæ ſpe ſubmoviſſe. Id ex tota Tertulliani diſputatione

a *Cypr. epiſt. 52. ad Anton.*

Digitized by Google

clarum eſt, in qua hoc veluti abſurdiſſimum objicit, quod pacem cum adulteris promittant, eandem homicidis & in idololatriam lapſis negent. *Hinc eſt* (inquit) *quod neque idololatriæ neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur*, Tum idololatras & homicidas ſic facit loqui; *Igitur aut nec illis* (mœchis) *aut etiam nobis pœnitentiæ ſubſidia convenient. Aut detinemus eam* (mœchiam) *aut ſequimur.* & cætera ſane (tametſi in peſſima cauſa) longe facundiſſima. Cyprianus ita tunc fuiſſe ipſe quoque teſtatur. Et eum ipſum quem Tertullianus defendit, in omnes gravius peccantes rigorem, in Hiſpanienſi Eccleſia, etiam ultra tertium ſæculum manſiſſe, Eliberitani canones, & Pacianus ſatis fatentur. Quæ quia fuſè ac diligenter ab Albaſpineo demonſtrata ſunt, & nunc ab omnibus accuratis Chriſtianarum antiquitatum indagatoribus, conceduntur, ea pluribus probare ſuperſedeo. Jam nemo non vidit cum hac Catholicorum per illa ſæcula adverſus peccatores ſeveritate, ac rigore pugnare ea quæ nuper ex Conſtitutionibus attulimus; in quibus οἱ Διατάξεις quorumvis peccatorum reos ad pœnitentiam cum veniæ & reconciliationis Eccleſiaſticæ ſpe non modo admittunt, ſed etiam invitant ac provocant. Quin & negatores, in quos præci-

a *De pudic. c. 5. extr.*

b *ep. 52. ad Antonianum*

c L. 2. *obſer. c.* 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 17.

præcipuus, maximeque diuturnus fuit Catholicorum rigor, ipſos tamen ad pœnitentiam, indeque ad veniam admittendos docent allato Petri exemplo, quem Chriſtus ἀρνησάμενον αὐτὸν διὰ δέος τρίτον, καὶ διὰ μετανοίας ἐξιλεωσάμενον καὶ προσκλαύσαντα πικρῶς προσήκατο, *cum ipſum tertio ob metum negaſſet, poſtquam per pœnitentiam placavit Deum, & amare flevit, recepit, & Paſtorem ſuarum pecudum fecit*. Alibi etiam diſertius; μείζων εἰδωλολατρείας οὐκ ἔστιν ἁμαρτία. εἰς θεὸν γὰρ ἐστὶ δυσσέβεια, ἀλλ' ὅμως καὶ αὐτὴ διὰ γνησίας μετανοίας συγκεχώρηται. *Nullum majus peccatum eſt, quam idolorum cultus. Eſt enim impietas in Deum; tamē per veram pœnitentiam remiſſum eſt*. Imo ſi quis paulo diligentius expenderit ea quæ noſtri Διατάξεις paſſim contra *crudeles* quoſdam diſputant, qui fidelem ſemel in peccata lapſum, pænitentia, veniæque ſpe excludunt; facile intelliget iſtos, quos tam ſæpe, tamque graviter perſtringunt, non alios fuiſſe, vel eſſe poſſe, quam Montaniſtas. & eundem poſtea rigorem ſecutos Novatianos; quibus omnia, quæ in illos à Conſtitutionibus dicta ſunt, ſanè ad amuſſim conveniunt; Ὁ τὸν ἐπιστρέφοντα μὴ προσδεχόμενος (inquiunt) φονεὺς τοῦ ἀδελφοῦ ἐστι, καὶ αἷμα ἐκχέει, ὡς Κάϊν Ἄβελ τοῦ ἀδελφοῦ. *Qui ſe*

a *l.* 2. *c.* 24.

b L. 2. *c.* 23. *init.*

c *Ibid. & c.* 14. *p.* 834. *a. b. p.* 835. *b. c. & c.* 21. *& c.* 22. *& c.* 38. *extr. totoque c.* 39.

convertentem non recipit, fratris ſui interfector eſt, & ſanguinem ejus fundit, ſicut Cain Abelis fratris ſui. Sic alibi tradunt *a*, iſtos cauſſatos eſſe nolle ſe peccatorum *convictu* ac communione *contaminari.* Omnia Novatianis congruunt; ut vel ex Cypriano apparet, qui eos dixiſſe tradit *c*, *alterius peccato alterum inquinari, & idololatriam delinquentis ad non delinquentem tranſire*; & hunc ille eorum errorem planè ut hoc loco Διαταγεῖς, ex his ſcripturæ dictis confutat *d*, *Juſtitia juſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum erit. Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro Patribus. Unuſquiſque in peccato ſuo morietur.* Cum ergo veteres illi Tertullianicorum temporum Catholici eundem illum diſciplinæ adverſus peccatores vel omnes, vel certè pleroſque rigorem ſervaverint atque exercuerint, quem tantopere, tam ſæpe, tamque diſerte improbant ac refutant noſtri Διαταγεῖς, vel cæcus videt, non fuiſſe illis temporibus pro Apoſtolicis habitas, quæ nunc extant, eorum Conſtitutiones: ſed, quod clare hinc intelligitur, diu poſtea ſcriptas atque editas, cum jam mitigata eſſet priſtina ſeveritas, cumque qui eam mordicus retinendam contendebant Montaniſtæ ac Novatiani, Eccleſia ejecti, pro ſchiſmaticis

a L. 2. c. 21.
b l. 2. c. 14.
c ep. 52. Mor. 54. p. 177. extr.
d Ezech. 18. & 4. reg. 14.

Digitized by Google

ſmaticis apud Chriſtianos haberentur. Hęc vidit Albaſpineus; & inter cætera, quibus Conſtitutionum novitatem argui ac revinci tradit a, *pœnitentiam* quoq;, *hoc eſt adulterorum, ſicariorum, & idololatrarum receptionem* recenſet; quæ *clare dilucideque in his libris explicata & conſtituta eſt*, cum tamen *eam* conſtet tertio ſæculo *ſumma contentione diſputatam* ac exagitatam fuiſſe, in Eccleſiæ adverſus Montaniſtas & Novatianos certaminibus. At *ſi (Conſtitutiones iſtæ* (inquit) *ab Apoſtolis probatæ, ſancitæque fuiſſent, quis exiſtimet ea in dubium fuiſſe revocanda, quæ ab Apoſtolis decreta, ſancitaque fuiſſent? An adeo ignorantes erant illius ætatis Patres, ut, ſi extitiſſent illi Apoſtolorum canones, eos continuo non produxiſſent?* Hæc Albaſpineus; ex quibus liquido id ſequitur, quod ibidem paulò ante ab eo ſcriptum nos jam ſupra alibi memoravimus, imperitum cenſendum, ſiquis eſſet qui D. Clementis Conſtitutiones Apoſtolorum authoritate ſancitas, publicataſque certo affirmaret.

a *Obſer. l. 1. c. 13.*

CAPUT VI.

Arg. IX. Conſtitutiones Origeni fuiſſe ignotas. Arg. X. Neque Cypriano neque toti, quæ tum erat Eccleſiæ, viſas fuiſſe Conſtitutiones evidentiſſime demonſtratur. Arg. XI. Eas & Dionyſio quoque, (Arg. XII.) & Petro, Alexandriæ Epiſcopis ignotas fuiſſe.

PRæter has de jejuniis, & pœnitentia, alia quoque Tertulliano de monogamia cum Catholicis lis fuit, quam & ipſam uno ſeorſim volumine tractavit. Qua in cauſa cum
a c. 1. c. 15. paſſim. ipſe ex Montani diſciplina *ſecundas nuptias illicitas, juxta adulterium judicaret*; Catholici, ut licitas ex Scripturis defenderent; omnino in hac diſputatione locum ſuum, ſiquidem cognita tum fuiſſet, habitura erat illa noſtrorum Διαταγέων definitio, quam ſupra recitavimus; eo magis, quod ambigua & inter utrumque dogma ſuſpenſa ac pœne anceps, habet, quod utriſque licuit in ſuam ſententiam trahere.
b l. 3. c. 2. Nam Tertulliano quidem favet, quod ajunt Διαταγεῖς τὴν μονογαμίαν κατὰ νόμον γινομένην, δικαίαν ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχειν, *unas nuptias ſecundum legem peractas, juſtas eſſe, utpote ſecundum Dei ſententiam*; item quod paulo poſt de Geneſi huc afferunt,

runt, *Deum in creatione unam uxorem dediſſe uni viro*; denique quod ibidem etiam pronunciant *tertias nuptias intemperantiæ eſſe indicium; quartas vero, & ſupra, manifeſtam eſſe ſcortationem.* Catholicis vero illud favere videtur, quod dum *ſecundas nuptias poſt promiſſionem* (continentiæ ſcilicet) παράνομον *rem iniquam ac ſceleratam* eſſe ſtatuunt, diſerte negant injuſtas eſſe διὰ τὴν συνάφειαν *propter conjunctionem ipſam*; injuſtas διὰ τὸ ψεῦδος *propter mendacium* ſolum eſſe concedant; eoque ſecundas nuptias culpæ per ſe ipſas expertes eſſe ſciſcunt; certe ſciſcere videntur. Cum ergo in pauculis iſtorum verbis fuerint, & quæ Tertulliano, & quæ ipſis etiam in altera parte Catholicis in ſpeciem faveant, ne dubites quin utrique hoc Διαταγέων decretum in hac cauſa pro ſe quiſque allaturi fuerint; ſi quidem ii pro Apoſtolis habiti, agnitique eſſent. Nunc cum neutros adeo probabile argumentum uſurpaſſe ex tota Tertulliani diſputatione clarum ſit, ne dubites utriſque juxta ignotos fuiſſe Bovii noſtri Διαταγέας.

Sed neque id omiſerim, quod a Rever. Uſſerio eſt obſervatum, Chriſtianorum ilius ſæculi hanc eſſe de Regis ſupra cæteros omnes mortales ὑπεροχῇ apud Tertullianum confeſſionem; *Colimus Imperatorẽ, ut homi-*

a *Diſſert. ad Ignat. c.* 10. *p.* 69.
b *Ad Scap. c.* 2.

ut hominem a Deo ſecundum; & quicquid eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt. Quorum & iſta ex præſtantiſſimo ejuſdem opere gemina ſunt a: *Imperatores* (inquit) *ſentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, POST QUEM PRIMI, ante omnes & ſuper omnes Deos. Quidni? cum ſuper omnes homines, qui utique vivunt,* & mortuis antiſtant. Ita quidem Tertullianici temporis Chriſtiani. Longe alia Διαταγέων fides; qui locis, quos ſupra diſcripſimus, rotunde profitentur, Epiſcopum Imperatore majorem; πάντων ἀνθρώπων, nominatim τῶν βασιλέων ἄρχειν, & c *rege tanto eſſe majorem, quanto anima corpore præſtantior eſt.* Non itaque ſi iſtos audis, *à Deo ſecundus; poſt Deum primus, Solo Deo minor Imperator*, quod credebant illi Chriſtiani, Epiſcopo ſoli hæc elogia conveniunt; poſt quem, non ſecundus, ſed *tertius* ſi forte à Deo imperator, neque ſolo Deo, ſed & *epiſcopo* minor, neque *omnibus major*; quo ſcilicet præter Deum, & Epiſcopus inſuper major. Ergo vel qui illa ita credebant ac confitebantur ſecundi, tertiique ſæculi Chriſtiani, non fuerunt *Apoſtolici*; vel ſi fuerunt, certe qui hæc ſic docent

a *Apolog. c.* 30.

b *l.* 2. *c.* 15.

c *l.* 2. *c.* 34.

Digitized by Google

docent Διαταγεῖς, ii non ſunt *Apoſtoli.* Illud nemo, niſi inſanus, dixerit; Hoc igitur omnino, quod nos defendimus, tenendum eſt. Atque hæc de Tertulliano ſatis.

Sequitur Origenes, a. D. 185. natus, 254. mortuus, tertii adeo ſæculi pene totus. Is vero notas ſibi fuiſſe Apoſtolorum Conſtitutiones eo negat, quod earum in tam multis, quæ ex innumerabili librorum ejus multitudine ſuperſunt, monumentis, nunquam meminit; tametſi & ipſe Clementis Alexandrini, præceptoris ac deceſſoris ſui, more, omne librorum genus, etiam apocryphos, ut Recognitionem Petri *a*, citare & in diſputationibus adhibere miſcereque ſoleat; Clementis vero, (quem Conſtitutionum parentem Bovius & Turrianus eſſe volunt) eam, quæ vere ipſius, eſt ad Corinthios epiſtolam diſerte alicubi memoret *b*. Sed & in Origenis, non ſecus ac in Tertulliani libris, multa haud dubie cum Conſtitutionibus pugnantia, reperiet, qui illos accurate cum his comparaverit. Nos unum tantum exempli gratia annotabimus (neque enim de omnibus omnia obſervare neceſſe eſt) Origenes in eximio contra Celſum opere, quod circa a. D. 239. ſcriptum videtur, de feſtis diſputans, tum alia multa, tum hoc inprimis obſervandum habet, quod Chriſtianorum dies feſtos non alios recen-

a *l.* 2. *contra Celſum.*

b *l.* 2. *περὶ ἀρχῶν.*

recenſet, quam *Dominicum*, *Paraſceven*, *paſcha*, & *pentecoſten*. Noſtri vero Διδαχαὶ, quod ſupra demonſtravimus, præter hos dies, etiam *Natalem Chriſti*, & *Epiphaniam*, & *Aſcenſionem*, & *Apoſtolorum* natalitios, à Chriſtianis celebrari exſerte precipiunt. Origenis ergo temporibus nondum Chriſtianis Apoſtoli erant *οἱ* Διδάσκαλοι, à quibus ſcilicet inſtituta, præceptaque feſta illi Apoſtolicorum inſtitutorum obſervantiſſimi, nullo loco aut numero habebant.

a *l.* 8. *contr. Celſum p.* 404. *gr. cod.*

De Cypriano Origenis æquali (nam & ipſe quatuor poſt hunc extinctum annis martyrio conſummatus eſt) plura dicenda ſunt; quos is magna pars fuerit duarum nobiliſſimarum quæſtionum, quæ in Chriſtianorum Eccleſiis, maxime Carthagine & Romæ per ea tempora exortæ, plurimumque agitatæ ſunt. Prior fuit de eorum, qui in idololatriam lapſi eſſent, pœnitentia ac reconciliatione. Cum enim multi in perſecutione ſeptima, quæ ſub Decio a. D. 249. cœpit, ſuppliciorum metu lapſi, inde gravi ſceleris pœnitentia ducti reconciliari Deo, atque Eccleſiæ vehementer expeterent, Epiſcopi, inprimis Cyprianus Carthaginis, Cornelius Romę temporum neceſſitati *ſuccumbentes*, de priſtina ſeveritate, quæ omnem hujuſmodi peccatoribus in Eccleſi-

b *a. D.* 258.

Eccleſiam reditum negabat, aliquid remittendum cenſuerunt, lapſoſque ad pœnitentiam, indeque ad pacem admittendos. Sed ut priori de mœchis admittendis indulgentiæ Tertullianus & Montaniſtæ intercesſerant; ita nunc huic in negatores clementiæ Novatianus & alii vehementer obſtiterunt; à quibus Novatianorum ſchiſma, quod diu poſtea manſit, tunc primum exortum eſt. Quin & ex ipſis Catholicis nonnullos nova hæc in lapſos lenitas conturbavit; è quibus epiſcopus Antonianus unus fuiſſe videtur, ad quem extat luculentiſsima Cypriani de toto hoc negotio epiſtola. Jam nullas tum apud Chriſtianos extitiſſe Bovianas Conſtitutiones, tam ex his patet, quam ex iis, quę nuper ad Tertullianum de mœchorum pœnitentia & pace diximus. Cum enim Boviani Διαλαγεῖς diſertiſſime, ut oſtendimus, quoſvis lapſos ad pœnitentiam ab Eccleſię præpoſitis recipi jubeant; ſi eorum Conſtitutiones tunc temporis extitiſſent, & pro Apoſtolicis habitę eſſent; nihil erat, ut quivis videt, cur *ſacrificatis* & *libellaticis* tamdiu pax præfracte negaretur: nihil, cur de eorum cauſſa toties à Cypriano, Cleroque Romano dies ampliaretur, ejuſq; judicium in id tempus differretur, quo reddita pace convenire in unum epiſcopi, matureque de re deliberare poſſent; nihil erat, quod data de-

a *Pamel.* 52. *Morell.* 58. *liis l.* 4. 22.

ta deinceps opportunitate convenirent, decretumque de recipiendis certo ordine lapſis novum conderent; nihil erat, quod Novatianus & ſchiſmatici reclamarent, & invidiam decreti authoribus facerent; nihil erat, quod Antonianus, & alii Catholici id decretum, velut novum & inuſitatum, mirarentur; nihil denique, cur Cyprianus in illis quidem frangendis, & compeſcendis; his vero placandis tantopere laboraret. Res tota, utpote diſertiſſima Apoſtolorum lege conſtituta, plana erat atque expedita. Ac ſiqui vel improbi obloquerentur, vel infirmi dubitarent, omnis eorum vel contentio vel dubitatio uno verbo aut frangi, aut componi poterat; allata ſcilicet in medium τῶν Διαταγέων authoritate. Sed hos quidem Cyprianus, quorum claræ ſunt de hac quæſtione voces, clara ac diſerta contra Montaniſtas & Novatianos & quotquot ſunt ejuſdem inſtituti, velut in crudeles, & inhumanos, & ab omni Dei bonitate ac lenitate alienos carnifices, teſtimonia, hos inquam Cyprianus in omni hac diſputatione, quæ ſane apud eum ſatis prolixa extat, nullos plane memorat (neque alius veterum quiſquam, quod ſciam, horum authoritatem contra Catharos adhibuit) totam vero hanc cauſam ex Scripturis, quę in noſtro canone habentur, fuſe, docteque ac graviter agit *b*. Alte-

a *Vid. ſupra.*

b *Ep. 52. ad Anton.*

Altera controverſia ipſius Cypriani *a* & Afrorum, & aliorum non paucorum fuit contra Stephanum, Romæ epiſcopum, collatum ab hæreticis baptiſmum pro nullo habendum, eoſque adeo, qui ab hæreticis tincti fuerant, rebaptizandos eſſe contendentium. Extat Afrorum Epiſcoporum LXXXVII. Carthagine habita, Cypriano præſide, ea de re Synodus: extant complures Cypriani *b*, una Firmiliani *c*, Cæſareæ in Cappadocia nominatiſſimi antiſtitis, de eodem argumento epiſtolæ. Omnes illam de rebaptizandis hæreticis ſententiam magno molimine, Afri quidem ex Solis Scripturis, Firmilianus *d* etiam ex provinciæ ſuę conſuetudine ac traditione, confirmant; nullam noſtrorum Διαλαγέων in tota diſputatione mentionem faciunt. Atqui hi, quod ſupra luculentiſſime demonſtravimus, ipſi quoq; idem de hæreticorum baptiſmo ſentiunt. Si extabant illis temporibus, proque Apoſtolicis habebantur Bovianę διατάξεις, primum rogo, cur Stephanus, Apoſtolicus ſcilicet Papa, contra diſerta Apoſtolorum præcepta definivit valere hæreticorum baptiſma? Omnino neceſſe eſt, vel Apoſtolicum non fuiſſe Stephanum, (quod nunquam concedent adverſarii) vel Apoſtolos certe (quod nos defendimus) nequaquam eſſe Bovianos Διαλαγίας. Tum & illud quęro;

a *Circa a. D. 255.*

b *Ep. 70. 71. 72. 73. Mor. 76.*

c *75. apud Cypr.*

d *p. 203. b.*

ro; Cur Cyprianus, cur Afri, cur Firmilianus, tam in rem ſuam diſertam, tamque evidentem Apoſtolorum, ſi ſciverunt, διάταξιν omiſerunt? cur alia cauſæ ſuæ præſidia è longinquo petunt? hoc quod & præſens, & ineluctabile erat, neglexerunt; Negat Firmilianus quemquam eſſe tam ſtultum, qui credat Apoſtolos tradidiſſe, quod contendebat Stephanus. Vnde liquet, affirmaſſe Stephanum id quod ipſe docebat (valere ſcilicet hæreticorum baptiſmum) à Chriſti Apoſtolis fuiſſe traditum. Id vero ſine ſumma impudentia affirmare (ſi Apoſtolicæ quidem ſunt Bovii διατάξεις) non potuit. Niſi ergo benedictum illum Papam feceris impudentem, pertendere, Bovi, non potes, Apoſtolos eſſe tuos Διαταγέας. Sed & qui Papam urbis mentiri dicit Firmilianus, & quidem adeo craſſe, ut ei nemo niſi ſtultus crediturus ſit, is profecto debuit demonſtrare, id à ſe merito fieri. Demonſtrare autem nullo negotio potuit, ſi eas, quas nunc habemus Apoſtolicas Bovii διατάξεις, ipſe quoque in promptu habuit, in quibus ſcilicet Apoſtoli, non modo id, quod affirmabat Stephanus, nuſquam tradunt, ſed id inſuper, quod ipſe quidem negabat ac refutabat, Cyprianus vero & Afri, ejus in hac cauſa adverſarii, affirmabant, clare, liquidoque docent, ajunt, inſtituunt,

ſtituunt, ac præcipiunt. Atqui neque hoc loco Firmilianus, neque alibi uſquam, quod dixi, vel ipſe, vel Cyprianus, vel Afri de noſtris Διαταγεῦσι ullum verbum faciunt. Quin etiam concedit Cyprianus, traditionem de non rebaptizandis hæreticis invaluiſſe; eamque non aliter quam ex Dominicis Scripturis refellere inſtituit; plane imprudenter, ne dicam ſtulte, ſi erat ad manum contraria Apoſtolorum traditio, diſertis verbis vel ab Apoſtolis ipſis, vel certe à Clemente deſcripta; quem Stephano, uni ex ejus poſteris atque ſucceſſoribus, in hac diſputatione opponi dignum, neceſſariumque erat, ſi quid tum extabat Clementis nomine vulgatum, quod Stephani ſententiæ opponi poſſet. Ergo & Stephani ipſius, & Cypriani, cæterorumque in hac cauſa factum invicto argumento eſt, nullas iſtis temporibus extitiſſe Bovianas Apoſtolorum διατάξεις. Id vidit, & confeſſus eſt Albaſpineus *a*, qui inter cætera ex quibus hujus voluminis novitas deprehenditur, illam tertio hoc ſæculo agitatam de hæreticorum baptiſmo diſputationem nominatim recenſet.

a *Obſer. l. 1. obſer. 13.*

Jam & ex Dionyſio Alexandrino Epiſcopo, qui Cypriano annos aliquot ſuperfuit, earundem διατάξεων novitas non minus aperte colligitur. Is enim teſtatur,

 ſuo

ſuo quidem tempore jam in uſu fuiſſe, ut ſex diebus ante Paſcha jejunaretur; cæterum varium ac multiplex fuiſſe id jejunium, libereque ac diverſe à diverſis obſervatum; *alios* a *ſex illos dies jejunaſſe totos; alios duos; alios tres; alios quatuor; alios ne unum quidem.* Atqui cum tota hujus antepaſchalis jejunii ratio accuratiſſime fuerit in Conſtitutionibus, ut ſupra oſtendimus, definita; profecto ſi eæ tum extitiſſent, proque Apoſtolicis habitæ fuiſſent, nullum hæc diverſitas locum in Eccleſia habitura erat. Certe eos, qui aliter jejunabant, quam Διαταγεῖς præcipiunt, obiter Dionyſius reprehendiſſet, & ad Apoſtolicam normam revocaſſet; quod nequaquam fecit. Ad hæc conſtat ex eadem Dionyſii epiſtola, de hora, qua ſolvendum eſt illud antepaſchale jejunium, tunc dubitatum eſſe. Sic enim Baſilidem, à quo erat ea de re conſultus, affatur *b*: Τινὰς μὲν γὰρ τῶν ἀδελφῶν λέγειν φὴς, ὅτι χρὴ τοῦτο ποιεῖν πρὸς τὴν ἀλεκτοροφωνίαν. τινὰς δὲ ὅτι ἀφ' ἑσπέρας χρή· οἱ μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ ἀδελφοὶ, ὥς φασι, περιμένουσι τὸν ἀλέκτορα. περὶ δὲ τῶν ἐνθαῦτα ἔλεγες, ὅτι τάχιον. *Ais enim aliquos fratres dicere, quod oportet hoc in galli cantu facere; alios autem, quod id ſit faciendum veſpere. Qui enim Romæ ſunt fratres, ut ajunt, gallum expectant. De iis autem, qui hic ſunt, dixiſti, quod citius;* nimirum

a *ep. can. ad Baſil. apud Balſam.*

b *Ibid. in it. ep.*

mirum jejunium ſolvunt. Hæc ille. Atqui ſi tum extabant Bovianorum Apoſtolorum Conſtitutiones, nulla inprimis cauſa fuit, cur hac de re quiſquam Chriſtianus dubitaret. Illi enim accuratiſſime, diſertiſſimeque non uno in loco eam definiunt; ἀπονηστεῦσαι δὲ (inquiunt *a*) προσέταξεν (ὁ Χριστὸς) τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ ἀλέκτορος φωνήσαντος. a L. 5. *Conſt. c.* 14. *in.* *Iejunium vero ſolvere præcepit* (Chriſtus) *ſeptima die poſt galli cantum.* Iterum alibi *b*: τὴν μέντοι παρασκευὴν, καὶ τὸ σάββατον ὁλόκληρον νηστεύσατε, οἷς δύναμις πρόσεστι τοιαύτη, μηδενὸς γευόμενοι μέχρις ἀλεκτοροφωνίας νυκτός. b L. 5. *c.* 18. *Sexta feria & ſabbato ex toto manete jejuni, quibuſcunque adſunt vires, nihil prorſus guſtantes uſque ad nocturnum galli cantum.* Denique paulo poſt clariſſime *c*; ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς ταῖς πρὸ τῆς παρασκευῆς ἐννάτην ὥραν ἢ ἑσπέραν ἕκαστος ἐσθιέτω ἢ ὅπως ἄν τις δύναιτο· τῷ δὲ σαββάτῳ μέχρις ἀλεκτοροφωνίας παρατείνοντες, ἀπονηστίζετε ἐπιφωσκούσης μιᾶς σαββάτων, ἥτις ἐστὶ Κυριακὴ, ἀπὸ ἑσπέρας ἕως ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες. c *Ibid. c.* 19. *init.* *Reliquis vero diebus ante ſextam feriam, edite hora nona, verſpere, aut pro ratione virium, ut quis poteſt; Sabbato autem uſque ad galli cantum jejunium producite, & illuceſcente una ſabbatorum, qui eſt dies Dominicus pervigilantes à veſpera uſque ad galli cantum.* Hæc illi; quæ ſi Dionyſii tempori-

 bus

bus extabant, ſi pro veris Apoſtolorum vocibus habebantur; quis non videt, Chriſtianorum, qui tum vivebant, nemini fas fuiſſe dubitare, an ante galli cantum ſolvendum eſſet illud ſabbati antepaſchalis jejunium, cum eo ipſo temporis articulo ſolvendum exſerte & Apoſtoli iſti præcipiant, & ab ipſo Chriſto Domino præceptum fuiſſe affirment? Ac ut Chriſtianorum vulgo rem ab Apoſtolis definitam in dubium vocare licuerit, Baſilidi quidem certe non licuit. Fuit enim is Epiſcopus, & quidem, ut eſt apud Euſebium a, Pentapolitanus. Ergo ſi noſtræ tum Διατάξεις extitiſſent, neque Baſilidi quiſquam negotium de ſolvendi hujus jejunii hora faceſſiviſſet, neque ipſe Baſilides Dionyſium conſuluiſſet de re, quam ab Apoſtolis definitam ignorare non potuiſſet. Dubitarunt autem multi, & ante galli cantum jejunium ſolvendum dixerunt Pentapolitani, & Baſilides ipſe rem dignam putavit, de qua Dionyſium conſuleret. Ergo neceſſe eſt, nullos tum fuiſſe Chriſtianorum vel vulgo, vel Clero, cognitos Bovii Apoſtolos. Sed cæteros quidem, etiam Baſilidem, tametſi Epiſcopum, & quidem, ut eum ſalutat Dionyſius, λογιώτατον *ſapientiſſimum*, mittamus; Dionyſium verò, virum (quod ex Euſebianæ hiſtoriæ libris ſexto ſeptimoque abunde conſtat)

a *Hiſt. l. 7. c. 26. ed gr.*

Digitized by Google

ta philoſophantur; οὔτε νόμιμος (inquiunt *a*) μίξις, οὔτε λέχος, οὔτε αἵματος φορὰ, οὐκ ὀνείρωξις μιᾶναι δύναται ἀνθρώπου φύσιν, ἢ τὸ ἅγιον πνεῦμα χωρίσαι, ἢ μόνη ἀσέβεια καὶ παράνομος πρᾶξις. *Neque enim legitimus concubitus, neque partus, neque ſanguinis fluxio, neque genitalis ſeminis per ſomnium excretio, naturam hominis polluere poſſunt, aut Spiritum Sanctum ſeparare, præterquam ſola impietas, & actio à lege aliena*; moxque iterum idem docent ſola in Deum impietate, iniquitateque, & adverſus proximum injuſtitiâ, furto, adulterio, ſcortatione, animam inquinari. Itaque mulieri ita præcipiunt: Διὸ τῶν ματαίων ἀπόχου λόγων, ὦ γύναι, καὶ ἔσω μεμνημένη πάντοτε θεοῦ τοῦ σε δημιουργήσαντος, καὶ προσεύχου τούτῳ· ἔστι γάρ σου καὶ τῶν ὅλων κύριος, καὶ μελέτα τοὺς αὐτοῦ νόμους, μηδὲν παρατηρουμένη· μὴ κάθαρσιν φυσικὴν, μὴ μίξιν νόμιμον, μὴ τοκετὸν, ἢ ἀποβολήν. *Quocirca abſtine, mulier, a vanis ſermonibus, Deique conditoris tui jugiter memor eſto: & eum precare, qui & tuus & univerſi Dominus eſt. Meditare ejus legem; nihil iſtorum obſervans, non purgationem naturalem, non concubitum legitimum, non partum, aut abortum.* Hæc ſi Apoſtolica ſciviſſet Dionyſius, non videtur mulierem naturali illo profluvio laborantem vel Ec-

a L.6.c. 26.

cleſia, quæ domus eſt orationis, vel Chriſti menſa, quæ Euchariſtiæ ſacramentum eſt, repulſurus, ac excluſurus.

Atque hæc de Dionyſio Alexandrino ſatis. Petrus, ejuſdem Eccleſiæ præſul, qui Theonæ, circa a. D. 300. ſucceſſit, neque ipſe, ut videtur, Bovianas Conſtitutiones habuit cognitas. Quod enim ab his, ut ſupra demonſtravimus, ſcripta lege præceptum eſt, quartę ſextæque ferię jejunium, id ille uni non ſcriptæ traditioni acceptum refert; οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν (inquit *a*) παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως παρετέτακται. *Non reprehendet nos quiſpiam quartam & ſextam feriam obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundum traditionem præceptum eſt.* Dixiſſet haud dubie, non quod ait *ex traditione juſſos eſſe* nos duabus *illis feriis jejunare*, ſed *Apoſtolos domini id diſerte præcepiſſe*; ſi cognitos habuiſſet, & Apoſtolos cenſuiſſet Bovianos Διαταγέας. Itidemque, quam ſtatim ſubjicit duplicis hujus jejunii rationem ex hoc eorundem codice, in quo ea pæne totidem verbis expreſſa extat, repetiviſſet, ſi hunc eorum codicem legiſſet. Ait enim nobis jejunare ex traditione præceptum eſſe, τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου ὑπὸ ἰουδαίων. τὴν δὲ παρασκευὴν

a Orat. can. canone. 15.

ρασκευὴν

conſtat) illius memoriæ præſtantiſſimum, atque in omnibus Eccleſiaſticis rebus longe eruditiſſimum, quis bonos illos Bovii Apoſtolos ignoraturum fuiſſe putet, ſi ii jam tum extabant? Ignoraſſe autem ex iis, quæ Baſilidi reſpondet, clarum eſt. Nam ſi eos ſciviſſet, quid reſponſurus fuerit vel puer divinaverit: nimirum & eorum, quorum ſententiam refert Baſilides, & ipſius Baſilidis, inſcitiam caſtigaſſet, qui de re Chriſti & Apoſtolorum authoritate definita ambigerent, veluti quærentes an ſol meridie luceret; Tum ipſas illas Apoſtolorum, quas nuper repræſentavimus diataxes, recitaviſſet. Ille vero iſtorum nihil, imo omnia plane aliter. Primo enim præfatur, horam ſolvendi jejunii accurate definire, *a* id καὶ δύσκολον a *Vb. ſu-*
καὶ σφαλέστερον ἐστὶ, *difficile eſſe, & anceps atque* *pr. in.*
lubricum. Tum multis exſequitur, obſcurum eſſe, vixque ac ne vix quidem ex Euangelio explorari poſſe, quo præcisè temporis puncto Chriſtus de mortuis reſurrexerit; denique concludit, reprehendendos ſibi videri, qui jejunium nimium mature ante mediam noctem ſolvunt; laudandos qui diutiſſime perſeverant ad quartam vigiliam; minime *b* pulſandos aut turbandos, b *Ibid. p.*
qui medio inter hæc duo extrema tempore *881. b. c.*
vel pro animi ſui ſententia, vel pro virium modo, jejunare deſinunt. Hæc ille ad

cleſia, quæ domus eſt orationis, vel Chriſti menſa, quæ Euchariſtiæ ſacramentum eſt, repulſurus, ac excluſurus.

Atque hæc de Dionyſio Alexandrino ſatis. Petrus, ejuſdem Eccleſiæ præſul, qui Theonæ, circa a. D. 300. ſucceſſit, neque ipſe, ut videtur, Bovianas Conſtitutiones habuit cognitas. Quod enim ab his, ut ſupra demonſtravimus, ſcripta lege præceptum eſt, quartę ſextæque ferię jejunium, id ille uni non ſcriptæ traditioni acceptum refert; οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν (inquit *a*) παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευήν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως παρατέτακται. *Non reprehendet nos quiſpiam quartam & ſextam feriam obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundum traditionem præceptum eſt.* Dixiſſet haud dubie, non quod ait *ex traditione juſſos eſſe* nos duabus *illis feriis jejunare*, ſed *Apoſtolos domini id diſerte præcepiſſe*; ſi cognitos habuiſſet, & Apoſtolos cenſuiſſet Bovianos Διαταγέας. Itidemque, quam ſtatim ſubjicit duplicis hujus jejunii rationem ex hoc eorundem codice, in quo ea pæne totidem verbis expreſſa extat, repetiviſſet, ſi hunc eorum codicem legiſſet. Ait enim nobis jejunare ex traditione præceptum eſſe, τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου ὑπὸ ἰουδαίων. τὴν δὲ παρασκευὴν

a *Orat. can. canone.* 15.

conſtat) illius memoriæ præſtantiſſimum, atque in omnibus Eccleſiaſticis rebus longe eruditiſſimum, quis bonos illos Bovii Apoſtolos ignoraturum fuiſſe putet, ſi ii jam tum extabant? Ignoraſſe autem ex iis, quæ Baſilidi reſpondet, clarum eſt. Nam ſi eos ſciviſſet, quid reſponſurus fuerit vel puer divinaverit: nimirum & eorum, quorum ſententiam refert Baſilides, & ipſius Baſilidis, inſcitiam caſtigaſſet, qui de re Chriſti & Apoſtolorum authoritate definita ambigerent, veluti quærentes an ſol meridie luceret; Tum ipſas illas Apoſtolorum, quas nuper repræſentavimus diataxes, recitaviſſet. Ille vero iſtorum nihil, imo omnia plane aliter. Primo enim præfatur, horam ſolvendi jejunii accurate definire, *a* id καὶ δύσκολον καὶ σφαλέστερον εἶναι, *difficile eſſe, & anceps atque lubricum*. Tum multis exſequitur, obſcurum eſſe, vixque ac ne vix quidem ex Euangelio explorari poſſe, quo præciſè temporis puncto Chriſtus de mortuis reſurrexerit; denique concludit, reprehendendos ſibi videri, qui jejunium nimium mature ante mediam noctem ſolvunt; laudandos qui diutiſſime perſeverant ad quartam vigiliam; minime *b* pulſandos aut turbandos, qui medio inter hæc duo extrema tempore vel pro animi ſui ſententia, vel pro virium modo, jejunare deſinunt. Hæc ille ad

a *Vb. ſupr. in.*

b *Ibid. p. 881. b. c.*

cleſia, quæ domus eſt orationis, vel Chriſti menſa, quæ Euchariſtiæ ſacramentum eſt, repulſurus, ac excluſurus.

Atque hæc de Dionyſio Alexandrino ſatis. Petrus, ejuſdem Eccleſiæ præſul, qui Theonæ, circa a. D. 300. ſucceſſit, neque ipſe, ut videtur, Bovianas Conſtitutiones habuit cognitas. Quod enim ab his, ut ſupra demonſtravimus, ſcripta lege præceptum eſt, quartę ſextæque ferię jejunium, id ille uni non ſcriptæ traditioni acceptum refert; οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν (inquit a) παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως παρατέτακται. *Non reprehendet nos quiſpiam quartam & ſextam feriam obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundum traditionem præceptum eſt.* Dixiſſet haud dubie, non quod ait *ex traditione juſſos eſſe* nos duabus *illis feriis jejunare*, ſed *Apoſtolos domini id diſerte præcepiſſe*; ſi cognitos habuiſſet, & Apoſtolos cenſuiſſet Bovianos Διαταγέας. Itidemque, quam ſtatim ſubjicit duplicis hujus jejunii rationem ex hoc eorundem codice, in quo ea pæne totidem verbis expreſſa extat, repetiviſſet, ſi hunc eorum codicem legiſſet. Ait enim nobis jejunare ex traditione præceptum eſſe, τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου ὑπὸ ἰουδαίων. τὴν δὲ παρασκευὴν

a *Orat. can. canone.* 15.

conſtat) illius memoriæ præſtantiſſimum, atque in omnibus Eccleſiaſticis rebus longe eruditiſſimum, quis bonos illos Bovii Apoſtolos ignoraturum fuiſſe putet, ſi ii jam tum extabant? Ignoraſſe autem ex iis, quæ Baſilidi reſpondet, clarum eſt. Nam ſi eos ſciviſſet, quid reſponſurus fuerit vel puer divinaverit: nimirum & eorum, quorum ſententiam refert Baſilides, & ipſius Baſilidis, inſcitiam caſtigaſſet, qui de re Chriſti & Apoſtolorum authoritate definita ambigerent, veluti quærentes an ſol meridie luceret; Tum ipſas illas Apoſtolorum, quas nuper repræſentavimus diataxes, recitaviſſet. Ille vero iſtorum nihil, imo omnia plane aliter. Primo enim præfatur, horam ſolvendi jejunii accurate definire, *a* id καὶ δύσκολον a *Vb. ſu-*
καὶ σφαλέστερον εἶναι, *difficile eſſe, & anceps atque* *pr. in.*
lubricum. Tum multis exſequitur, obſcurum eſſe, vixque ac ne vix quidem ex Euangelio explorari poſſe, quo præcisè temporis puncto Chriſtus de mortuis reſurrexerit; denique concludit, reprehendendos ſibi videri, qui jejunium nimium mature ante mediam noctem ſolvunt; laudandos qui diutiſſime perſeverant ad quartam vigiliam; minime *b* pulſandos aut turbandos, b *Ibid. p.*
qui medio inter hæc duo extrema tempore 881. *b. c.*
vel pro animi ſui ſententia, vel pro virium modo, jejunare deſinunt. Hæc ille ad

ρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, *Feria quidem quarta propter initum a Iudæis conſilium de proditione Domini; Sexta vero feria, eo quod pro nobis paſſus ſit.* Hæc utraque ratio diſerte neque ſemel, a noſtris Conſtitutionibus allata eſt. τετράδα δὲ (inquiunt *a*) καὶ παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν. τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. *Quarta vero feria, & ſexta juſſit* (Chriſtus) *nos jejunare; illa quidem propter traditionem, hac vero propter paſſionē.* Iterum alibi; *Iejunate* (inquiunt *b*) *quarta ſextaque feria;* ὅτι τῇ μὲν τετράδι ἡ κρίσις ἐξῆλθεν ἡ κατὰ τοῦ Κυρίου, Ἰούδα χρήμασιν ἐπαγγειλαμένου τὴν προδοσίαν. τὴν δὲ παρασκευήν, ὅτι ἔπαθεν ὁ Κύριος ἐν αὐτῇ πάθος τὸ διὰ σταυροῦ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου, *Quoniam quarta quidem judicium in Dominum pronunciatum eſt, poſtquam Iudas proditionem pecunia promiſerat; ſexta vero feria; quoniam eadem Dominus paſſus eſt mortem in cruce ſub Pontio Pilato.* Cur ergo hic rationem eam adhibens Petrus, vel Apoſtolos, vel certe Clementem Conſtitutionum (ut volunt) authorem, non laudat? non nominat? quos, ut quivis videt, laudari, ac nominari, ipſius, quam Petrus agit, cauſæ intererat, quo ſcilicet ei, quam a reprehenſione vindicat, *obſervationi* ſuæ conſtaret authoritas? Nihil aliud vere appoſiteque

a *l.* 5. *Conſt. c.* 14.

b L. 7. *c.* 24.

poſiteque reſponderis, niſi hoc unum; Petrum ab Apoſtolis ſcripto traditam vel obſervationem, vel obſervationis rationem neſciviſſe; non adeo hunc, quo utraque continetur, codicem ſciviſſe. Iam cum iſtorum, quæ apud Petrum legimus, verborum gemina ſint, quæ apud Διαλαγίας extant; cumque hinc appareat, illum ab his ea minime mutuatum eſſe; omnino conſequens eſt, ut hos ab illo eadem, non quidem mutuatos, ſed furatos eſſe dicamus; proindeq; poſt Petri Alexandrini tempora, id eſt poſt tertii à Chriſto nato ſæculi exitum, vixiſſe.

Caput VII.

Arg. XIII. Conſtitutiones ignotas fuiſſe Patribus Eliberitanis, & Nicænis. Ex his concluditur, nondum eas extitiſſe quarto ineunte ſæculo; quod ipſum inſuper tribus novis argumentis demonſtratur.

Sed, neque Bovii Apoſtolos agnoſcebant Eliberitani Patres, quarti ſæculi anno quinto. Hi enim & b multos peccatores, ut eos, *qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idololatraturi acceſſerint & fecerint*, aliosque item non pacuos, in perpetuum à veniæ & communionis ſpe excludunt, & *omni ſabbato jejunandum eſſe* decernunt; quod

a Can. 1. 2. 6. 8. 12.

b Can. 26.

quod utrumque eſt, ut ex ſupra dictis liquet, à Διαταγέων ſcitis alienum.

Jam & Nicænos quoque Patres, anno ejuſdem ſæculi 25. Apoſtolicas Bovii Διατάξεις neſciviſſe, perſpicuum eſt. Conſtat enim eos ſive Apoſtolorum ſcripturis, ſive etiam Eccleſiaſtica traditione ea confirmare, quæ vel illarum, vel hujus authoritate nituntur; ut ex canonibus ſecundo, ſexto, ſeptimo apparet; in quibus Apoſtolicam ſcripturam, Eccleſiæ Romanæ morem, & antiquam traditionem laudant. Vnde apparet, eos Διατάξεων quoque authoritatem allaturos fuiſſe, ſi eas Apoſtolicas ſciviſſent, cum aliquid decernunt, quod iis congruere deprehenditur. Atqui nuſquam id fecerunt, neque ubi Epiſcopum à tribus minimum Epiſcopis ordinari *a*, neque ubi laïcos, qui ſub Licinio negaverant, ad pœnitentiam & pacem admitti, neque ubi homines a Pauliniſtis hæreticis venientes rebaptizari præcipiunt, quæ, ut liquet, omnia diſertis Διαταγέων regulis, ſive legibus conveniunt; quas quia non ſemel ſupra exhibuimus, hic repetere non placet. Quid, quod Διαταγέας, non modo quo loco memorandi erant, tacent, ſed etiam eorum decreta evertunt? Dum enim Pauliniſtarum nominatim baptiſmum infirmant, eo cæterorum hæreticorum admittunt, quorum diſpar fuit

a *Can.* 4.
Can. 11.
Can. 19.

fuit ab illis ratio. At Boviani Apoſtoli nullius hæretici baptiſmum valere cenſent. Ergo quos ita aperte pulſant, pro veris Apoſtolis nequaquam habuerunt Nicæni illi Patres.

Ad ſuperiora, tria inſuper accedant argumenta, quibus liquido probatur, totis illis tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis ignotas fuiſſe Apoſtolicas Bovii Conſtitutiones. Primum ducitur a decimis & primitiis, quas Διατάξεις a Eccleſiæ miniſtris
a L. 2. Conſt. c. 27. a. c. 34. c. 35. accuratiſſime ab omnibus & ſingulis Chriſtianis ſolvi præcipiunt; quod toto illo primitivæ Eccleſiæ tempore inauditum, ne
b. L. 7. c. 30. nunc quidem à Græcis fit, vel ab Æthiopibus ipſis; quibus quantumvis in canonem relati Διαταγεῖς, nondum hoc in Clericos officium perſuadere potuerunt. Soli Latini decimarum jus apud ſuos conſtituerunt; quod maxime ſub domus Carolinæ principibus obtinuiſſe videtur. Valafridus qui-
b De reb. Eccleſ. c. 27. T. 10. Bibl. PP. p. 693. dem Strabo *b*, ſcriptor noni ſæculi, quo loco de decimis agit, eaſque deberi probare ſtudet, nullum alium in hanc rem vel laudat, vel nominat veteris Eccleſię authorem, pręter Auguſtinum, quem anno quinti ſæculi 30. denatum conſtat; & a cujus authoritate illud decimarum jus in occidente maxime invaluiſſe videtur. Sed neque in tam multis Synodorum ſub Carolina domo apud

apud nos habitarum hac de re canonibus, atque ſanctionibus uſpiam cernitur adhibita Conſtitutionum Apoſtolicarum authoritas. Ex quibus clarum eſt, neque veteribus trium priorum ſæculorum Chriſtianis cognitos fuiſſe Apoſtolos Bovii, neque epiſcopis Carolinorum temporum, id eſt noni ſæculi. Illi enim decimas ſuis clericis ſolviſſent, ſi Apoſtolos iſtos notos habuisſent; quod nequaquam eos feciſſe ex omnium vetuſtiſſimorum ſcriptorum ſilentio deprehenditur. Hi vero eorum de ſolvendis decimis decreta, diſertaſque leges in medium attulisſent, quo loco id negotium maximo cum ſtudio conſtituunt; ſi quas Apoſtolorum hujuſmodi leges ſcivisſent; quod (ut dixi) nuſquam omnino fecisſe cernuntur.

Alterum argumentum inde ſumitur, quod Διαταγεῖς *a* Epiſcopo tribunal ac forum quoddam, judiciaque certa die, feria ſcilicet ſecunda, exercenda attribuunt; cum poteſtate de ſingulorum litibus, ac controverſiis cognoſcendi, ac decernendi. Denique rem totam ſic deſcribunt, ut planum ſit, nihil aliud eos intellexiſſe, quam quod multis poſt Apoſtolos temporibus Principum Chriſtianorum benignitate atque authorite Epiſcopis indultum fuit; quod cum neque veriſimile ſit ſub Paganis Principibus, Chri-

a L. 2. c. 47. *quod oportet ſecundæ feria cauſſas judicare.*

Chriſtiano nomini infenſis, locum habuiſſe; & novum eſſe ipſæ Cæſarum, quibus id conceditur, leges ac ſanctiones ſatis per ſe prodant; abſurdiſſimum profecto fuerit, qui hoc ipſum tam diſerte tamque perſpicue commemorant, ac conſtituunt, eos vel pro Apoſtolicis, vel pro Apoſtolicorum temporum hominibus habere.

Tertium poſtremo argumentum inde habetur, quod locupletiſſimus teſtis Chryſoſtomus *a* affirmat, Antiochenos ante Nicænæ ſynodi tempora Paſchale jejunium aliter obſervaſſe; tandem 300. & amplius Patrum (id eſt Nicæanorum) authoritati ceſſiſſe. Ergo tota illa orientis diœceſis, cum Antiochia metropoli, veterem Aſianorum morem in Paſchate celebrando ſervavit ad Nicænam ſynodum. Atqui morem diſertiſſime Διαταγῶν damnatum, quis tantam tamque excellentem Eccleſiam præoptaturam fuiſſe crediderit, ſi iſtos Διαταγέας vel ipſa notos pro Apoſtolicis habuiſſet, vel ab aliis Chriſtianorum Eccleſiis tali loco ac numero haberi ſciviſſet?

a *Hom. in eos qui Paſch. jejunant. T. 5. op. Chr. ſerm. 52. p. 611. d. 612. a. d.*

Atque ita ex his quæ hactenus diſputavimus patet, totis trecentis & viginti quinque à Chriſto in terris nato annis nullas Chriſtianis hominibus auditas cognitaſve fuiſſe Bovianas Apoſtolorum Διατάξεις, neque ex omni illa memoria quemquam vel

vel unum proferunt, vel proferre poſſunt Bovius Turrianusve, qui earum vero meminerit, aut ſibi eas vel per ſomnium agnitas fuiſſe ſignificaverit. Id verò ad convellendum, penituſque evertendum illum, quem ipſæ ſibi tribuunt, & hi aliique concedunt, *Apoſtolatum* ſatis ſuperque eſt. Nam ſi primis tribus Chriſtianiſmi ſæculis *Apoſtolicæ* non fuerunt Bovianæ iſtæ Διαταγαὶ, nemo non videt, nulla ſequentium temporum vel authoritate vel induſtria fieri eas *Apoſtolicas* poſſe. Ut enim quod factum eſt, infectum fieri nequit; ita quod factum non eſt, id ut factum fuerit, nulla vi fieri poteſt. Atque hic inprimis valere illud debet quod vulgo dicitur, *quæ ab initio non valuerunt, ea tractu temporis convaleſcere non poſſe. Apoſtolicas* autem non fuiſſe tribus illis primis ſæculis, quas Bovius nobis nunc exhibet, Διαταγὰς, clariſſime, validiſſimeque hactenus firmavimus. Non eſt ergo deinceps metuendum, ne illæ aliquando *Apoſtolicæ* fiant.

Cap. VIII.

Arg. XVII. Quod & Ariani & Catholici quarti ſæculi Conſtitutiones neſciverunt. Arg. XVIII. Laodiceni Patres eas ignorarunt. Arg. XIX. Et Baſilius Cæſar. Arcudii ſtropha confutatur.

Videamus tamen, quæ de iis fuerit ſequentium temporum fides; ſed breviter; non diſtincte neque enucleate, quo ordine ſuperiora ſæcula emenſi ſumus, ſed κατὰ πλάτος, & univerſim, diverſos ætatum gradus percurrendo.

Principio notas non fuiſſe proximis poſt ſynodum Nicænam temporibus Conſtitutiones Bovianas ex eo ſatis conſtare poteſt, quod cum plurima habeant, ut ſupra demonſtravimus, Arianæ & Macedonianæ in Chriſtum ac ſpiritum Sanctum blaſphemiæ non tantum in ſpeciem faventia, ſed aperte congruentia, nihil tamen ex iis Arianos, aut Macedonianos ad erroris ſui patrocinium adhibuiſſe, vel laudaſſe diſcimus ex pluri-mis, quæ toto quarto ſæculo, deincepſque conſcriptæ adhuc extant: adverſus illos hæreticos diſputationibus.

Ex Athanaſio *a* quidem conſtat, Arianos Dionyſii Alexandrini multa ſecurius dicta in

a Ep. de Dion. Alex. fide. T. 1. p. 549.

in rem ſuam torſiſſe; in quibus explicandis, ſolvendiſque multus eſt Athanaſius. Quanto magis illi Apoſtolorum Conſtitutiones, ſi quæ tum, quales nunc hodie habemus, extitiſſent, in hac cauſa adhibituri erant? Nullas autem adhibuiſſe vel Athanaſii ſilentium docet. Qui enim de unius Dionyſii dictis epiſtolam, eamque prolixam, & ſane accuratam ac eruditam ſcripſit Athanaſius; quanto diligentius ac ſtudioſius ſiqua ex Apoſtolis jactaſſent Ariani, ea collecturus, expenſuruſque, ac pro virili ſua explicaturus erat? Non fecit; neque in tam multis ejus contra Arianos, copioſis ac uberibus diſputationibus in quibus omnes eorum machinas, omnia ex divinis humaniſque vel ſcripturis, vel rebus argumenta proponit, ac ſolvit, ulla uſpiam cernitur Apoſtolicarum Conſtitutionum facta vel leviſſima mentio. Ergo nullas tum quidem neque Ariani, neq; Athanaſius norant; quæ ſcilicet ſi extitiſſent ullæ, earum authoritatem & illi objecturi, & hic objectam memoraturus erat. Atque hinc evidenter confirmatur, quod nos ſupra diximus, aliiſque etiam argumentis probavimus, non Bovianarum Διατάξεων codicem, ſed alium aliquem, & ipſum quoque apocryphum librum fuiſſe illam Euſebio, Athanaſioque memoratam *Apoſtolorum doctrinam.*

X 2 Iam

Jam & aliorum Patrum eadem ratio eſt, qui cum Arianis confligentes cætera eorum ex Scripturis, vel ex priorum Eccleſiæ hominum libris ſophiſmata memorant: De uſurpata ab iis Διαταγέων aliqua authoritate nihil dicunt. Id in Baſilio, qui anno quarti ſæculi 78. denatus eſt, nominatim

a T. 3. ep. 41. & 64. obſervari poteſt. Is enim *a* & Dionyſiii illius, quem Athanaſius quoque, ut dicebamus, ab Arianis in hac cauſa adhibitum fuiſſe teſtem refert, & Gregorii item Neocæſarienſis, quædam incautius dicta recitat, & excuſat. In Διαταγέων vero Arianicis ut videtur Macedonianiſque venenis infectas voces, nullum uſquam orthodoxis antidotum præbet. Quid-ni, cum multo ſpecioſius, eoque nocentius eſſet Apoſtolorum, quam vel Dionyſii, vel Gregorii nomine propinatum venenum? Nimirum nulli tunc erant Boviani illi Apoſtoli; quorum nomen, & voces, vel arripere Ariani, vel timere Catholici poſſent.

b can. 30. Id quoque in cauſa fuit, cur Laodiceni Patres *b* circa annum D. 365. nullam horum mentionem fecerint, quo loco vetant, ne quiſquam vir Chriſtianus in balneo cum mulieribus lavetur; tametſi hoc decretum τῶν Διαταγέων authoritate confirmari & liceret, ſi tum extitiſſent Bovianæ eorum Conſtitutiones, & vero operæ pretium

eſſet.

eſſet. Sed & Laodiceni multo etiam clarius, diſertiuſque negant, ſibi notos fuiſſe iſtos Bovii Apoſtolos; dum ſevere vetant quod hi pręcipiunt, ſabbati otium, anathemateque id ipſum feriunt, quod hi non modo concedunt, ſed etiam jubent. Διατάγέων legem ſupra recitavimus. Quę vero Laodicenorum eſt, ea ita habet *a*; Οὐ δεῖ χριστιανοὺς Ἰουδαΐζειν καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλ' ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τὴν δὲ Κυριακὴν προτιμῶντας, εἴγε δύναιντο σχολάζειν ὡς χριστιανοί. εἰ δὲ εὑρεθεῖεν Ἰουδαϊσταὶ, ἔστωσαν ἀνάθεμα παρὰ χριστῷ. *Non oportet Chriſtianos Iudaizare, & in ſabbato otiari, ſed eos ipſo illo die operari; diem autem Dominicum præferentes otiari, ſi modo poſſint, ut Chriſtianos. Quod ſi inventi fuerint Judaizantes, ſint anathema apud Chriſtum.* a can. 29.

Neque pluris Baſilius, vir eorundem temporum, toto orbe Chriſtiano notiſſimus, Bovianorum Apoſtolorum authoritatem fecit. Nam hi quidem librorum τῶν ἔξωθεν omnium lectione Chriſtianis interdicunt; τῶν ἐθνικῶν βιβλίων πάντων ἀπέχου (inquiunt *b*) τί γάρ σοι καὶ ἀλλοτρίοις λόγοις ἢ νόμοις ἢ ψευδοπροφήταις, ἃ δὴ καὶ παρατρέπει τῆς πίστεως τοὺς ἐλαφρούς. *Abſtine ab omnibus libris Gentilium. Quid enim tibi cum alienis ſermonibus, aut legibus,* b L. 1. Conſt. c. 6.

 aut

aut falſis prophetis, quæ quidem homines leves à fide recta detorquent? Baſilius ab hac iſtorum ſeveritate uſque adeo abfuit, ut etiam orationem, ſane præclaram, hoc lemmate ſcripſerit a, πρὸς τὺς νέυς, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων, *ad juniores, quomodo ex Gentilium libris doctriniſque utilitatem capere poſſint.* Multa apud amicum & familiarem ejus Gregorium (virum uſque adeo probatum, ut etiam *Theologi* cognomentum apud veteres nactus ſit) Multa, inquam, apud eum ſimilia occurrunt, è quibus hoc unum ob ſuavitatem & elegantiam ponere placuit. Monet ita legendos Ethnicos ſcriptores, ut orationis quidem jucunditate & pulchritudine fruamur; cæterum ſparſam in iis idololatriæ vanitatem caveamus; ſic locum concludens b;

a *Hom.* 24. *T.* 1. *p.* 491.

b *Iamb.* 3. *ad Seleuc. T*, 2, *p.* 190. 191.

— ὥσπερ ἐξ ἑνὸς φυτῦ
Καὶ τὰς ἀκάνθας φεῦγε, & ῥόδων δρέπε.

— Ab una ut, atque eadem plantula
Spinis relictis floridas roſas lege.

c *In l.* 1. *conſt. c.* 6.

Neq; hic audiendæ Bovii excuſationes c; *confirmata religione, cum jam homines non fierent, ſed naſcerentur Chriſtiani*, minus periculi fuiſſe à librorum exoticorum lectione metuendum; eoque & *liberiorem eorum legendorum conſuetudinem fuiſſe.*

Nam

Nam neque Baſilii ætate ſic erat contra Paganos firmata religio, ut nihil eſſet ab eorum libris periculi; quod vel Iuliani deſertoris exemplum demonſtrat, quem illa lectio iis ipſis temporibus evertit, magna Eccleſiæ clade, magno Paganiſmi commodo; neque ſi vel confirmatiſſima tum fuiſſet religio, eo decebat Baſilium latam ab Apoſtolis legem ita exſerte, præfracteque violare; ſuamque illam temeritatem ne uno quidem verbo purgare, vel excuſare, aut ſcandalum, quod ex hac diſciplinæ diverſitate exiſtere neceſſe eſt, mollire, & occupare. Nihil enim iſtorum fecit; neque profecto neceſſe fuit; quod ſcilicet nulla tum eſſet in Eccleſia Apoſtolorum de vitanda librorum Ethnicorum lectione cognita lex; à qua ſibi Baſilius librorum iſtorum lectionem concedens ac commendans metuerit.

Huc accedit, quod Baſilius in alio opere exſerte negat, ſcripto ullo tradita eſſe quædam eorum, quæ in Conſtitutionibus ſcripta leguntur; Τῷ τύπῳ (inquit *a*) σταυροῦ τοὺς a L. de
εἰς τὸ ὄνομα Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἠλπι- Sp. S. c.
κότας κατασημαίνεσθαι τίς ὁ διὰ γράμμα- 27. T. 1.
τος διδάξας; τὸ πρὸς ἀνατολὰς τετράφθαι p. 351. d.
κατὰ τὴν προσευχὴν ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς γράμμα; τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου

τ̃ εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; Ut ſigno crucis eos qui ſpem collocarunt in Chriſtum ſignemus, quis ſcripto docuit? Ut ad Orientem verſi precemur, quæ nos docuit ſcriptura? Invocationis verba cum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Mox, εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ (inquit a) τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης, καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τί δὲ αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρίσιν, τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἄλλα δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα ἀποτάσσεσθαι τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης, καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας, ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν; Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, præterea ipſum qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? nonne ex tacita, arcanaque traditione? Ipſam porro olei inunctionem qui ſermo ſcripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde? reliqua item, quæ fiunt in baptiſmo, veluti renuntiare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua ſcriptura habemus? annon ex arcana hac, minimeque publicata traditione? annon

a Ibid. e.

non

non ex doctrina, quam Patres noſtri quieto, minimeque curioſo ſilentio ſervarunt? Atqui ſi *trinam immerſionem* exceperis, quam in Canonibus Apoſtolorum *a* legi, in Conſtitutionibus (quod meminerim) non legi, cætera omnia, nimirum & *crucis* b *typo obſignatos fideles*, & *inter precandum converſionem ad ſolis ortus* c, & *invocationis in Euchariſtiæ confectione verba* d, & *aquæ baptiſmatis* e, *oleique* f, & *ipſius baptizandi benedictionem* g, & *ex oleo inunctionem* h, & *abrenunciationem* i; omnia, inquam Boviani Διαταγεῖς diſertiſſimis, conceptiſſimiſque verbis ſcripſerunt. Loca annotaſſe ſatis eſt; recitare, nihil neceſſe eſt, pleraque jam in ſuperioribus deſcripta, & apud omnes confeſſa. Itaque ſi iſti Conſtitutionum libri jam tum extabant, quis non videt Baſilium, rogantem *quis iſta ſcripto tradiderit*? quæ & ipſe & omnes ab Apoſtolis, vel certe eorum nomine à Clemente ſcripta ſciebant, non modo inverecundum, ſed etiam ſtultum, ac ridiculum eſſe? Atqui Baſilium omnes veteres recentioreſque confitentur, quod & ipſa ejus monumenta clariſſime demonſtrant, virum fuiſſe verecundum inprimis, & gravem, & ſapientem, & veracem. Ergo omnino neceſſe eſt, ignotas & ipſi, & adverſariis cum quibus diſpuabat, & cæteris illius

a *Can. Apoſt.* 50.
b *l.* 8. *c.* 12.
c *l.* 7. *c.* 46. *l.* 2. *c.* 57.
d *l.* 8. *c.* 12. *tot. maxime pag.* 1020. *c.*
e *l.* 7. *c.* 44.
f *l.* 7. *c.* 43.
g *l.* 7. *c.* 43. 44.
h *l.* 3. *c.* 15. 16. *l.* 7. *c.* 23.
i *l.* 7. *c.* 41. 42.

lius ævi Chriſtianis fuiſſe Bovii noſtri Διατάξεις; in quibus ſcilicet iſta diſertiſſimè vel ab Apoſtolis vel à Clemente ſcripta ſunt, quæ Baſilius ab ullo ſanctorum ſcripta, litteriſve mandata tam ſæpe tamque fortiter negat. Arcudius, tametſi horum librorum veritatem in medio relinquat, atque de iis non niſi dubitanter loquatur, hoc tamen ab iis telum depellere conatur, ſed vano & irrito molimine. Reſpondet enim Baſilium, & alios aliquot Patres, quorum ſimiles extant de hoc argumento voces, *dicere* a *has traditiones eſſe minime ſcriptas, quia revera non ſunt ſcripta in divinis litteris, non quia non ſunt ſcripta in aliis libris. Nam Apoſtoli* (inquit) *qui canonicam ſcripturam condere poterant, nihil de iis ſcipſerunt ſed ore tenus tradiderunt. Patres vero tantum τὴν θεόπνευστον γραφὴν per excellentiam ἔγγραφον nominant; quam in primo genere, & ut ita dicam, primo gradu certitudinis collocant; Cætera, quæ non ſunt ex numero τῶν κανονιζομένων βιβλίων in canonem ſacrorum librorum acceptorum, ad rationem Scripturæ ἄγραφα eſſe teſtantur.* Sed hæc Arcudii ſolutio nihil valet; quod ut liquido intelligatur, inprimis obſervandum eſt, duobus modis dici poſſe *obſervationem* aliquam *eſſe ſcriptam.* Id enim ſignificat eam ab aliquo vel

a *De Conc. Ec. Or. l.* 1. *c.* 9. *p.* 21. *b.*

vel ſcripta lege fuiſſe præceptam, (qui proprius eſt & uſitatus horum verborum ſenſus) vel tantum in ſcripto libro commemoratam. Vel ſignificat, ejus obſervandæ legem ſcriptam extare, litteriſque mandatam haberi, vel ejus mentionem in Scripto aliquo factã eſſe. Non nego poſteriori hoc ſenſu etiam eas quæ propriè dicuntur *traditiones*, *ſcriptas* dici poſſe; ſic ut intelligas earum meminiſſe ſcriptorem aliquem; qualiter verbi gratia conteſtationem illam, qua baptizandus *ſe diabolo & pompis ejus renunciare profitebatur*, commemorant & Tertullianus *a*, & hoc ipſo loco Baſilius; a *De cor. mil. c. 3.* non quidem velut eam ulla ſua lege inſtituentes, ſed velut jam antea non ullo ſcripto præcepto inſtitutam, ſed ſola voce traditam, indeque à Chriſtianis obſervatam referentes. Priori vero ſenſu, quo ſcriptam de re aliqua obſervanda legem extare ſignificatur, nego ullam proprie ſic intellectam *traditionem ſcriptam* dici poſſe, aut ab ullo unquam probato ſcriptore dictam eſſe. *Traditio* enim ſic accepta ea eſt, de qua nulla lex ſcripta eſt, quæque voce tantum privatim ac ſigillatim depoſita, non litteris, quæ publicæ ſunt & omnium communes, mandata. *Traditio* quippe ſtricte proprieque accepto vocabulo, doctrina vel obſervatio eſt ἄγραφος; recteque ei opponitur,

nitur, quæ eſt ἔγγραφος. Iam vero clarum eſt, Baſilium non poſteriori, ſed priori ſenſu negare ſcriptas eſſe eas, quas memorat, traditiones. Significat nimirum neminem de iis obſervandis legem ſcripſiſſe: neminem eas ſcripta aliqua Διατάξει inſtituiſſe, ac præcepiſſe; fortaſſe non ſignificat nullum ſcriptorem vllam earum memoraſſe; quod ſi diceret, falſum diceret, cum Tertullianum quaſdam ex iis memoraſſe conſtet; quanquam id ipſum cum Baſilius homo Græcus ignoraret, fieri profecto poteſt, ut utroque ſenſu ſcriptas eſſe negaverit iſtas obſervationes. Nimirum putabat fortaſſis neminem Chriſtianorum, qui ad illa tempora ſcripſerant, earum uſpiam mentionem feciſſe. Verum utcunque ſit, illud quidem quod diximus certum eſt, intelligere Baſilium nullam extare ſcriptam de iſtis obſervandis legem; ſolà eas muta, & ἀγράφῳ traditione acceptas apud Chriſtianos invaluiſſe; neque unquam, ut opinor, quiſquam aliter, vel alia mente negavit aliquam traditionem ſcriptam eſſe. neque hujus phraſεως poſteriori illo, quem finximus & donavimus ſenſu, ullum exemplum afferri poſſe crediderim. Itaque neceſſario concedendum eſt, Baſilium non hoc poſteriori ſenſu, qui eſt inſolens, & inuſitatus, ſed priori, qui communis eſt, & uſitatus,

tatus, negaſſe illas quas refert, obſervationes, *ſcriptas eſſe*. Atqui hoc ſenſu non potuit negare *eas ſcriptas eſſe*, ſi veræ ſunt Bovianæ conſtitutiones; in quibus ſcilicet de iis obſervandis diſerte extant ſcriptæ, literiſque mandatæ leges. Ergo niſi Baſilium (quod abſurdiſſimum eſt) inverecunde præter animi ſui ſententiam, publicamque fidem mentitum eſſe dicas, neceſſario confitendum eſt, nullas ei vel fama cognitas fuiſſe Conſtitutiones iſtas; in quibus ſcriptæ ſunt illarum obſervationum leges, quas ipſe uſpiam ſcriptas unquam fuiſſe negat. Non enim, ut Tertullianus, & Baſilius, ſic quoque διατάξεων author memorat, iſta à Chriſtianis obſervari, & in uſu apud eos eſſe, traditione, non autem ſcripto, accepta. Nihil apud iſtum ſimile. Ille vero iſta inſtituit, διατάττει, decernit, ſciſcit, ſancit; ut ab omnibus obſerventur edicit, ac præcipit; inſtituere ſe & litteris mandare, atque ad omnes ſcripta mittere clare, ac ſæpius profitetur; ut quæ ita apud eum ſcripta, mandataque leguntur, ea ἄγραφα id eſt *non ſcripta* dici, cenſerive, niſi falſo, ſtulteque, ac ridicule nequeant. Quod vero pertendit Arcudius ἄγραφα hæc dici à Baſilio, quod eorum leges, non quidem nullis plane cujuſquam literis mandatæ eſſent, ſed quod in iis libris, qui

divini

divini & θεόπνευστοι in Novi Teſtamenti canone habentur , nuſquam ſcriptæ vel commemoratæ deprehendantur , id inquam planè futile eſt , ac frivolum. Negat enim Baſilius iſta, de quibus loquitur, *quemquam* διὰ γράμματας *ſcripto docuiſſe*; negat *ullum ſanctorum* ἐγγράφως καταλελοιπέναι, *ſcripto tradita reliquiſſe*; negat ab ullis ἐγγράφοις *litteris*, ſive *ſcriptis haberi*; negat *ea ullo* ἐγγεγραμμένῳ λόγῳ, *ſcripto, litteriſve mandato ſermone docta*, ſive *tradita* eſſe; haberi ait ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας *ex non publicata, arcanaque doctrina*, ſive *inſtitutione*, aut *traditione*; ait ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ φυλαχθῆναι, *quieto minimeque curioſo ſilentio à Patribus ſervata*. Ex quibus vel cæcus videt eam, qua iſta accepta erant, traditionem, Baſilium non *quibuſdam*; ſed *quibusvis litteris*; non *canonicis*, ſed omnibus omnino *libris* opponere. Iſta vero, ſi Bovianiæ Conſtitutiones veræ ſunt, & διὰ γράμματος erant tradita, & ἐγγράφως *ab aliquibus ſanctis relicta*, & ἐγγεγραμμένῳ λόγῳ mandata, & aliter quam ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας habebantur, & aliter quam in ſilentio obſervabantur; quę ſcilicet jam inde ab initio ſive ab ipſis Apoſtolis (ut narrat Conſtitutionum codex) ſive (quod malunt

ſunt adverſarii) à Clemente Apoſtolorum familiari, litteris mandata, & in codice ſcripto vulgata ac publicata. Quod enim hos Conſtitutionum libros Apoſtolorum canon *a* *δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων publicare*, ſeu *vulgare opud omnes* vetat, id, ut optime obſervavit Albaſpineus, eſt à poſteriori ævo, quo illa arcana *μυστικὰ* eſſe cæperunt; cum antea Apoſtolicis & proximis temporibus nulla Chriſtianis religio eſſet ſua omnia palam habere, & apud omnes edere. Cæterum authoris, qui Conſtitutiones fecit, mentem hanc fuiſſe, ut libri illi vulgarentur, ac publicarentur, vel illud ſatis docet, quod & in ipſo limine omnes Chriſtianos ſalutat, & ad eos univerſos ſuum hoc opus mittit, ac (ut vulgo loquimur) dirigit *b*, *πάντας τοὺς ἐξ ἐθνῶν πιστεύσαντας εἰς τὸν Κύριον*, *ad omnes qui ex Gentibus in Dominum crediderant*; quodque non epiſcopos modo, & clericos, ſed & laïcos, & ipſas etiam mulieres *c* interdum recta alloquitur. Stare ergo non poteſt Arcudii commentum. Quin imo ſi bene rem reputes, quod ille concedit, nunquam fuiſſe iſtas Διατα-γὰς in librorum ſacrorum canonem relatas, id ipſum inquam nothas, fictitiaſque eas eſſe docet; quæ, quod ſupra diximus, ſi verè Apoſtolorum eſſent, haud

a *Can.* 85.

b *l.* 1. *c.* 1.

c *l.* 1. *c.* 10.

Digitized by Google

haud dubie in canonem cum reliquis eorum libris relatæ fuiſſent. Neque ſi vere ſunt, cauſa dici poteſt, cur eæ à canone potius excluſæ ſint, quàm Marci aut Lucæ Euangelia. Sed redeo ad Baſilium, de cujus mente nunc quidem ſatis conſtat.

Enimvero ex eodem illo ejus opere apparet, incognitas ei fuisſe Bovianas Apoſtolorum Διαταγάς. Ipſe enim præfatur, ſibi hujus ſcribendi operis cauſam fuisſe, quod nonnulli eam δοξολογίαν reprehenderent, qua publice in Eccleſia ſic erat uſus, ut interdum diceret a, δόξα θεῷ καὶ πατρὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ σὺν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, *Gloria Deo ac Patri cum Filio, & cum Spiritu Sancto.* Contendebant autem illi non aliter dicendum fuisſe, quam, *Gloria Deo per Filium in Spiritu Sancto.* Illam ergo priorem doxologiæ formulam tuetur toto illo libro Baſilius; multaque & ad rem ipſam, & ad voces ſingulas pertinentia ex ſcripturis disſerit; Ipſam autem ita inſtitutam, expresſamque glorificandi formulam ex traditione esſe ait. Ac primo fuſe defendit, de Filio recte ita dici, *Gloria Patri* μετὰ τοῦ υἱοῦ *cum Filio*; & particulâ μετὰ hoc modo ex traditione uſos paſſim affirmat ſinceros Chriſtianos. Tum latè demonſtrat, Spiritum quoque licere adhibita

a *Præfat. p.* 290.

adhibita illa particula σὺν ita glorificare, ut dicatur, *Gloria Patri cum Filio*, vel & *Filio σὺν cum Spiritu Sancto*; idque, ut & illud de Filio prius, ex traditione apud Chriſtianos uſitatum eſſe affirmat. Iam quiſquis Conſtitutiones non oſcitanter legerit, confitebitur earum, ſiquidem tum extabant, mentionem à Baſilio in hac diſputatione ſine flagitio omitti non potuiſſe. Nam quod ad prius illud de *Filii glorificatione* pertinet, ea plurima ſuppeditant Baſilianæ ſententiæ argumenta; in quibus ſcilicet partim hanc ipſam Filii δοξολογίαν legimus, quam Baſilius defendit; in qua dicitur *Gloria Patri* μετὰ τοῦ υἱοῦ *cum Filio*. Poſterioris verò de Spiritu, ut de eo dicatur σὺν τῷ πνεύματι ἁγίῳ *cum Spiritu Sancto*, nullum (quod meminerim) extat in Conſtitutionibus exemplum, quæ ſolent hic ad illud alterum uſurpare, ἐν τῷ πνεύματι *in Spiritu Sancto*, vel certe particulam καὶ, &, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*. *Conſtitutiones* ſi norat Baſilius, cur vel illa faſtidit, vel hæc diſſimulat? Illis quidem nihil afferre poterat clarius, atque illuſtrius ad eorum compeſcendam inſaniam, qui Patrem *cum Filio* glorificandum negabant. Erant enim hæ Διατάξεις, ſi Bovio credimus, certæ incorruptæque Apoſtolicæ traditionis

b *c. 7. & . 8.*

c *c. 9. & ſeqq. præſertim c. 25. 26. 27.*

a *L. 8. c. 15. p. 1024. b. & c. 16. extr. & c. 17. extr. & c. 41. extr. & alibi paſſim.*

b *l. c. 40. 8. tr. & c. 41. pauc. ante ſinem.*

c *l. 8. c. 15. extr.*

teſtes, ac cuſtodes. Sed quod eædem *in Spiritu*, vel, *& Spiritui* ſæpe dicunt; *cum Spiritu*, nunquam; id ſpecioſum Baſilii adverſariis argumentum pręebebat; quod proinde commemorari, ſolvique debuit; ſine crimine omitti non potuit. Certe ſi tum extabat Διατάξεων liber, nimium ſecure, ac pene ridicule iſta à Ba-
a c. 27. p. 353. d. ſilio dicta ſunt *a*, λέξιν (σὺν) *dictiunculam* cum *à Patribus veniſſe*, traditione ſcilicet ἀγράφῳ acceptam. Fac enim *Conſtitutiones* tum extitiſſe; Nonne eas Baſilio objeciſſet adverſarius Apoſtolicæ traditionis teſtes? quæ non ut ille, *cum Spiritu*, ſed *in ſpiritu*, vel *& ſpiritui* ſemper uſurpant in doxologiis? Cum ergo altum in utramque partem de his Conſtitutionibus ſilentium ſit apud Baſilium, ne dubites nullas tum extitiſſe; quas ſcriptor graviſſimus ſi fuiſſent aliquæ, tali loco omnino commemoraturus fuit.

CAP. IX.

Arg. XX. Ex diverſa ſabbatarii jejunii obſervatione Conſtitutiones quinti ſaculi initio fuiſſe adhuc Chriſtianis ignotas.

ID ipſum vero certiſſime deprehendes, ſi eorum, qui quarto ſæculo jam præcipiti, & ſequentibus vixerunt, tum inſtituta, tum opiniones cum noſtris illis Boviano-rum Apoſtolorum διατaγαῖς comparaveris. In primis enim cum illi ſabbato, niſi uno (hoc eſt antepaſchali) quemquam Chriſtianum jejunare non ſemel vetent, eumque diem ab omnibus lætum feſtumque, inſtar dominici agitari præcipiant *a*, conſtat ex Auguſtino *b* & aliis *c* ſabbato in ipſa urbe Roma, vivente Ambroſio (hoc eſt ante a. D. 397) jejunari ſolenne fuiſſe, eundemque uſum paucos etiam Occidentales, præter Romanos, ſervaſſe; Ambroſium vero & Auguſtinum, tametſi ipſi aliter factitarent, ſabbati tamen jejunatores nequaquam damnaſſe, ſed ut in re media, ac libera pro earum Eccleſiarum, ad quas appuleris, & in quibus verſaris, more vel jejunandum, vel prandendum judicaſſe; Eademque Hieronymi eſt hac de re ſententia, qui Lucinio de ſabbati jejunio quæ-

a *Conſt. l. 7. c. 2.*
b *Ep. 86. quæ eſt ad Caſulan. & ep. 19.*
c *Caſſian. de inſt. cœnob. l. 3. c. 10. Socrat. l. 5. c. 2. (al. 21.)*

Digitized by Google

renti, *Unaquæque* (inquit) *provincia abundet in ſenſu ſuo & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Item; *Sed ego te illud breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas (præſertim quæ fidei non officiant) ita obſervandas, ut à Majoribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti.* Quin & Romæ fuit quidam ſabbatarii jejunii uſque adeo acer, & immodeſtus zelotes, ut ſcripta diſputatione contenderit illo die neceſſario jejunandum eſſe, & qui aliter facerent, eos verbis ſævis & contumelioſis damnaret. Extat Auguſtini *b* contra illum urbicum ſabbatari jejunii defenſorem inſignis ad Caſulanum epiſtola; in qua inter cætera hoc liquido ſtatuit, certo ſciri non poſſe, an ab Apoſtòlis inſtitutum fuerit, ut ſabbato vel jejunetur, vel prandeatur; ſique ea de re ex ſuo ſinguli more, atque uſu certent, *interminabilem* fore *iſtam contentionem*, *generantem lites*, *nec finientem quæſtiones.* Denique Innocentius Romæ Epiſcopus a. D. 416. *Sabbato jejunandum* decernit, idque *evidentiſſima ratione demonſtrari* putat; *Sabbatum* negat *prætermitti debere* (abſque jejunio ſcilicet) idque *prætermittere dementis* eſſe ait. Atque is uſus deinceps apud Latinam Eccleſiam obtinuit, hodieque in tota

a *Ep.* 28.

b *Ep.* 86.

c *Ibid. T. Aug.* 2. 147. *a.*

d *Ep.* 1. *quæ eſt ad Decent. c.*4.

tota Romani Papæ communione obtinet. Ergo illæ quæ nunc obtruduntur Apoſtolorum nomine dictæ Conſtitutiones, ignotæ toto illo tempore erant, & Romanę Eccleſiæ, occidentalibuſque illis ab Auguſtino commemoratis, & Ambroſio ipſi, & urbico diſputatori, & Auguſtino, & Hieronymo, & Innocentio. Nam ſabbati jejunium ſi ab Apoſtolis vetitum ſcivisſent; neque vel Roma, vel aliæ illæ Eccleſiæ uſurpaſſent, neque pro re media, & ex ſingulorum locorum conſuetudine vel omittenda, vel obſervanda ſenſiſſent Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus; neque denique urbicus vel diſputator anonymus, vel antiſtes Innocentius eo die neceſſario jejunandum definiviſſent. Quid, quod Hieronymus hanc ſabbati obſervationem, inter *traditiones Eccleſiaſticas* cenſet *à majoribus traditas* (non ergo ab Apoſtolis) & quidem hujuſmodi, quarum authoritas contrariis aliorum moribus fraudi eſſe non debeat? Apoſtolicarum vero traditionum longe majorem eſſe dignitatem nemo non videt. Quod vero ait Auguſtinus *litem* eſſe *interminabilem* utrum ſit ſabbati obſervatio ab Apoſtolis conſtituta, nec ne, eo, inquam, apertiſſime negat Apoſtolos eſſe Bovii Διαταγὰς; ex quibus ſcilicet clare facileque deciditur tota illa lis? Sed

& eo fatetur iſtos ſibi fuiſſe incognitos, quod hanc ipſorum de ſabbato διάταξιν urbico illi diſputatori nuſquam objicit; qua tamen una omnis ejus inſolentia multo validius fracta eſſet, quam cæteris omnibus Auguſtini epicherematis. Denique ſi *Apoſtoli* ſunt Boviani Διατάγεις, *Apoſtolicus* non eſt Innocentius, qui quod hi decernunt, exſerte ipſe refigit, *dementiſque* eſſe pronunciat id facere, quod illi omnino fieri volunt, ac præcipiunt. Sed nihil neceſſe eſt hic quidem immorari diutius, cum adverſarii nobiſcum negent Apoſtolicam eſſe illam de ſabbati à jejunio immunitate διάταξιν, *Nulla eſt* (inquit Petavius) *ab Apoſtolis edita ſanctio, qua jejunium ea die prohiberetur; ut Auguſtinus aſſerit ep.* 118. *ubi* in rebus hujuſmodi negat quicquam eſſe vel Scripturæ ſanctæ authoritate, vel univerſalis Eccleſiæ traditione determinatum. *Qua quidem præſcriptione tanquam ſpurius & alienus Canon ille rejicitur, qui inter Apoſtolicos* 68. *numeratur, &c. Nec melioris notæ ſunt quæ in Apoſtolicis Conſtitutionibus leguntur l.* 7. *c.* 24. *ubi* τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς ἑορτάζειν *præcipit. Quod ab Apoſtolis toti Eccleſiæ nunquam eſſe præſcriptum, ſanctiſſimorum Patrum conſenſus approbavit.* Hactenus Petavius; Cæteri

ri adverſarii idem de hac *διατάξει* ſentiunt. Nos cætera exſequamur.

Cap. X.

Arg. XXI. *Ex jejuniorum diebus certis affixorum ratione deprehendi certo Conſtitutiones vel neſciviſſe, vel certe nihili feciſſe Hieronymum, Victorem, Auguſtinum, Socratem, Nicephorum, Bernonem, Chryſoſtomum, Caſſianum, Iſidorum, Rabanum, totam Latinorum Eccleſiam.*

EX ſuperioribus notum eſt Διαταγέας certos, ſtatoſque dies, jejuniis determinaſſe, ut quartam ſextamque ferias, ut quadrageſimam, &c. At multi ſunt inter veteris Eccleſiæ ſcriptores, qui ſtata illa certorum dierum jejunia ab Apoſtolis inſtituta fuiſſe in genere negent. Hieronymus, qui anno quinti ſæculi 20. in Domino obdormivit, *Iejunia* (inquit *a*) *& congregationes inter dies propter eos à viris PRUDENTIBUS conſtitutos, qui magis ſæculo vacant quam Deo.* Cur à *viris prudentibus*, cur non à B. Apoſtolis *conſtituta* dixit jejunia, ſi Apoſtolos eorum verè Authores fuiſſe credidit?

a *L. 2. in Gal. inc. 4. 10. l. 9. fol. 79. b.*

Victor Antiochenus, qui centum annis poſt Juliani necem vixiſſe ex eo deprehenditur, quod Cyrillum Alex. laudet, idem

dem docet, dum Chriſtum prædicentem inducit Chriſtianos ab Apoſtolis *ad jejunia nulla legis neceſſitate adactum iri*, eoſque *virtutis amore, liberaque voluntatis electione, non legis coactione jejunaturos*; Stata vero, definitaque quæ poſtea obtinuerunt jejunia, ut *quadrageſimale*, ea propter ignavos & negligentes inducta eſſe.

a In Marc. c. 2. T. 1. Bibl. Patr. p. 414. d.

Auguſtinus eadem ſequitur, *Quibus* (inquit *b*) *diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum, non invenio definitum.* Huic quidem certe nulli fuerunt cogniti Boviani Apoſtoli; qui nihil diſertius, quam jejunandi, & non jejunandi tempora præceperunt.

b Ep. 86. ad Caſul.

Sic etiam Socrates, vetus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, de jejuniis & abſtinentiis verba faciens, οὐδεὶς (inquit *c*) περὶ τούτου ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα. *Nemo de hoc præceptum litterarum monumentis proditum poteſt oſtendere.* Ergo nulli tum erant Bovii διαταγεῖς, apud quos ἔγγραφα extant, & quidem diſertiſſima, de toto jejunandi negotio παραγγέλματα. Tum; περὶ τούτου τῇ ἑκάστου γνώμῃ, καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ Ἀπόστολοι. De hoc Apoſtoli uniuſcujuſque ſententiæ, & arbitrio permiſerunt. Non ſunt ergo Apo-

c L. 5. c. 22. cod. gr. p. 249. b.

ſtoli

ſtoli οἱ Διαταγεῖς, qui horum nihil cujuſquam arbitrio permittent, omnia certis legibus in perpetuum definita tradunt.

Eandem ſententiam pæne iiſdem verbis expreſſit Nicephorus Calliſtus *a*, vir ſæculi quarti decimi; unde liquet quam nulla fuerit Διαταγέων, etiam apud infimæ Græciæ eruditos, authoritas. a *L.* 12. *hiſt.c.* 34.

Apud Latinos idem quoque ſæculo undecimo ineunte ſenſerat Berno *b*, Abbas Augienſis, qui pleraque in Conſtitutionibus præcepta jejunia, ut quadrageſimam, &c. cenſet inter *conſuetudines Eccleſiaſticas à Sanctis Patribus* (non ergo ab Apoſtolis) *infra canonicæ regulæ terminos conſtitutos*. b *L. de reb. admiſſ. pertin c.*2. *T.*10. *Bibl.Patr.*

Sed ſunt etiam ex omnium pæne ſæculorum ſcriptoribus multi & quidem inſignes, qui quædam apud Διαταγέας præcepta jejunia negant ab Apoſtoilis inſtituta. Quadrageſimæ quidem jejunium, quod omnium eſt nobiliſſimum, quodque in Conſtitutitionibus exſerte præcipitur, non ab Apoſtolis, ſed *à Patribus c*, non per ſe, neque ex primo religionis conſilio, ſed ex occaſione propter multorum in percipienda Euchariſtiæ ſocordiam, ac irreverentiam, inſtitutum fuiſſe docet, qui ſæculi quarti exitum, quinti initia vidit Chryſoſtomus; c *L.*5.*c.*12.

a Tom. 5. hom. 52. in eos qui paſcha jejunant p. 614. d. e.

ſoſtomus *a*; *συνειδότες οἱ πατέρες τὴν βλάβην τὴν γενομένην ἐκ τῆς ἠμελημένης προσόδου, συνελθόντες ἐτύπωσαν ἡμέρας τεσσαράκοντα νηστείας. Cum intelligerent Patres, quantum ex neglecto* (ad ſacra myſteria) *acceſſu detrimenti caperetur, convenientes, quadraginta dies jejunii deſignarunt ac definiverunt.*

b Ep. 119 ad Ianuar. c. 17. extr.

Auguſtinus quoque quadrageſimæ inſtitutum, dum uſui & conſuetudini tribuit, Apoſtolis abſtulit; *Ut quadraginta* (inquit *b*) *illi dies ante Paſcha obſervantur, Eccclesiæ conſuetudo roboravit; ſic etiam ut octo dies neophytorum diſtinguantur à cæteris, id eſt, ut octavus primo concinat.*

c Coll. 21. c. 30.

Caſſianus, qui ſeculi quinti anno 40. floruit, Chryſoſtomum ſequitur, docens *c*, *quadrageſimæ obſervantiam, quandiu Eccleſiæ* primitivæ perfectio inviolata permanſit, penitus non fuiſſe; poſtea corruptis hominum moribus univerſis ſacerdotibus placuiſſe, ut eos ad opus ſanctum canonice jejuniorum indictione revocarent.

d de offic. Eccl. l. 1. c. 36.
e de inſtit. Cler. l. 2. c. 20.

Iſidorus Hiſpalenſis *d*, & Rabanus Maurus *e*, ille ſeptimi ſæculi a. 36. hic noni 56. denati, Caſſiani & ſententiam, & ipſa verba tenuerunt, ut videre eſt in iis, quæ de quadrageſimæ inſtitutione ſcripſerunt.

runt. Rupertus Tuitienſis eadem duodecimo ſæculo ultra initia jam provecto, ſenſit, ſcripſitque *a*, non *Apoſtolicæ*, ſed *Eccleſiaſticæ diſciplinæ quadrageſimale inſtitutum* tribuens, Teleſphorumque urbis Epiſcopum à B. Petro ſeptimum, ejus authorem edens. Idem & in ultima temporum fœce, jam inchoato ſæculo Chriſtianiſmi 16. Ioannes Major nobilis ſcholaſticus, prodit, *Legitur* (inquit *b*) *quod Teleſphorus Papa jejunium quadrageſimale impoſuit*. Sed hi quidem Latini.

a L. 4. *de div. off. c.9.T.10. B. PP.p. 91.6.e.*

b *In 4. d. 15. q.4. fol. 66. verſo. col. 1. in.*

E Græcis non eſt dubitandum, quin eadem fuerit & Socratis *c*, & Nicephori Calliſti *d* ſententia; qui paſcha ipſum, à quo omnis quadrageſimæ ratio pendet, negant, ut mox audiemus, ab Apoſtolis inſtitutum. Atque hi quidem hactenus. Iam cum in Conſtitutionibus Apoſtoli inducantur, *&* *quadrageſimam*; & multa alia inſuper jejunia diſerte, nominatimqui inſtituentes; nemo non videt fieri non poſſe, ut qui vel quadrageſimale in ſpecie jejunium, vel ullum in genere certi temporis jejunium ab Apoſtolis inſtitutum eſſe negat, idem ille (ſi quidem ſapit) Conſtitutionum codicem, in quo aliud clariſſime traditur, pro vero vel Apoſtolorum, vel Clementis opere habeat. Cum ergo nuper memorati ſcriptores Hieronymus

c *l. 5. c. 22.*

d *l.c.12. 32.*

nimus Preſbyter, Victor Antiochiæ; Chryſoſtomus Conſtantinopolis, Auguſtinus Hipponis, Iſidorus Hiſpalis, Rabanus Moguntiæ epiſcopi; cum Caſſianus, Berna, & Rupertus Abbates; cum Socrates, & Nicephorus hiſtoriæ ſcriptores; Ioannes Major Scholæ Romanæ Theologus, omnes, vel jejunium ullum, vel certe quadrageſimale ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe negent; omnino neceſſe eſt neminem eorum Διατάξεις Boccianas pro vero vel Apoſtolorum vel Clementis opere habuiſſe. Denique cum nulla ſit ratio, cur ſuſpicemur illos viros, plæroſque maximi apud omnes Chriſtianos nominis, librum aliquem ab ea Eccleſia, in qua ii vivebant, pro vero agnitum ac celebratum, vel neſciviſſe ipſos, vel cognitum reprobaſſe; hinc quoq; concludendum eſt neq; in Orientali Eccleſia, in qua Victor, & Chryſoſtomus, & Nicephorus, & Socrates; neque in Occidentali, in qua Hieronymus, & Caſſianus, & Iſidorus; neque in Auſtrali, in qua Auguſtinus; neque in Boreali in qua Berno, Rabanus, Rupertus, & Major floruerunt, quarto, quintoq;, ſeptimo, nono, undecimo, duodecimo, decimoquarto, decimoquinto ſæculis (quibus illi omnes vixerunt) pro veris vel Apoſtolorum, vel Clementis libris habitas fuiſſe, quas nunc nobis Bovius & Tur-

& Turrianus obtrudunt ſuorum Apoſtolorum *διατάξεις*.

Idem & quidem aliquanto luculentius oſtendit ipſa Eccleſiæ in hoc jejuniorum negotio praxis. Primo enim Διαταγεῖς ſic alicubi præcipiunt; μετὰ οὖν τὸ ἑορτάσαι ὑμᾶς τὴν πεντηκοστὴν, ἑορτάσατε μίαν ἑβδομάδα, (a L. 5. c. 22. pen.) καὶ μετ' ἐκείνην νηστεύσατε μίαν. δίκαιον γὰρ καὶ εὐφραντῆναι ἐπὶ τῇ ἐκ Θεοῦ δωρεᾷ· καὶ νηστεῦσαι μετὰ τὴν ἄνεσιν. *Poſt agitatos feſtos Pentecoſtes dies, unam hebdomadam feſtam quoque agite; & poſt illam unam item jejunate. Æquum enim eſt tum lætitiam de dono Dei capere; tum poſt relaxationem, rurſum jejunare.* Vides, ut non proximam, ſed alteram poſt Pentecoſten, hebdomaden totam jejunio determinent. Atqui illius jejunii nullum, quod ſciam, apparet neque in veteris, neque in recentis Eccleſiæ praxi veſtigium; nedum ut ab univerſa id obſervatum ſuerit; fuiſſet autem ſi ab Apoſtolis inſtitutum eſſe Chriſtiani, maxime veteres, crediſſent.

De Sabbati à jejunio immunitate, (quam Διαταγεῖς quidem decernunt, Latina vero omnis Eccleſia inde ab Innocentii temporibus abrogavit, ſupra diximus. An ſcilicet iſtos Apoſtolos credidit Eccleſia Latina, quæ quo ii die *jejunare* nefas putant, eo ipſo *non jejunare* nefas eſſe decrevit?

Sed

Sed & eadem feriæ quartæ determinatum ab illis jejunium, jam pridem antiquavit; eoque confeſſa eſt ſe Διατάξεις pro ſpuriis, ac non Apoſtolicis habere. Quod enim ajunt nonnulli tranſlatum è quarta feria in ſabbatum jejunium, id inquam, ſi iſti Διαταγεῖς revera Apoſtoli ſunt, Latinorum crimen non minuit, ſed geminat; quibus non fuit ſatis jejunium ex ea feria, cui ab Apoſtolis ſcilicet affixum erat, movere, niſi inſuper & in eam id tranſferrent, quam illi diſerte juſſerant ab omni jejunio eſſe immunem.

Neque vero in uno quartæ feriæ jejunio violata ſunt à Latinis Διαταγέων decreta. Vt hanc impoſito jejunandi officio liberarunt; ita viciſſim alia tempora perpetua immunitate per Διαταγέας gaudentia, jejuniis (ut ſic dicam) oppreſſerunt ac funeſtarunt. Nam illi quidem totos à Paſchate ad pentecoſten quinquaginta dies ita feſtos eſſe decernunt, ut ſiquis hoc tempore jejunet, eum peccati reum pronuncient; a L. 5. conſt. c. 20. extr. ἔνοχος ἁμαρτίας ἔσαι (inquiunt *a*) ὁ τὴν κυριακὴν νηστεύων ἡμέραν ἀναστάσεως οὖσαν, ἢ τὴν πεντηκοστὴν, ἢ ὅλως ἡμέραν ἑορτῆς Κυρίου κατηφῶν. *Reus peccati erit, qui Dominico die jejunauerit, cum ſit dies Reſurrectionis, aut Pentecoſten, ut qui denique ullum diem Domini feſtum in mœſtitia egerit.* Hanc

Διάταξιν

Διάταξιν primo jam pridem violavit, ac proculcavit, anno circiter 470. Manuertus, Viennenſis apud nos Epiſcopus, in media pentecoſte intercurrentes *Rogationum* (ut vocant) dies triſtibus jejunandi officiis mœſtificans; exindeq; omnis Galliarũ Eccleſia idem inſtitutum probans *a*. Synodiciſque decretis confirmans; ac poſtremo tota fere Latinorum Eccleſia idem exemplum ſequens. Sed & ſextam feriam, & Sabbatum Latina jam dudum Eccleſia jejuniis celebrat in Pentecoſte, non minus quam in aliis anni tempeſtatibus; in *ſabbato* bis rea; quod ſcilicet à jejunio per illas hebdomadas duplici ratione & propter ipſius diei, & propter Pentecoſtes, in quam incurrit, religionem ex Διαταγέων decreto immunem, jejunio & quidem neceſſario ac legitimo temerare non dubitat. Siccine Latini de Apoſtolorum decretis ludunt? Abſit. Quid ergo eſt? Res ipſa loquitur nunquam eos vel agnoviſſe vel certe pro Chriſti Apoſtolis habuiſſe Bovianos iſtos Pentecoſteæ à jejunio immunitatis inſtitutores; quos ſi eo loco ac numero cenſuiſſent, homines eorum obſervantiſſimi, quæcunque Apoſtolica arbitrabantur, nunquam latas ab iſtis leges tam ſecure contemſiſſent. Sed & ſiquis apud Gregorium noſtrum eum jejuniorum

a Greg. Tur. l. 2. hiſt. c. 21. Avitus hom. de Reg. Conc. Auvel. 2. c. 37. Conc. Lugd. 2. c. 6.

ordinem conſideret, quæ per anni circulum obſervanda olim diſpoſuit Perpetuus Turronenſis Epiſcopus, circa a. D. 470. facile intelliget nullo tum apud nos loco, aut numero fuiſſe τῆς Διαταγέας; quorum ſcilicet nullam Perpetuus rationem in illa ſua diſpoſitione habuit. Quin & alia non pauca à Διαταγέων decretis in jejuniis veteris Eccleſiæ abhorrentia deprehendi fortaſſe poſſent, ſiquis in id negotium paulo attentius incumberet. Nos & ad alia properamus, & hæc quæ diximus, ſatis eſſe arbitramur.

Cap. XI.

Arg. XXII. Et feſtorum ratione itidem deprehenditur Conſtitutiones nullius pretii fuiſſe apud Socratem, Nicephorum, apud Latinam & Græcam Eccleſiam, imprimis apud Gregorium Magnum.

VEniamus ergo ad feſtos dies; ex quibus non minus, quam ex jejuniis, clariſſime patefiet, ignotos fuiſſe veteri Eccleſię Bovii Apoſtolos. Mitto, quę de Natali Domini in priorum quatuor ſæculorum Eccleſia ſurpa obſervavimus. Sed iſtos ſane Apoſtolos etiam multos ſequentium temporum

Digitized by Google

porum ſcriptores, aut neſciviſſe, aut contempſiſſe, proque impoſtoribus habuiſſe, inde liquet, primo, quod cum hi multa feſta Chriſtianis accuratè obſervanda præcipiant, quidam ex illis, plane contra feſta, quæ poſtea coluerunt Chriſtiani, ea ab Apoſtolis inſtituta fuiſſe negant. Secundo ex eo quod quædam feſta nominatim in Conſtitutionibus præcepta omnes fere veteres, recenteſque Chriſtiani vel negligunt, vel etiam damnant. Ac nulla quidem feſta ab Apoſtolis inſtituta, ne ipſo quidem Paſchate excepto, aperte ſentiunt Socrates & Nicephorus Calliſtus. Illius quidem hæc ſunt verba *a*; τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα, καὶ τὰς ἄλλας ἑορτὰς οἱ ἄνθρωποι διὰ τὸ ἀνίεσθαι τῶν πόνων ἐν αὐταῖς, ἕκαστοι κατὰ χώρας, ὡς ἐβουλήθησαν τὴν μνήμην τοῦ σωτηριώδους πάθους ἐξ ἔθους τινὸς ἐπετέλεσαν· οὐ γὰρ νόμῳ τοῦτο παραφυλάττειν ὁ Σωτὴρ ἢ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῖν παρήγγειλαν. *Feſtum Paſcha, & alia feſta homines propter laborum in iis relaxationem ſinguli per loca, ut voluerunt, ſalutaris paſſionis memoriam, ex conſuetudine quadam celebrarunt. Neque enim lege ea obſervare juſſerunt Servator, vel Apoſtoli.* Mox ex conſuetudine ortam Paſchæ obſervationem iterum dicit; διὰ τὸ μηδένα τῶν Ἀποστόλων, ὡς ἔφην, μηδενὶ νενομοθετηκέναι περὶ αὐτῆς, *propterea*

a *Hiſt. l. 5. c. 22. ed. gr.*

quod nemo Apoſtolorum, ut dixi, cuiquam leges de ea tulit. Nicephori eadem fuit ſententia *a*; ὐ πάντως νόμῳ τινὶ Σωτῆρα ἢ τὺς μαθητὰς τῦτο παραφυλάτ]ειν ὁρίσασθαι, *Neque Servatorem, vel ejus diſcipulos lege ulla id obſervandum eſſe ſtatuiſſe; nimirum*, τὸ πάσχα, καὶ τὰς λοιπὰς τῶν ἑορτῶν, *paſcha & reliqua feſta*; ut ex ſuperioribus verbis liquet. Mox ita concludit; ὡς ἔνδηλον εἶναι τὸ μηδένα τῶν Ἀποςόλων μηδέν τι περὶ ταύτης νομοθετῆσαι τῆς ἑορτῆς, *Ut ſatis manifeſtum ſit neminem Apoſtolorum de feſto hoc* (Paſchali ſcilicet) *ulla lege quicquam conſtituiſſe*. Hæc illi. Non jam quæro recte-ne an ſecus ita ſentiant. Hoc unum ajo, nunquam Socratem, nunquam Nicephorum ita ſcripturos vel opinaturos fuiſſe, ſi Bovianas Διατάξεις legiſſent, proque Apoſtolicis habuiſſent; in quibus ſcilicet & de Paſchate, & de aliis feſtis leges extant diſertiſſimæ, de quibus illi negant ullas ab Apoſtolis latas leges; quin & manifeſtum eſſe ajunt, nullas ab iis eſſe latas. Quod quanti ſit & quam incredibilis ſtuporis nemo non videt; ſi quidem eos Apoſtolicas cenſuiſſe noſtras Bovii Διατάξεις ſtatuas.

a L. 12. c. 32. extr.

Sed non ſoli Socrates & Nicephorus Bovianorum Apoſtolorum de feſtis decreta pulſarunt. Sunt quædam ab iis inſtituta feſta,

Digitized by Google

feſta, quæ omnis contempſit, imo & damnavit Eccleſia. Certe quæ de ſabbato una cum dominico die celebrando decernunt, poſt Laodicenam ſynodum, cujus ſupra decretum huic iſtorum Διατάξει tota diametro adverſum retulimus, & Latina pariter, & Græca Eccleſia conſtantiſſime ad hanc diem improbant. Neque quiſquam eſt Chriſtianorum (ſi Æthiopes exceperis) qui ſabbatum ea quam Διαταγεῖς præcipiunt, religione celebrandum putet. Gregorius qui Romanæ Eccleſiæ ſeptimo ſæculo ineunte præerat, hunc ſabbati cultum atrociſſime denotat; *Pervenit ad me* (inquit *a*) *quoſdam perverſi ſpiritus homines, prava inter vos aliqua, & ſancta fidei adverſa ſeminaſſe, ita ut die ſabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? Qui veniens diem ſabbatum, atque Dominicum ab omni facit opere cuſtodiri.* I nunc Bovi, & tuos Διαταγέας Chriſti Apoſtolos jacta, quos Gregorius tuus habet pro Antichriſti prędicatoribus; qui ſcilicet illud ipſum quod ille tanta cum indignatione refutat, diſertiſſimis verbis ſtatuunt; Σάββατον (inquiunt *b*) καὶ Κυριακὴν σχολαζέτωσαν. Item *c*; τὸ σάββατον μέντοι καὶ τὴν Κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως. Sed & totius

a *l. Ep.* 33. *init.*

c *L.* 8. *c.* 33. *init.*

c *L.* 7. *c.* 24.

tius Eccleſiæ à Gregorii temporibus conſtans, ut dixi, praxis, ſimile ejus eſſe de hoc Diataxi judicium fatetur; nihil adeo minus quam Apoſtolos cenſendos illius authores.

Jam & illam, quæ proxime Pentecoſten ſequitur, hebdomadam, quam feſtam totam agitari decernunt οἱ Διαταγεῖς [a], μετὰ οὖν τὸ ἑορτάσαι ὑμᾶς τὴν πεντηκοστὴν, ἑορτάσατε μίαν ἑβδομάδα, illam, inquam, feſtam hebdomadam, quæ vel antiqua, vel recens norit Eccleſia, equidem neſcio. Hoc ſcio, hanc iſtorum Diataxin in Romanæ ſedis communione uſque adeo contemni, ut illos ipſos dies, quos Διαταγεῖς feſtos agitari ſciſcunt, illa jam a multis ſæculis ad hunc uſque diem ſolenni legitimoque jejunio dicaverit. In hanc enim ipſam hebdomadam (ut notum eſt) incidit unum ex iis jejuniis, quæ vulgo *quatuor temporum* vocantur; quæ adverſarii non tantum a Leonis, ſed & à Calliſti P. R. ęvo (id eſt ab a. D. 224.) repetunt; ut, ſi hæc ſtat eorum hypotheſis, omnino neceſſe ſit, omnem jam inde à tertio Chriſti ſæculo ad noſtra uſque tempora Romanam Eccleſiam iſtos Διαταγέας pro impoſtoribus habuiſſe; quæ ſcilicet jejunandum iis diebus pręſcripſit, quos iſti lætos, feſtoſque agitari juſſerant. Sed de illius quidem Pentecoſten

[a] L. 5. c. 20. p. 936.

Digitized by Google

coſten excipientis hebdomadis præcepta ab iſtis feſtivitate, ut de proxime ſequentis jejunio, altum apud veteres ſilentium; ut vere meritoque ſcripſerit Reverendiſſ. Uſſerius noſter *a*, ſe qui alterius mentionem fecerit antiquorum neminem meminiſſe.

a *Diſſert. ad Ignat. c. 8. p. 52. extr.*

CAP. XII.

Arg. XXIII. Nihili feciſſe Conſtitutiones omnis pene memoriæ Chriſtianos Græcos Latinoſque, probatur ex Laicorum baptiſmo pene ab omnibus recepto. Arg. XXIV. Conſtitutiones ſpreviſſe Hieronymum & alios plurimos in judicio de Epiſcopatu. Et (Arg. XXV.) Auguſtinum, de Mediatore; de Juda, de Magdalena. Baronii ea de re verba.

ATQUE hæc quidem de jejuniorum, feſtorumque diſciplina ſatis ſunt. Nunc ad cætera pergamus. Boviani Διαταγεῖς, quod etiam eſt à Bellarmino *b* inter eorum errores notatum, prohibent abſolute, ne laïci baptizent. Nam mulierem quidem baptizare ἐπισφαλὲς, μᾶλλον δὲ παράνομον καὶ ἀσεβὲς, *periculoſum eſſe, imo illegitimum & impium* pronunciant *c*. Tum; ἀλλ᾽ οὔτε λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν (inquiunt *d*) ποιεῖν τι ἱερατικῶν ἔργων· οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα. *Imo neque laïco permittimus facere aliquod opus ſacer-*

b *L. de ſcript. Eccl. in Clem.*

c L. 3. c. 9.

d *Ibid. c. 10.*

ſacerdotale, ut ſacrificium, aut baptiſmum. Denique, Ἀλλ' οὔτε (inquiunt *) τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρέταις ἢ μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων· οἱ δὲ τολμῶντες τοῦτο, τὴν Κορειτῶν ὑποίσουσι τὴν δίκην. *Imo neque reliquis clericis poteſtatem baptizandi facimus, ut lectoribus, cantoribus, janitoribus, aut miniſtris, niſi tantum epiſcopis, & preſbyteris, miniſtrantibus Diaconis. Qui vero hoc auſi fuerint, pœnas Coritarum pendent.* Non jam quæro, rectum ne ſit, an ſecus hoc iſtorum decretum. Hoc unum nunc contendo, id pro Apoſtolico nequaquam ab iis haberi, qui ſentiunt, & Diaconis & laicis fidelibus interdum, imo ſæpe licere baptizare, ut Tertullianus *a*; ut Eliberitani Patres, quorum hac de re diſertus habetur canon *b*; ut Hieronymus *c*; cujus hæc ſunt verba, *Baptizare ſi neceſſitas cogat, ſcimus etiam licere laicis*: ut Auguſtinus *d*: ut Gelaſius *e*; ut Iſidorus *f*; ut Lombardus *g*; ut Florentini Patres; quorum nihil neceſſe eſt in re clara confeſſaque loca deſcribere. Romana quidem, quæ hodie eſt omnis Eccleſia non modo editis diſputationibus, ſed ipſa quotidiana praxi profitetur ac defendit, & clericis omnibus, & laïcis, ſeu viris, ſeu fœminis, quin & Paganis, hominibuſque non bapti-

* *Ibid. c.* 11. *Vid. & c.* 20.

a L. *de bapt.*
b *can.* 38.
c *contr. Lucif.*
d L. 2. *contr. epiſt. Parmen. c.* 13.
e *Ep.* 1.
f *l.* 2. *de off. diu. c.* 24.
g *l.* 1. 4. *ſent. d.* 6. *Vid. Bell. l.* 1. *de bapt c.* 7. §. *Cæterum. res.*

baptizatis baptizandi jus aliquod quibuſdam temporibus eſſe; baptiſmumque ab iis tum collatum valere, modo adfuerit materia, forma, & intentio debita. Quis vero iſtos omnes in eam ſententiam ituros fuiſſe putaverit, ſi Bovii Διαταγέας qui illam *periculoſam* παράνομον, *impiam Coritarum ſuppliciis dignam* pronunciant, vere Christi Apoſtolos fuiſſe exiſtimaviſſent?

Adhæc Διαταγεῖς (quod nos ſupra fuſe demonſtravimus) magnum, latumque eſſe volunt presbyterorum, & epiſcoporum diſcrimen, idque ipſis eorum nominibus oſtendi volunt; ac ut alia taceam, ſolis epiſcopis jus miniſtros ordinandi concedunt, neque vere epiſcopum cenſent, niſi qui à tribus, minimum à duobus epiſcopis ordinatus fuerit. Iam iſta Hieronymum pro Apoſtolicis ſcitis minime habuiſſe clarum eſt, cujus nota eſt huic è diametro oppoſita ſententia *a*, eundem *eſſe preſbyterum & epiſcopum*; & Apoſtolorum *temporibus eoſdem fuiſſe Epiſcopos & preſbyteros: illos magis Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate preſbyteris majores eſſe factos*; *hos ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus eſt, eſſe ſubjectos*; nulloque diſcrimine à Paulo & cæteris Apoſtolis pro re eadem uſurpari utrumque vocabulum. Eadem quoque ſecutos & Hilarium

a *In ep. ad Tit. c.* 1. *& ep.* 85. *ad Euagr. ep.* 83. *ad Ocean.*

Hilarium Diaconum *a* in Commentariis (qui vulgo, ſed perperam Ambroſii nomine cenſentur) & Chryſoſtomum *b*, & Auguſtinum *c*, & Iſidorum Hiſpalenſem *d*, & Amalarium *e*, & Haimonem Halberſtadenſem *f*, & Rabanum Maurum *g*, & Hincmarum Rhemenſem *h*, & ex locis in margine annotatis conſtat, & nuper fuſe demonſtravit ὁ πολυμαθέστατος Blondellus noſter in Apologia Hieronymi de Epiſcopis; ut alios non paucos mittam, quos itidem de epiſcopis & presbyteris ſenſiſſe, & Blondellus probavit, & iſtis, quos commemoravi, partim quarti quintiq;, partim ſeptimi & noni ſæculorum ſcriptoribus; Apoſtoli non fuerint Boviani Διαταγεῖς

De Auguſtino idē ex eo videre eſt, quod Parmenianum Donatiſtam graviter quodam loco reprehendit, quod *Mediatorem poſuiſſet Epiſcopum inter populum & Deum*; haſque voces vir ſanctiſſimus ita exhorreſcit, ita ab omnium Piorum animo, auribus, atque uſu alienas eſſe putat, ut ſi quis vel Apoſtolus ſe pro ovibus ſibi creditis Mediatorem apud Deum eſſe profiteretur, *quis* (inquit *i*) *eum ferret bonorum, atque fidelium Chriſtianorum? Quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur?* Moxque pluribus ſuam iſtam ſententiam firmat. *Homines* (inquit)

a *in Eph.* 4. *in* 1. *Tim.* 3.
b *hom.* 11. *in* 1. *ad Tim.*
c *ep.* 19.
d *l.* 2. *de off. c.* 7.
e *de offic. Eccleſ. c.* 13.
f *in* 1. *Tim.* 3.
g *De inſtit. Cler. l.* 1. *c.* 6. *& l.* 4. *c.* 5. *& in* 1. *ad Tim.* 4. 14.
h *In concil. Attiniac. l. quem nepoti porrexit c.* 10. *& ep. ad ep. Franc. c.* 4.
i *L.* 2. *adverſ. ep. Parmen. c.* 8.

(inquit) *omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus hic unus veruſque Mediator eſt.* Subjicitque Paulum, quanquam ſub capite præcipuum membrum, non tàmen mediatorem ſe facere inter populum & Deum, ſed rogare ut pro ſe orent invicem omnia membra corporis Chriſti. *Nam ſi* (inquit) *eſſet Mediator Paulus, eſſent utique & cæteri coapoſtoli ejus, ac ſic multi Mediatores eſſent, nec ipſi Paulo conſtaret ratio, qua dixerat,* Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Hæc ille. Atque nihil erat, quod indignaretur, nihil quod ſic paratragœdiaret, ſi Bovii Apoſtolos notos habuiſſet; qui plane eadem, eodemque modo dicunt, quô Parmenianus; Sic enim Epiſcopos alloquuntur *a*; ὑμεῖς τοῖς ἐν ὑμῖν λαϊκοῖς ἐστε προφῆται, ἄρχοντες καὶ ἡγούμενοι, καὶ βασιλεῖς, οἱ μεσῖται θεοῦ καὶ τῶν πιστῶν αὐτοῦ. *Vos eſtis veſtris laïcis Prophetæ, principes, duces, Reges,* MEDIATORES *Dei, & fidelium ejus,* Mox eadem ad laïcos *b*; Ὁ ἐπίσκοπος, οὗτος λόγου διάκονος, γνώσεως φύλαξ, μεσίτης θεοῦ καὶ ὑμῶν. *Qui Epiſcopus eſt, hic eſt Miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos,* MEDIATOR *Dei & veſtrum.* Profecto Auguſtinus iſtos, vel nun-

a l. 2, c. 25. p. 752. c.

b Ibid. c. 26. init.

quam legerat, vel ſi legerat, *non ſicut Apoſtolos Chriſti*, ſed *ſicut Antichriſtos* hac in parte *intuitus erat*. Huc etiam pertinet, quod idem Auguſtinus, dum Tertulliani de animæ corpulentia ſententiam (quod non ſemel facit *a*) caſtigat, ac refellit, nuſquam noſtrorum Διαταγέων diſerta illa in eam rem, quæ ſupra exhibuimus, verba adfert, haud dubie non omiſſurus, niſi ea neſcivisſet. Idemque de Claudiano Mamerti Viennenſis fratre, dictum puta; qui circa quinti ſæculi finem ex profeſſo defendens adverſus Fauſti Regenſis errorem *animam eſſe incorpoream*, idque multis, ſubtiliſſime ſane atque acutiſſime conficiens *b*, diſertiſſimam Apoſtolorum profeſſionem *c*, *Animam in nobis incorpoream confitemur*, ſine flagitio prætermittere non poterat, ſi quid hujuſmodi vere ab Apoſtolis dictum ſcivisſet, aut ſenſisſet; maxime qui in eodem opuſculo ſuæ huic ſententiæ firmamenta, etiam apud homines, & ſæculi, ut Philoſophos; & Eccleſiæ, ut Patres, conquirat; Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Auguſtinum, in rem ſuam laudans *d*.

a *De gen. ad litt. l.* 10. *c.* 24. 25. 26. *Id. ep.* 157. *ad optat. & l.* 1. *de an. & ejus orig. c.* 5.

b *L.* 2. *de ſtat. an. c.* 12. 13. 14. *Bibl. Patr. T.* 4. *part.* 1.

c *Conſt. l.* 6. *c.* 11.

d *Ub. ſupr. c.* 10.

Præterea Judam negant οἱ Διατάγεις Euchariſtæ ſacramentum à Chriſto una cum reliquis Apoſtolis accepiſſe. Παρέδωκε δὲ ἡμῖν (inquiunt de Chriſto *e*) τὰ ἀντίτυπα

e *L.* 5. *conſt. c.* 13.

μυστήρια τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος, Ἰούδα μὴ συμπαρόντος ἡμῖν, ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. *Cum autem tradidiſſet nobis* (Ieſus) *antitypa myſteria pretioſi corporis & ſanguinis ſui, abſente Juda, egreſſus eſt in montem Oliveti.* Auguſtini vero conſtans eſt ſententia *a* Iudam ſacramentum Dominici corporis & ſanguinis una cum cæteris Apoſtolis accepiſſe. Ergo fieri nequit, ut Διαταγέας pro Apoſtolis habuerit Auguſtinus. Eademque eſt aliorum non paucorum Patrum ratio, qui idem hac de re cum Auguſtino ſenſerunt, ut Chryſoſtomus *b*, Hieronymus *c*, Leo *d*, alii; Itemque recentiorum ex adverſariorum partibus, qui una cum iis Iudam ſacræ Domini cænæ & interfuiſſe, & communicaſſe volunt; ut Janſenius Gandavenſis *e*, Vitriacus *f*, Eſtius *g*, & cæteri fere omnes. Iſtos omnes vel nullam Chriſti Apoſtolis fidem habuiſſe fatendum eſt; vel iſtos Bovii Διαταγέας aut neſciviſſe (quod de veteribus verius puto) aut certe ſi ſciverunt, pro Apoſtolis, Apoſtolicis ve viris minime habuiſſe.

Huc accedit quod Auguſtinus interdum dubitat *h*, *an Maria quæ pedes Domini unxit unguento & terſit capillis ſuis, quos*

a *Ep. 163. p. 283. c. & pſalm. contr. partem Don. & l. de adult. conjug. c. 27. & in pſ. 10. p. 30. ab. & tract. 6. in Ioa. p. 23. c. d. & tract. 26. in Ioa. p. 93. c. & tract. 50. in Ioa. & tract. 62. p. 167. a.*
b *l. quod nemo læditur, niſi à ſeipſo.*
c *l. 2. contr. Iovin.*
d *Serm. 3. de paſſ. D. c. 3. & ſerm. 7. c. 3.*

e *Concord. c. 130. 132.* f *hiſt. occid. c. ult.* g *In Ioa. 13. 26. Luc. 7. Ioan. 11.* h *In Ioan. tract. 49.*

laverat

laverat lacrymis, ipſa ſit ſoror Lazari, eoque propendet ut eſſe credat; interdum etiam eandem eſſe affirmat *a*. At cum Διαταγεῖς eandem eſſe negent, aperteque Magdalenam à Lazari ſorore (quod ſupra diximus) diſtinguant *b*; nihil erat, cur Auguſtinus (ſi eos pro veris Apoſtolis habebat) non modo affirmaret, utramque mulierem eandem fuiſſe, ſed etiam cur dubitaret, quin altera ab altera diverſa ſit. Quid? quod, ſi Baronio *c* credimus, non Auguſtinus modo, ſed & Ambroſius, & Hieronymus, & Gregorius, & Beda, & multi alii Patres, idem quoque ſenſerunt; ſcilicet illam mulierem diverſis Magdalenæ, ſororiſque Lazari nominibus inſignem, unam eandemque revera fuiſſe? Quo loco verba Baronii uſurpare ſatis eſt; *Sane quidem* (inquit *d*) *ſi hæc* (de diſtinctione Magdalenæ à Maria Lazari ſorore vel ab Apoſtolis, vel) *à Clemente dicta ſunt*; quomodo *ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui ea de re ſcripſerunt, cum præſertim tanti authoris præcipua fuerit authoritas in Eccleſia? adeo ut licet ejus epiſtola ad Corinthios ſcripta penitus exciderit, tamen quod ſæpius citata reperiatur, pæne reviviſcat integra in fragmentis* e. *Certe cuilibet adjudicata cauſſa fuiſſet, qui authoritate Clementis id demonſtrare*

a *De Conſ. Eu. l.* 2. *c.* 72.

b *l.* 3. *c.* 6.

c *a. D.* 32. *§.* 21.

d *Ibid. §.* 18.

e noſtra memoria toto corpore revixit ex manuſcripto Theclæ codice, excuſa Oxonii

ſtrare potuiſſet. Atqui *hæc à Clemente dicta*; eodem teſte Baronio, antiquos illos omnes Patres latuerunt; Ergo, eodem aſſentiente, fieri non poteſt, ut verè Clementis ſit illud Διαταξεων volumen, in quo verba illa leguntur. Cui argumento & hoc alterum addamus; Qui Clementis authoritate in hac de duplici illa Maria quæſtione nituntur, iis, Baronio judice, adjudicanda eſt cauſa. Non tamen vel hodie iis cauſa apud Eccleſiam Romanam adjudicatur, qui Διαταγέως authoritate in hac controverſia nituntur; ergo vel iniqua & injuſta eſt Romana Eccleſia, vel ſane Clementis authoritate non nituntur, qui his Διαταγέως Boviani dictis nituntur. Nituntur autem *authoritate Clementis*, ſi vere Clemens eſt ὁ Διαταγεὺς, Ergo Διαταγεὺς Clemens non eſt, vel ipſa Romæ Eccleſia judice; quicquid contra tendant Bovius & Turrianus: Romana enim Eccleſia diverſas illas fuiſſe mulieres ex Διαταγέως authoritate probantibus *cauſam hanc* adeo non *adjudicat*, ut etiam in diverſam eorum partem, qui unam mulierem fuiſse volunt, manifeſte propendeat; quod ex ipſo Baronio *a*, Maldonato *b*, & cæteris pene omnibus iſtarum partium Theologis patet.

a *ub. ſupra.*
b *In Matth.* 26. 7.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XIII.

Arg. XXVI. *Conſtitutiones vel neſciverunt vel contempſerunt & Gregorius M. & ejus diſcipulus Auguſtinus, & Beda, & plurimi liturgiæ interpretes etiam infimorum temporum.*

Neque vero novum eſt, quod Eccleſia Romana iſtas Diataxes aut neſcit, aut contemnit, quas ipſis Gregorii I. temporibus apparet nullo loco apud eam fuiſſe. Auguſtinum enim in Britanniam à Gregorio miſſum, verum ab eruditione, & ſanctitate, & à Zeto in rem Romanam inter paucos eo ſæculo commendatum non latuiſſent hæ conſtitutiones, ſi quo in nomine & honore apud illam ſedem tum fuiſſent. Atqui Auguſtino ignotas fuiſſe ex iis patet, de quibus iſte Gregorium contulit; à quo inter cætera quærit *a*, *an prægnans mulier debeat baptiZari? aut poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit Eccleſiam intrare? aut ſi menſtrua conſuetudine tenetur, an Eccleſiam intrare ei liceat? aut ſacræ communionis ſacramenta percipere? aut vir ſuæ conjugi permixtus, priuſquam lavetur aqua, ſi Eccleſiam poſſit intrare? vel etiam ad myſterium communionis*

a *Apud Bedam hiſt. Eccl. l. 1. c. 7. Z. 3. Bed. p. 21. in.*

nionis ſacra accedere? Atqui de his & aliis id genus clara, diſertaque lex apud noſtros Διαταγέας extat *a*, quam & alibi recitavimus; *Neque legitimus concubitus, neque partus, neque ſanguinis fluxio, neque genitalis ſeminis per ſomnium excretio naturam hominis polluere poſſunt, aut ſpiritum ſanctum ſeparare, præterquam ſola impietas, & actio à lege interdicta.* Hęc ſi ſcivisſet, ſi Apoſtolica cenſuisſet ille Anglorum Apoſtolus, nunquam profecto ſuum magiſtrum de negotio jam pridem ab Apoſtolis, & Clemente definito obtundendum putasſet. Vel ſi (quod non eſt credibile) ea erat hominis in Eccleſiæ ſuæ rebus ignorantia, ut etiam ejus leges neſciret; Gregorius quidem certe non erat ei hoc loco defuturus; Apoſtolorum illi decreta, quibus hæ quæſtiones jam pridem definitæ erant, hoc loco recitaturus erat. Atqui ne ipſe quidem in ſuo ad Auguſtini quæſita reſponſo ullam Διαταγέων legem memorat; Et cum ſic reſpondeat, ut quædam ab illa abhorrentia, quædam ei conſentanea pronuntiet, neque hæc legis ab iis latę authoritate confirmat, neque illa ab ea vindicat. Nam quod negat *b menſtruam conſuetudinem mulieribus culpam ullam eſſe*, noſtrorum Διαταγέων ſcitis, ut liquet, convenit; Quod vero vetat vi-

a *l.* 6. *c.* 26.

b *Ibid. p.* 22.

tat vi-

tat virum uxore uſum, niſi aqua lotum *Eccleſiam intrare*; vel *lotum ſtatim intrare*; id omnes vident ab eorum diſciplina eſſe alienum. Quin & hæc diſerta habet, *Quamvis* (inquit) *de hac re diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atque alia cuſtodire videantur, Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum reverenter abſtinere.* Hæc vero iſte, quæ cum Διαταγέων ſententia pugnant, nunquam ab *antiquioribus Romanorum* repetiviſſet, ſi Clementem, antiquiſſimum Romanorum epiſcopum, Διατάξεων authorem, ſcriptoremque eſſe ſciviſſet, Itaque concludendum eſt, & Auguſtinum & Gregorium noſtros Διαταγέας vel neſciviſſe, vel certe nihili feciſſe.

Neque dum illi ex ſuis tenebris vel anno Domini 664. emerſerant; ut ex eo apparet, quod cum Beda *a* aliquot Britannorum Scotorumque cum Anglis Romaniſque de Paſchate diſſidentium colloquia deſcribat, nuſquam memoret ad hanc decidendam litem in medium allatam Conſtitutionum authoritatem, *Colmannus* pro Scotis majorum traditionem, & Joannis Apoſtoli uſum obtendit; *Vuilfrid*

a *Ibid.c.* 25.*p.*76. 77. 78.*c.* 26. *Vid. &* 1. 4. *epiſtolam Colfridi p.* 141.

Vuilfrid pro Anglis Romæ, & reliqui (prę-
ter unum Britonum & Pictonum angulum)
Chriſtiani orbis conſuetudinem, Petrique
Apoſtoli inſtitutum objicit; multaque alia,
vana pleraque & incerta, utrique jactant *a*. a *Ibid.*
Διαταγέων decretum, quod omnem hanc
quæſtionem ad unguem definit, nullus vel
Vuilfrid, vel alius memorat. Ne ergo du-
bitaveris, quin ignotus iſtis fuerit τῶν Δια-
ταγέων codex.

Sed & hinc videre eſt, quam nihili no-
ſtras Conſtitutiones Latini fecerint. Con-
ſtans eſt apud eos & jam inde à Gregorio
I. ab omnibus fere, qui Liturgica ſcripſe-
runt, diſerte expreſſa ſententia, ſimpliciſ-
ſimum fuiſſe Apoſtolicis temporibus eucha-
riſtiæ ritum. Gregorius quidem tradit, *mo-* b *L. 7.*
rem Apoſtolorum fuiſſe, ut ad ipſam ſolum- *ep. 63. ad*
modo orationem Dominicam oblationis ho- *Greg. Syr.*
ſtiam conſecrarent; precemque illam, quæ
ſuper oblationem dicitur, *à Scholaſtico com-*
poſitam eſſe ait. Alcuinus *c*, qui ſub Caro- c *L. de di-*
lo Magno, circa octavi ſæculi exitum, no- *vin. offic.*
ni initia floruit, *in miſſa tres tantummodo* *Bibl. Pat.*
orationes in initio fidei prolatas fuiſſe ſcri- *T. 10. p.*
bit. Amalarius *d*, *ſolam benedictionem Epiſ-* *277. D.*
coporum, aut presbyterorum ad benedicen- d *De div.*
dum panem & vinum, quo reficeretur po- *off. l. 3.*
pulus ad animarum ſalutem, ſine cantori- *præf. B.*
bus, & lectoribus, & cæteris, quæ ibi agun- *PP. T. 10. p. 835.*

tur; ſatis eſſe, ſicut (inquit) *primævis temporibus fiebat apud Apoſtolos.* Rabanus quoque ait *a*, quod *Chriſtus benedictione, & gratiarum actione corporis & ſanguinis ſui ſacramenta dedicavit, exinde Apoſtolos imitatos feciſſe, & ſucceſſores ſuos facere docuiſſe; neque initio morem iſtum cantandi fuiſſe, qui nunc* (inquit) *in Eccleſia ante ſacrificium celebratur:* moxque docet quæ à quibus fuerint addita. Id ipſum multo accuratius exſequuntur Valafridus Strabo, & Rupertus Tuitienſis, viri ſuo quiſque ſæculo doctiſſimi; ille nono, hic duodecimo. Strabonis autem hæc ſunt inprimis verba *b*; *Quod nunc* (inquit) *agimus multiplici orationum, cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximus* (*ut creditur*) *orationibus & commemoratione paſſionis Dominicæ, agebant ſimpliciter.* Mox; *Relatio majorum eſt, ita primis temporibus miſſas fieri ſolitas, ſicut modo in paraſceve Paſchæ* (*in quo die apud Romanos miſſæ non aguntur*) *communicationem facere ſolemus, id eſt præmiſſa oratione Dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione Paſſionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicaſſe & ſanguini, quos ratio permittebat. Proficiente dehinc religione amplius aucta ſunt à Chriſti cultoribus*

a *De inſt. Cler. l.* 1. *c.* 32. *ext. T.* 10. *B. PP. p.* 584. *c.*

b *L. de reb. Eccl. c.* 22. *T.* 10 *Bibl.*

ribus officia miſſarum, &c. *Non quod aliqui ſequentium Apoſtolis fuerint ſcientia, vel religioſitate majores, ſed quia illi maxime curabant ab infidelitate ad fidem, à tenebris homines ad lucem vocare & in veritate ſtabiles reddere ipſa facilitate religionis melius, quod volebant, rudibus perſuadere potuerunt.* Rupertus vero Tuitienſis ſuam hanc diſſertationem ita orditur; *Olim non tanto exteriori apparatu decoris Miſſarum ſolennia celebrabantur; nec ab uno quolibet omnis religioſi obſequii gloria conſummata & perpolita eſt.* Idem multis ante Rupertum annis docuerat Berno Abbas; idque allatis, quæ nuper recitavimus, Gregorii verbis affirmaverat *b*; miſſæq; & canonem ipſum, & cætera paulatim à diverſis ſuam ſingulis veluti ſymbolam conferentibus, aucta, ornataque, & expolita fuiſſe. Ac idem quoque tradit Micrologus ejuſdem ſæculi, id eſt undecimi ſcriptor *c*; & Radulphus item Tungrenſis, qui cum multa in hanc rem vana afferat, illud tamen rotunde fatetur *d*; *Ab initio cum adhuc novilla eſſet Eccleſia, Apoſtolos cum ſanctificatione crucis & oratione Dominica, prout in quibuſdam ſcripturis veteribus reperitur, & in quotidianis veſtibus, & ligneis calicibus celebraſſe.* Author item ejus libri, qui Gemma Animæ inſcribitur, Apoſtolos

a *L. 2. de div. off. c. 21. in.*

b *Libello de ritibus miſſæ c. 1. T. 10. B. PP. p. 693.*

c *c. 12. Bibl. Patr. T. 10. p. 738.*

d *De canon. obſerv. propoſit. 23. T. 10. Bibl. Patr. p. 115. b.*

los

los ait a, *ſuper panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixiſſe*; quæ verba apud Hugonem de Sto. Victore ipſiſſima leguntur b. Hæc eadem multi alii tradunt; omnia falſa, ſtulta, & ridicula, ſi ſupponas iis cognitas fuiſſe, & pro Apoſtolicis habitas Bovianas Conſtitutiones; in quibus c ipſi Apoſtoli totam Euchariſtiæ liturgiam ita plene, atque affatim & multiplici precum ſacrarum varietate, & tanto rituum atque cæremoniarum apparatu, & ea miniſtrorum copia, & eo veſtium, cæterorumque externorum ſplendore inſtruxerunt, exornarunt, atque excoluerunt, ut poſterorum diligentiæ, vel nihil, vel certe perpauca reliqua fecerint. Nemo certe negaverit, magno in id ſtudio incubuiſſe, qui & duos diaconos operanti ſacerdoti aſtare, cum pavonaceis caudis, muſcaſque prætervolantes abigere juſſerunt; quæ diligentia uſque adeo delicata eſt, ut ne noſtro quidem hoc ſæculo à Romanis hominibus, quantumvis ad omnem elegantiam expolitis, in ſuis Sacris, quod ſciam adhibeatur. Itaque & Gregorium, & cæteros, quos memoravimus, neceſſe eſt Bovii Διαταγέας vel omnino neſciviſſe, vel certe pro impoſtoribus habuiſſe; quibus ſcilicet nullam habuerunt fidem; putaruntque omnem illam orationum, cæremonia-

a L. 1. c. 86.

b *De off. Eccl. l. 2. c. 11. in. T. 10. B. PP. p. 1394. a.*

c *Vid. l. 8. Conſt. c. 12. & ſeqq.*

moniarumque pompam, quam Boviani Διαταγεῖς Apoſtolis authoribus tribuunt, nihil habuiſſe cum Apoſtolorum ſimplicitate, atque parſimonia commune.

CAP. XIV.

Arg. XXVII. Valafrido Straboni ignotæ Conſtitutiones. Arg. XXVIII. Imo & toti Latinorum Eccleſiæ, quæ duo earum de Exorciſtis & inferioribus ordinibus decreta jampridem violat.

AC quando in iſtorum Liturgiæ interpretum mentionem incidi, illud quoque præter hæc obiter annotare nõ pigebit, Valafridum Strabonem, quam ſibi incognitæ fuerint Διαλάξεις eo inſuper fateri, quod ſcribit, *primis temporibus, illis ſolummodo baptiſmi gratiam dari ſolitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut ſcire & intelligere poſſent, quid emolumenti in baptiſmo conſequendum, quid confitendum atque credendum; quid poſtremo renatis in Chriſto eſſet ſervandum;* poſtea *augeſcente divinæ religionis diligentia*, cum intellexiſſent, peccato originali infectam eſſe totam hominum naturam, *ſanæ fidei ſectatores ſtatuiſſe parvulos baptizari in remiſſionem peccatorum*; idem etiam

a *De reb. Eccl. c. 26. T. 10. Bibl. Patr. p. 692. b. c.*

a Ibid. p. 690. c. d. e.

am ait *a*, *primo ſimpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos fuiſſe credentes ; inde creſcente proceſſu temporum religionis honore, & inſtitutionum Eccleſiaſticarum uſque ad plenitudinem decus creviſſe, & hujus myſtici lavacri gradatim per temporum augmenta in majus celebrationem creviſſe ; addidiſſe enim alios chriſmatis unctionem ; quam ex veteri ſumptam conſuetudine nemo, qui dubitet, cum primis temporibus impoſitione manuum baptiſmum confirmari ſoleret* , &c. *Alios addidiſſe exorciſmos , alios conſecrationem fontis* , &c.

b Ibid. c. 25. init.

Idem denique docet *b*, *multa poſt revelationem Euangelii tempora tranſiſſe, antequam ita ordinarentur quarundam per diem, & noctem horarum ſolennia, ſicuti nunc habentur*. Hæc iſte nunquam ita ſcripſiſſet, ſi Bovianas Διατάξεις legiſſet, proque veris habuiſſet; in quibus ſcilicet ipſos Apoſtolos audiiſſet diſertiſſime jubentes & parvulos baptizari *c*, & chriſmate tinctos omnes inungi, & exorcizari *d*, & fontem benedici *d*, & horas canonicas certo, ſtatoque ordine precationibus obire, ἐυχὰς ἐπιτελεῖτε ὄρθρου, καὶ τρίτῃ ὥρᾳ, καὶ ἕκτῃ, καὶ ἐννάτῃ, καὶ ἑσπέρᾳ, καὶ ἀλεκτοροφωνίᾳ. *Precationes facite mane, tertia hora, ac ſexta, & nona, & veſpere, & gallicinio.*

c Conſt. l. 3. c. 15. d. & c. 16. & c. 7.

d l. 8. c. 29.

d Conſt. l. 8. c. 34.

Denique (ut ſit finis) duæ ſunt in Διαταγέων

ταγέων Bovianorum volumine Conſtitutio-
nes, etiam à Bellarmino *a* inter errores no- *a l. de Script. Eccl. in Clem. ad a.D.91.*
tatæ, quæ liquido demonſtrant, eos neque
apud veterem, neque apud recentem Lati-
norum Eccleſiam pro Apoſtolis, Apoſto-
licisve viris vel olim habitos fuiſſe, vel nunc
haberi.

Prior conſtitutio decernit ſubdiaconis, lectoribus, & Diaconiſſis manus dum ordinantur, imponi *b*; ὑποδιάκονον χειροτονῶν ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθήσεις ἐπ' αὐτῷ τὰς χεῖρας. *Cum hypodiaconum ordinas Epiſcope, manus ei impones.* Ἀναγνώστην *c* προχείρισαι, ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα. *Lectorem elige, vel conſtitue, manum ei imponens.* Περὶ δὲ *d* διακονίσσης Βαρθολομαῖος διατάσσομαι, ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας. *De Diaconiſſa vero ego Bartholomæus conſtituo, ut manus ei, Epiſcope, imponas.* Altera conſtitutio negat Exorciſtam ordinari *e*; ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται· εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Exorciſta non fit ordinatione. Spontaneæ enim benevolentiæ eſt hoc certamen, & gratiæ Dei per Chriſtum, ſuperventione Spiritus Sancti.* Cum his duobus τῶν Διαταγέων Bovianorum decretis pugnant primo Carthaginenſis Concilii quarti a. D. 398. congregati, canones *f*: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impoſitionem non*

b L. 8. c. 21.
c *Ibid c.* 22.
d *Ibid. c.* 19.
e *Ibid. c.* 26.
f *Can.* 5. *vide de Lect. can.* 8. *de diaconiſſa can.* 12.

non accipit, patinam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. (Multo vero etiam minus vel Lector, vel Diaconiſſę ulla manus impoſitione ordinantur.) Tum *a*; *Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum*; & quæ ſequuntur. Sed & ſecundo ipſa, etiam hodierna Romanæ Eccleſię doctrina, ac praxis, (in qua notum eſt & exorciſtas ordinari, & ſubdiaconis & aliis *minorum*, ut vocant, ordinum miniſtris nequaquam manus in ordinatione imponi) his Diatagέων decretis non minus adverſatur. Ergo vel Apoſtolica neque fuit olim Africana quarti ſæculi Eccleſia, neque eſt hodie Romana; vel iſtæ certe Boviánæ Διατάξεις Apoſtolicæ non ſunt cenſendæ.

a *Ibid. can.* 7.

Cap. XV.

Refellitur putida, frivolaque Trullanorum Patrum, & multorum recentium exceptio, Conſtitutiones hæreticorum fraude, manuque corruptas fuiſſe cauſſantium.

Multa alia ejuſdem generis ex quorumvis Chriſtianiſmi ſæculorum ſcriptoribus obſervari, & ad demonſtrandam Conſtitutionum novitatem afferri poſſent. Sed hæc, ut nobis quidem videtur, ſatis ſunt.

Verum

Verum antequam manum de tabula, breviter expendendum eſt, quod jactari ſolet, corruptos fuiſſe τῶν Διαταξέων codices. Trullani Patres jam olim (a. D. 691.) ſcripſerunt *a*, ὅτι ταῖς τῶν Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος διατάξεσι πάλαι ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων ἐπὶ λύμῃ τῆς Ἐκκλησίας, νοθά τινα καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας παρενετέθησαν, τὸ εὐπρεπὲς κάλλος τῶν θείων δογμάτων ἀμαυρώσαντα, *Apoſtolorum per Clementem Conſtitutionibus jam olim ab heterodoxis ad labem Eccleſiæ aſpergendam adulterina quædam, & à pietate aliena aſſuta, & intermixta fuiſſe, divinorum nobis decretorum elegantiam, ac decoram ſpeciem obſcurantia.* Hæc illi; quæ ad ea Conſtitutionum loca pertinere videntur, quæ Arianicam impietatem ſpirant; quorúm nos ſpecimen ſupra exhibuimus. Bovius, & alii Διατάξεων patroni, quia & ii ipſi, qui opus inter apocrypha cenſent, Baronius, Bellarminus, alii, eo quoque interdum confugiunt, ut quæ ex eo volumine ſibi objiciuntur, ea dicant non eſſe authoris γνήσια, ſed ab alia manu per fraudem codici inſerta. Ita Bovius eam de Paſchate Διάταξιν, quæ libri quinti capite vel decimonono (ut habet Turrianica editio) vel decimo-octavo (ut habet Boviana) extat, totam expungendam putat *b*; *In hoc caput* (inquit) *nihil jam annotandum eſt, ſed id totum*

a *can.* 2.

b *Annot. in loc.*

totum potius delendum, ut nothum ac novum. Ita aliam Διάταξιν, in qua ſabbatum à jejunio immune eſſe debere ſtatuitur, & Baronius & Bellarminus, & ipſe etiam Petavius, à Græcis vel effictam, vel certe in ſuum ſenſum corruptam fuiſſe volunt. Denique ad hanc velut ſacram anchoram confugiunt, quoties aliquid objicitur, quod nulla techna, nullo commento ſolvi, aut explicari poteſt. Ego vero, ſiqua occurreret in manuſcriptis codicibus lectionis in iſtis locis diverſitas, facile iſtis concederem, aliquid in iis ex cauſſæ ſtudio vel à Græcis vel ab aliis fuiſſe mutatum. Nunc cum ſummo omnes codices conſenſu ea ipſa, quæ iſti expungi cupiunt, integra, ac illibata pariter exhibeant; ſummæ, nec ferendæ eſt impudentiæ ea quidem, quæ cauſæ tuæ nihil officiunt, authoris eſſe velle; quæ vero tibi adverſantur, ea notha ac aliena eſſe contendere. Quod ſi id tibi juris in veterum libros ſumis, fruſtra tecum ex iis diſputabitur. Nihil in tota hac diſputatione certi ſupererit. Quod enim tu de his locis Græcos pulſas, illi te itidem de iis accuſabunt, quæ ex Latinis pro Sabbati jejunio afferre ſoles. Cauſſabuntur ea antiquis ſcriptoribus ex cauſſæ ſtudio falſo fuiſſe affiɛta. Atque ita in fumos abibit omnis veterum librorum fides, mutuis diſputantium aliorum in alios

calu-

calumniis fracta, ac eliſa. Huc accedit, quod nullam fere veri ſpeciem habeat omnis hæc iſtorum criminatio. Trullani Patres putant, ſincero Apoſtolicorum Conſtitutionum codici inſperſa ab hæreticis impia quædam, quæ in iis leguntur. Arianos, ut opinor, dicunt. Sed ſi hoc ab Arianis factum eſt, cum non alio, quam cauſæ ſuę juvandæ ſtudio id ab iis factum fuiſſe dici poſſit; cur illi quod quidem ex veterum monumentis ſciamus, nunquam uſi ſunt his in diſputando præſidiis? Miros nobis narras impoſtores; qui impoſturam quidem faciunt; cæterum ob quem eam faciunt, fructum, nullum ex ea percipere ſatagunt. Tum, ſi quæ in his libris Eccleſiaſticæ vel fidei, vel traditioni adverſantur, eorum authores Ariani cenſendi ſunt; cur vel quo conſilio illa tam multa ſupra à nobis denotata peccarunt, quæ nihil plane ad Arianorum adverſus Catholicos cauſam pertinent? Si hęc labes ab Arianis eſt, veraces erunt libri in iis, quæ nihil ad Arium. At præter hęc innumerabilia ſunt, graviſſima omnis generis in iſtis libris peccata. Non eſt ergo veriſimile, adulteratos ab Arianis fuiſſe hos libros. Potius putaverim, eos ab homine & antiquitatum Eccleſiaſticarum parum perito, & inſuper Ariano, jam inde à principio ſcriptos fuiſſe. Pari laborat ineptia Latinorum in Græ-

Græcos calumnia. Græci enim, ſi libros iſtos vitiaſsent, ea tantum parte vitiaſſent, quę ad ipſorum adverſus Latinos controverſias ſpectat; cætera ſincera, & à labe omni pura manſiſſent. Nunc longe aliter res habet; Nam & illa quæ Græcis in hac cauſa favent, pauciſſima ſunt, & cætera, quæ nihil ad privatas Græcorum opiniones pertinent, contaminatiſſima ſunt, & innumeris mendaciis, atque erroribus plena, quod ex iis quæ ſupra diſputavimus, ſatis jam conſtare arbitror. Sed utcunque ſeſe res habeat, de ea nobis quidem non eſt vehementer laborandum. Neque enim ſi vel ab Arianis, quæ Trullani denotant, vel à Græcis, quæ Latini, ea in Conſtitutionum codicem de ſuo prȩter ſinceram primi ſcriptoris editionem inſulta fuiſſe conceſſerimus, eo fiet, ut Apoſtolorum, vel Clementis vere fuerit primo ſcriptus ac editus Conſtitutionum codex; quia ſcilicet præter iſta à Trullanis, Latiniſque denotata alia ſunt in iis libris pœne innumerabilia novitatis argumenta. Quo factum eſt, ut ipſi illi Baronius, Bellarminus, ac Petavius, qui fraudis hujus Græcos arceſſunt, nihiloſecius tamen de toto Διατάξεων opere graviter dubitent; imo ne dubitent quidem, quin id Apocryphum ſit, falſoque vel Apoſtolis, vel Clementi ſuppoſitum. Denique ſi bene repu-

Digitized by Google

reputes, hæc ipſa Trullanorum, Latinorumque exceptio evidentiſſime conficit, nihil minus quam Apoſtolicas, Clementinaſve eſſe has Conſtitutiones. Illos enim utroſque (Trullanos, inquam, Patres, Latinoſque Scriptores) aliquid ſincero Conſtitutionum codici ab aliena manu additum, cauſantes, pariter convenio. Rogo, ut codicem aliquem Græcum, Latinumve edant, ac proferant, ſincerum, à quo iſta abſint, quæ additititia, ac adulterina eſſe contendunt? Illi vero nullum proferre poſſunt; rotundeque adeo confitentur, nullos Conſtitutionum codices impias adulteratorum manus effugiſſe; omnes eorum fraude corruptos fuiſſe, ac vitiatos. Cum vero clarum, manifeſtumque ſit, non alios vel ab hæreticis, vel à ſchiſmaticis vitiatos eſſe, vel vitiari potuiſſe Conſtitutionum codices, quam quos ipſi penes ſe, & in ſua poteſtate habebant; profecto horum alterum fatendum eſt, vel ſinceros, etiam poſt hæreticorum & ſchiſmaticorum ſcelus, aliquos remanſiſſe penes Catholicam Eccleſiam Apoſtolicarum Conſtitutionum codices, quo tempore vitium iis oblatum eſt. (Neque enim credibile eſt etiam eos ipſos, qui penes Catholicos erant, ab hæreticis & ſchiſmaticis fuiſſe corruptos.) Atqui Trullani Patres liquido confitentur, ſinceros

ros Conſtitutionum libros, & ab ea hæreticorum, de qua conqueruntur, labe intactos nullos ſe penitus noſſe; qui ſcilicet totum illud Διατάξεων opus ob iſtam labem explodunt, atque abjiciunt, quod ex veris, ſinceriſque codicibus emendari, ac corrigi juſſiſſent, ſiqui ipſis melioris notæ libri fuiſſent, quam ii, qui ab heterodoxis corrupti circumferebantur. Neque enim librum vere Apoſtolicum quiſquam ideo, quod ab aliquo hæretico corruptus ſit, abjiciendum putaverit; ſiquis ſuppetat ejus ſincerus ac emendatus codex. Neque Catholici, credo, Lucæ Euangelium & Pauli epiſtolas ideo olim abjecerunt, quod multi utriuſque operis circumferrentur à Marcione vitiati, multiſque modis interpolati codices. Planum ergo eſt, Tertullianorum Patrum temporibus nullum fuiſſe Conſtitutionum codicem, à quo iſta abeſſent, quæ illi addititia eſſe putant. Jam neque noſtra memoria ullus repertus eſt earundem Conſtitutionum liber manu ſcriptus, in quo illa, quæ nunc Latini à Græcis aſſuta ajunt, deſiderentur; eademque in Conſtitutionibus jam olim ante ſexcentos annos fuiſſe, certa inde fides eſt, quod ea ipſa Latinis jam tum objiceret Nicetas; quo tempore Humbertus, non quod nunc alii Latini, hæc à Græ-

Græculorum, non ab authoris manu, eſſe reſpondebat; ſed ſimplicius, & meliori quidem fide ipſum Conſtitutionum opus, ut apocryphum, & fabuloſum, & à Patribus rejectum, totum reſpuebat. Ex his ſatis, ni fallor, liquet, nullum ſuperfuiſſe Conſtitutionum codicem ab hæreticorum, & ſchiſmaticorum fraude intactum, atque illæſum. Itaque illud alterum, quod poſui, neceſſario ſtatuendum eſt, nullos penitus apud Catholicos fuiſſe Conſtitutionum Apoſtolicarum codices, quo illi tempore ab hæreticis, & ſchiſmaticis temerati ſunt. (Si enim apud eos aliqui fuiſſent, ii profecto, etiam poſt alios codices corruptos, ſinceri ac puri remanſiſſent.) Quod ſi verum eſt, (ut ſane eſt, & quidem neceſſario, ſi ſtet quod iſti volunt, vitiatos fuiſſe Conſtitutionum libros) quis non ex eo ipſo intelligit, nihil minus quam pro veris Apoſtolorum, Clementive libris habitas ab illorum temporum Catholicis fuiſſe Bovianas Διατάξεις? Scilicet ejus operis, quod vere illorum authorum fuiſſe crederet, nullum apud ſe Eccleſia, neque Græca, neque Latina, codicem haberet! hunc theſaurum, ſuæ fidei, ac curæ creditum, ſic negligeret, ut eum ſibi de manibus totum eripi ab inimicis, corrumpique fineret? Vos, Trullani, appello; qui ab hetero-

rodoxis notha quædam, & à pietate aliena huic operi admixta fuiſſe dicitis. Cur iſta ſpuria, & adulterina à ſinceris non ſecernitis? cur opus ex Eccleſiaſticorum codicum fide non emendatis ac repurgatis? Nullos (inquiunt) habemus codices ſinceros. Quis eos vobis, quis majoribus veſtris de ſinu, ac de ſcriniis eripuit? Siccine cuſtoditis divinum Apoſtolorum à Clemente apud parentes veſtros depoſitum fidei ac pietatis monumentum? Ubi fides? ubi pietas? ac vigilantia veſtra? ut vobis librum Apoſtolicum hoſtis ſic totum excuſſerit, ut ne unum quidem ejus exemplar ſanum, ac integrum penes vos remanſerit? Atqui longe alia fuit Eccleſiæ veteris in eos, quos vere Apoſtolicos fuiſſe ſcimus, libros cura, ac providentia. Sæpe illos hæretici vitiarunt, mutilarunt, auxerunt, interpolarunt, ſuiſque zizaniis impleverunt; nunquam ita penitus in ſacros illos codices grasſati ſunt, ut non aliqua ſemper extiterint apud Eccleſiam integra, atque illæſa divinorum librorum exemplaria. Abſit, ut quæ hos tam ſtudioſe, tamque ſollicite puros atque incorruptos ſervavit, ac vobis tradidit, eam nos Eccleſiam exiſtimemus in alios, ſiquos nosſet veros Apoſtolorum vel Apoſtolici Clementis partus, ita futuram fuiſſe negligentem, ut eos ab exteris

omnes

Digitized by Google

omnes rapi, ac violari ſineret; vobis ne unum quidem eorum exemplar verum, ac ſincerum relinqueret. Hæc, ſi ipſa quoque vel Apoſtolica, vel Clementina vere eſſent, vetus Eccleſia & cuſtodiiſſet accurate, & ad poſteros fideliter propagaſſet, neque ulla hæreticorum fraus effeciſſet, quominus ſacrum hoc peculium apud vos à majoribus depoſitum nunc quoque maneret. Hoc ipſum, quod vos vultis corruptos eſſe omnes omnino Conſtitutionum codices, liquido arguit, non fuiſſe eas vel ab Apoſtolis, & Clemente Eccleſiæ ab initio traditas, vel ab Eccleſia eo loco, atque numero habitas. Nihil enim eorum, quæ hujus cenſus ſunt, vetus Eccleſia aut interire, aut ſic in univerſum deformari, ac corrumpi paſſa eſt. Ac ne id fiat, & ad Dei providentiam, & ad hominum ſalutem, atque ædificationem pertinet. Eadem ratio adverſus ſimilia cauſſantes Latinos militat; & quidem eo validius, quod cum Clemens, Romæ Epiſcopus, Conſtitutionum ſcriptor fuiſſe dicatur, Romanæ quam ullius alterius Eccleſiæ majorem eſſe decuit curam, ac ſollicitudinem in eo κειμηλίῳ aſſervando, tuendoque, ac cuſtodiendo, quod ab uno ex primis, ſanctiſſimiſque ejus antiſtitibus apud ipſam depoſitum, ipſius quodammodo proprium peculiareque

erat. Quod cum non fecerit, ſed a ſchiſmaticis totum invadi, ac occupari ita paſſa ſit, ut ne unum quidem exemplar ab eorum manibus illæſum defenderit; apparet, totum opus quam nihili fecerit, quam non Apoſtolicum cenſuerit. Certe id uſque adeo deſpexit, ut ne Latine quidem ab aliquo ſuorum hominum verti olim juſſerit, aut ſategerit; Ac ne unum quidem id volumen apud nos aliud, quam Græcum extaret, niſi Bovius, & Turrianus Latine nudius tertius edendum putaſſent. Ita quæ adverſarii de operis hujus corruptione afferunt, ea ipſa noſtram de ejus novitate ſententiam clare, liquidoque confirmant.

Cap. XVI.

Excutitur ac confutatur abſurda, & inanis Albaſpinei de Conſtitutionibus conjectura, ſive potius deliratio.

ITaque nullus nunc amplius ſupereſt locus dubitandi, quin vere, meritoque & noſtri homines & adverſariorum coryphæi Baronius, Bellarminus, Petavius, aliique, Bovianarum Conſtitutionum libros octo apocryphos eſſe cenſuerint; non ab Apoſtolis, quod libri ipſi mentiuntur, non à Clemente, quod præ ſe ferre operis titulus videtur,

videtur, ſed ab alio aliquo Apoſtolorum, & Clementis nomine multis poſt eos mortuos temporibus ſcriptos atque concinnatos fuiſſe.

Sed & ex ſuperioribus liquido patet, falſiſſimum id eſſe, quod ſcribit Albaſpineus *a*, nemini dubium eſſe debere, *quin probus juxta & antiquus ſit Conſtitutionum liber*; *certoque ſe affirmare poſſe, trecentis primis annis eo Eccleſiam Græcam, tanquam rituali & Pontificali uſam eſſe, quique eas attentius legerit, judicaturum, additas decurſu temporum primis novas, quemadmodum & novæ leges, ac Conſtitutiones in regimine Eccleſiæ, novis occaſionibus enatis, factæ ſunt.* Quis vero iſtum crederet ita de iis ipſis Conſtitutionibus cenſurum, quas paulo ante negaverat *Apoſtolorum authoritate ſancitas publicataſque*? etiam velut *imperitos* ſugillans, qui aliud de his affirmarent? An ergo probus huic Epiſcopo is liber videtur, qui mendaciis ſcatet? qui ſe Apoſtolicum aut Clementinum eſſe profitetur, cum neque Apoſtolicus ſit, neque Clementinus? qui tempora miſcet? totamque Apoſtolicæ hiſtoriæ ſeriem fœdiſſime perturbat? qui ſanctiſſimis Apoſtolis impias Arianorum Macedonianorumque voces affingit? qui inaudita feſta, jejuniaque in Eccleſiam inducit? & alia hujus generis ſexcenta peccat?

a L. 1. obſer. c. 13. p. 38. intr. med.

b *Ibid.* p. 37.

cat? Si probi ſunt hujus farinæ libri, haud equidem ſcio, qui nam *mali ac improbi* libri cenſendi ſint. De libri ævo, quod addit, fateor non eſſe nuper natum, *antiquum* ſi dicit, ante quartum, quintumve ſæculum ſcriptum, atque editum non aſſentior; & multa ſupra dixi, quæ aliud ſuadent. Quod vero *certo affirmare ſe poſſe* ait Albaſpineus, *eo libro tanquam rituali & Pontificali trecentis primis annis uſam eſſe Græcam Eccleſiam*, id inquam ego quidem non capio. Si enim (quod ille nunc ait) verum eſt, profecto neceſſe eſt, eum librum jam ab initio trium illorum ſæculorum, ſcriptum, editumque fuiſſe ab Apoſtolis; (Neque enim fieri poteſt, ut Græcorum Rituale fuerit id volumen, quod nondum ſcriptum, nondum editum erat) Atqui ipſe Albaſpineus nuper negabat eas, quæ hoc libro habentur Conſtitutiones, *Apoſtolorum authoritate ſancitas fuiſſe*. Ergone Græca Eccleſia pro *rituali Pontificalique*, ipſo Apoſtolorum ævo habebat Conſtitutiones, *Apoſtolorum authoritate neque ſancitas, neque publicatas*? Iſta mihi non videntur cohærere. Neque conjicere poſſum, quænam illa ſint argumenta, quibus Albaſpineus *certo ſe affirmare poſſe* ait, hunc librum *trecentis primis annis Eccleſiæ Græcæ* pro rituali fuiſſe. Nos vero ſupra fuſe, liquidoque demonſtra-

monſtravimus, multa eſſe in hoc libro de jejuniis, de feſtis, de aliis plurimis decreta Græcis Chriſtianis partim primo, ac ſecundo, partim etiam toto tertio ſæculo; imo etiam ſequentibus ad noſtram memoriam temporibus inuſitata. Illud quidem ſcire pervelim, cujuſnam ſæculi Eccleſia apud Græcos inſtitutum ab hoc ſuo ſcilicet Rituali ſabbati feſtum obſervaverit? aut proximam poſt Pentecoſten hebdomadem feſtam celebraverit, ex hoc ſuo Pontificali? ut alia mittam non pauca, quæ licet ſequentia ſæcula obſervaverint, primis tamen tribus nullo fuiſſe in uſu conſtat? Denique quod ait Albaſpineus, *qui hos libros attentius legerit, eum judicaturum additas decurſu temporum primis novas conſtitutiones, quemadmodum novæ leges in regimine Eccleſiæ, novis occaſionibus enatis, factæ ſunt*; id, inquam, nulla neceſſaria atque evidenti ratione vel probat, vel probare poteſt. Fateor, quod ille ait eſſe veriſſimum, *novas in Eccleſia* leges pro re nata, interdum etiam abs re, factas, & antiquis additas eſſe; eoque Eccleſiaſticam & fidem & diſciplinam è ſimpliciſſima, qualis ab Apoſtolis tradita erat, paulatim evaſiſſe multiplicem, ac immenſam, novis illis ex variis occaſionibus enatis legibus, decretis ac inſtitutis auctam. Id quoque, quod ille pa-

riter ſtatuit, non tantum confiteor, ſed etiam exoſculor, ambabuſque ulnis amplector, quæ in codice Boviano hodie leguntur leges, eas non unius ejuſdemque ſæculi eſſe, ſed diverſorum temporum; alias antiquiſſimas; alias antiquas; alias novas; alias etiam novis recentiores; ut quæ hactenus diſputavimus attentius intuenti liquebit. Cęterum ex his id ſequi nego, quod inde Albaſpineus judicare nos jubet; nempe novas antiquis leges, prout in ſæculorum decurſu fiebant, ita & in hoc ipſum Διαταγῶν volumen variis temporibus relatas fuiſſe; ſic, ut is liber jam ab initio fuerit quidem, ſed brevis; mox ſecundo verbi gratia ſęculo, tertioque item & quarto ſubinde adjectis pro temporum ordine novis, quę recens factæ erant, legibus, auctior in hanc, qua nunc hodie eſt, molem tandem creverit. Nihil nos cogit de Διαταγῶν volumine ita judicare. Cur non potius cenſebimus, quod res eſt, operis quidem authorem ſimul, ſemelque in volumen ſuum conjeciſſe omnes eas conſtitutiones, quę nunc in eo leguntur; ſed authorem illum, quiſquis eſt, impoſtorem fuiſſe, qui cum ipſe poſt jam conſtitutam in Eccleſia multo maximam illarum legum, quas memorat, partem, (id eſt ſequioribus ſæculis, quarto fortaſſe, aut quinto) viveret, quo præſentis

tis Eccleſiæ decretis plus ponderis, atque authoritatis adderet, finxit eas ab Apoſtolis ipſis decerni? Ut ſiquis hodie Jeſuitarum librum ederet, in quo Apoſtolos faceret loquentes, omniaq; Eccleſiæ Romanæ inſtituta, ac dogmata, etiam multis poſt Apoſtolicam ætatem ſæculis nata, etiam nupera, docentes ac decernentes. Non nego, quod affert Albaſpineus, Græcos uno eodemque volumine, cui nomen eſt, Codex canonum Eccleſiæ univerſalis, omnes tum antiquos, tum recentes, ad ſua tempora, diverſarum ſynodorum canones, ſub eodem numerorum ordine, complexos eſſe. Et ſi ſimilis eſſet Conſtitutionum liber; ſi nudas diataxes per numeros diſpoſitas haberet; ſi eas nullis certis perſonis tribueret; ſi nihil narraret; faterer, id quod de eo nos judicare vult Albaſpineus, non abſurde de hujuſmodi libro opinaturos. Nunc vero Διατάξεων plane alia ratio, ac forma eſt. Nam in iis Apoſtoli in unum congregati finguntur iſta decreta plurima in commune omnes, aliqua ſeorſim ſinguli facientes, ſcribentes, ad Eccleſias univerſas per Clementem mittentes. Hujus generis volumen non capit illa ſucceſſiva aliarum, quam quas ab initio habebat, cum primum ſcriptum eſt, legum additamenta. Et ſiquis libro ita inſtituto, ſequentibus tem-

poribus adjecit, is planus atque impoſtor fuit; æque ac primus operis author. Certe nullam in Conſtitutionibus legimus earum legum, quas poſt quartum ſæculum, quintique initia factas fuiſſe conſtat. Nimirum videbant illorum temporum homines, librum numeris ſuis omnibus abſolutum, neque debere, neque citra fraudem & impoſturam poſſe novis additamentis augeri.

CAP. XVII.

De authore ac tempore Conſtitutionum non plane liquere. Nihil cogere ut ante Nicænam ſynodum prodiiſſe; multa ſuadere, ut diu poſt eam publicatas credamus. Concluſio totius diſputationis.

QUOD ſi quæras, à quibus viris quove nominatim tempore ſcriptus, conſarcinatuſque ea, qua nunc eſt, forma fuerit Conſtitutionum liber; primo reſpondeo, nihil eſſe quod ea de re vehementius laboremus. Satis eſt, quod librum fictitium, atque ſuppoſititium, falſoque ſive Apoſtolis, ſive Clementi adſcriptum, adhæc peſſimæ inter apocryphos notæ, mendaciorum atque errorum plenum eſſe deprehendimus. Ut nummum qui ſcit eſſe adulterinum, ſatis habet eum rejicere, ac repudiare; Quando, ubi, à quo cuſus, ſignatuſque fuerit, quærendum

Digitized by Google

rendum non putat. Id vero præterquam quod quæſitu ſupervacaneum, adhæc inventu difficile eſt, quod quæ homines mentiuntur, ea furtim, ac in tenebris plerumque moliuntur; ut non ſit facile eorum originem, diemque (ut ſic dicam) natalem inveſtigare. Si tamen, ut in re obſcura, conjecturas & argumenta admittere libet, illud inprimis pro certo conſtitui poſſe mihi videtur, fuiſſe hoc opus ante finem quinti ſæculi ſcriptum atque editum. Primo enim cum multa habeat, tertio quartoque ſæculis in Eccleſiæ mores, ac diſciplinam invecta, nihil eorum, quantum memini, exhibet, quæ poſt quintum ſæculum de novo inducta ſunt; nullam imaginum uſpiam mentionem facit; nullam reliquorum, quæ prioribus temporibus inuſitata, iſtis frequentari cœpere. Huc accedit, quod *illos octo Clementis libros*, quos à Gelaſio Romano epiſcopo in ſuo Concilio a. D. 494. memoratos, damnatoſque, & inter apocrypha rejectos fuiſſe ſupra diximus, veriſimillimum eſt, eos ipſos eſſe Διατάξεων libros, quos nuper ediderunt Bovius, ac Turrianus. Certe ita ſenſit olim Humbertus Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, a. D. 1050. quod fuit à nobis in prima parte hujus operis obſervatum. Sed & ex iis quæ ſupra ſunt à nobis diſputata, non minus cla-

 rum,

rum, minuſve certum eſſe videtur, non fuiſſe iſtos libros ante Synodi Nicænæ tempora, hoc eſt ante a. D. 325. ſcriptos editoſve. Quod cum multa, quæ nihil opus eſt repetere, probent, tum illud inter cætera evidenter arguit, quod hoc opus ſcriptum fuerit cum jam Chriſtiani eſſent Romanorum Cęſares: Ut illud mittam, quod eorum, qui ante Synodum vixerant, ſcriptorum nullus eſt, qui hujus operis vel tenuiſſimam notitiam præ ſe ferat. Quod enim à viris doctiſſimis, ac præſtantiſſimis de Tertulliano ac Dionyſio Alexandrino affertur, (quaſi ipſorum temporibus, hoc eſt ante a. D. 204. & 208. Conſtitutiones iſtæ extarent) id, inquam, perquam infirmum eſt. Ac Tertulliano quidem quam ignotæ eſſent Bovianæ illæ noſtræ διατάξεις, nos ſupra neque paucis, neque obſcuris rationibus ita probavimus, ut iis expenſis neminem repugnaturum arbitremur. Sed viri doctiſſimi, poſt Turrianum putant, Διατάξεως de Phœnice libro operis quinto ſententiam à Tertulliano his verbis in libro de reſurrectione expreſſam fuiſſe a; *Animalis eſt res & vitæ obnoxia, & morti; illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum; qui ſemetipſum lubenter funerans renovat, natali fine decedens, atque ſuccedens*

a *De reſurr. car. c. 13.*

ſuccedens, iterum phœnix, ubi jam nemo; iterum ipſe, qui non jam; alius, idem. Quid expreſſius, atque ſignatius in hanc cauſam? aut cui alii rei tale documentum? Hæc Tertullianus. In quibus phœnicis hiſtoriam audio; nullos Apoſtolos, nullum Clementem audio. Sed (inquis) unde hęc de phœnice habet, ſi non à Conſtitutionibus habet? Quid? Si me neſcire reſpondero: an ideo, quod hæc unde habeat, neſcimus, eo fiet, ut ex Conſtitutionum codice ea habuerit? Sed res clara eſt. Hiſtoriam ipſam, etiamſi nullas Apoſtolorum Conſtitutiones legiſſet, neſcire profecto non potuit, cujus pleni ſunt veterum Paganorum libri; quam totam non ſolum accurate, ſed etiam ambitioſe ſcripſerunt & Herodotus olim, & poſtea Plinius, & Tacitus, & utroque vetuſtior Seneca, Latinorum nobiliſſimi; nequid de Mela, & Solino, & aliis dicam. Ab his Tertullianus habere potuit; imo habuit, quæ de Phœnice narrat. Quanquam & de Chriſtianis nonnemo fuit, à quo ei hæc diſcere licuerat; ſcilicet epiſtolæ ad Corinthios omnibus illorum temporum Chriſtianis cognitiſſimæ ſcriptor Clemens; ut nihil neceſſe ſit Conſtitutiones jam tum extitiſſe, è quibus hæc diſceret; quæ (ut liquet) & à Paganis, & à Chriſtianis

nis haurire licebat; quanquam equidem eum ad Paganorum potius, quam ad Clementis narrationem hoc loco reſpexiſſe crediderim. Sed Phœnicem (inquis) à Paganis Tertullianus habuerit, phœnicis certe ad reſurrectionem probandam uſum à Paganis, qui reſurrectionem neſciebant, nõ habuit Διαταγέως exemplo, qui hanc hiſtoriã eodem refert, habuit. Quaſi vero Tertulliano, viro acutiſſimo, ac ſagaciſſimo, & ad miraculum erudito, quam Διαταγεῖ, homini, ut apparet, craſſo, & ad prodigium ſtulto, difficilius fuerit, quod de phœnice apud Naturæ Scriptores reperiebat, id ad reſurrectionis argumentum transferre. Atqui res ipſa eo per ſe ducit; neque ullum eſt tam mediocre ingenium, cui promptum non ſit id ſtatim odorari. Quanquam & ſi Tertullianum adeo hebetem fuiſſe fingamus, ut id per ſe & ſuo marte deprehendere non quiverit, ne ſic quidem ſequetur, neceſſe fuiſſe extare Διαταγέας, à quibus doceretur eam hiſtoriam ad reſurrectionem referre. Præſto enim aderat alius, qui moneret, ſcilicet author epiſtolæ ad Corinthios Clemens; Ea enim, & tum, ut omnes fatentur, extabat, & hanc de phœnice narrationem ipſa quoque ad confirmandam reſurrectionis noſtræ fidem adhibet. Sed Clementem mittamus. Tertul-

lianus

lianus enim ipſe profitetur longe alium ſibi fuiſſe hujus cogitationis authorem; Nempe Pſalmographum; *Deus etiam* (inquit) *Scripturis ſuis*, & florebit enim, *inquit*, ut phœnix; *id eſt de morte, de funere, uti credas de ignibus quoq; ſubſtantiam corporis exigi poſſe.* Hæc ex pſalmis petita conſtat; in quibus quod græce apud LXX. legitur ὁ δίκαιος ὡς φοίνιξ ἀνθήσει, Septimius de *phœnice* ave ſumpſit, nominis φοίνιξ ambiguo ſponte deceptus, quod ex Hebræo omnis ambiguitatis experte תמר *palmam* arborem hic eſſe certum eſt, non *avem*. Sed Tertullianus vel imprudens, vel (quod potius reor) volens de ave ſumpſit, ut ingenioſe ad argumentum ſibi propoſitum inflecteret; quales interdum luſus, etiam apud Patres, occurrunt. Ambroſio quidem, & ipſi quoque, ſive ſimilis error, ſive Tertulliani authoritas, *Phœnicem* avem in Scripturis divinis memoratam eſſe perſuaſit. Nulla ergo nobis eſt ex hoc Tertulliani loco neceſſitas id confiteri, quod ab omni veri ſpecie alieniſſimum eſt; jam octavo tertii ſæculi anno extitiſſe Apoſtolis ſuppoſitas Διαταγάς.

a pſ. 91. (heb. 92) 12.

Neque vero anno ejuſdem ſęculi 64. extitiſſe eas perſuadet Dionyſii Alexandrini locus; quem virum & ipſum quoque ex veris, certiſq; ſupra demonſtravimus Conſtitutio-

ſtitutionum librum neſciviſſe. Is apud Euſebium de viſione quædam ſibi divinitus oblata verba faciens, hæc, fateor, habet *a*; ἀπεδεξάμην τὸ ὅραμα, ὡς ἀποςολικῇ φωνῇ συντρέχον τῇ λεγούσῃ πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. *Acceptavi viſionem hanc, tanquam Apoſtolicæ voci conformem, ſic ad potentiores dicenti, Eſtote probati trapezitæ.* Hæc verba, quæ in nullo quidem ex canonicis N. Teſt. ſcriptoribus, expreſſa leguntur, apud Διαταγέας vero totidem litteris atque apicibus deſcripta extant, putant viri illi doctiſſimi *b* Dionyſium ex horum libris ſumpſiſſe, & ἀποςολικὴν φωνὴν dixiſſe, quod Apoſtolorum nomen Diataxes præferrent. Sed hæc ratio nos non cogit, ut concedamus hæc verba ex Conſtitutionibus citaſſe Dionyſium. Primo enim, ut ante & vere obſervavit Reverendiſſimus Vſſerius *c*, Διαταγεῖς hæc verba, non tanquam ſua pronunciant, ut eorum proprie voces dici poſſint, ſed velut ex Scriptura petita afferunt, quod ex ipſa eorum oratione patet. τοῖς ἱερεῦσιν (inquiunt) ἐπιτέτραπται κρίνειν μόνοις. ὅτι εἴρηται αὐτοῖς, κρίμα δίκαιον κρίνατε, καὶ πάλιν, γίνεσθε τραπεζῖται δόκιμοι. *Solis ſacerdotibus judicare permiſſum eſt, quia dictum eſt eis*, Iuſtum judicium judicate; *& rurſus*, Eſtote probi trapezitæ. Vt ergo illud, *juſtum judicium*

a Hiſt. l. 7. c. 3. gr. edit.

b l. 2. c. 32. extr.

c Diſſert. de Ign. c. 8. p. 54. extr.

d L. 2. conſt. c. 36.

judicium judicate; Ita & hoc, *Eſtote probi trapezitæ*, è ſcriptura citant; utrumque non pro ſuo, ſed pro *Scripturæ* dicto uſurpant. Ac illud quidem, quamvis nuſpiam fortaſſe in ſcripturis expreſſum ſit his ipſis verbis, κρίμα δίκαιον κρίνατε, tamen pro ſcripturæ dicto habent, quod res ipſa in multis Scripturarum locis *a* præcepta reperiatur; maxime apud Ioannem *b*, ubi Dominus hæc, quæ ad Διαταγῶν verba proxime accedunt, loquitur, μὴ κρίνετε κατ᾽ ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε, Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate. Eadem eſt alterius dicti ratio, *eſtote probi trapezitæ*. Nimirum etiamſi ipſa verba totidem ſyllabis expreſſa nuſquam in Scripturis legantur, id tamen pro Scripturæ dicto habuerunt Διαταγεῖς, quod ſenſus iis verbis expreſſus in ſacris Scripturis inveniatur. Neque ii ſoli ſic ſenſerunt. Fuerunt multi patres in eadem ſententia. Ut verbi gratia Clemens Alexandrinus, Dionyſiii civis, & conterraneus, ſed eo haud paucis annis vetuſtior *c*, εἰκότως ἄρα καὶ ἡ γραφὴ τοιούτους τινὰς ἡμᾶς Διαλεκτικοὺς οὕτως ἐθέλουσα γενέσθαι, παραινεῖ· γίνεσθε δὲ δόκιμοι τραπεζῖται· τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες. *Merito ergo & Scriptura, tales nos eſſe volens Dialecticos, ſic hortatur*, Eſtote autem probi trapezitæ, alia

a *Deut.* 16. 18. *Zachar.* 7. 9.

b *Ioan.* 7. 24.

c *Strom.* *l.* 1. *extr.* *p.* 354. *d.*

alia quidem reprobantes, quod vero bonum eſt, retinentes. Ut ergo Clemens, ſic & Dionyſius hanc ſententiam, non pro Διαταγέων (quos utrique ignotos fuiſſe ſupra demonſtravimus) ſed pro *Scripturæ dicto* habuerunt. Ac Dionyſius quidem dum eam ſententiam *vocem Apoſtolicam* nominat, in Paulum digitum intendit, cujus hæc ſunt ſcilicet apud Clementem, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες, quæ fere totidem verbis in priore ad Theſſalonicenſes epiſtola etiam in noſtris hodie codicibus leguntur, πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Ergo ex Clementis, Dionyſiique locis inter ſe comparatis patet, utrumque ſcriptorem, dum hæc citant, Paulum in animo habuiſſe. Idem quoque Baſilii verba confirmant, qui uno infra Dionyſium ſæculo vixit. Is enim alicubi eandem ſententiam ita uſurpat; ὡς δόκιμος τραπεζίτης, τὸ μὲν δόκιμον καθέξει, ἀπὸ δὲ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀφέξεται. *Ut bonus trapezita, quod bonum fuerit retinebit, & ab omni ſpecie mali abſtinebit.* Verba ultima *ab omni ſpecie mali abſtinebit*, oſtendunt Baſilium ad Paulum reſpexiſſe, apud quem hæc eadem nuper citatis verbis continuantur, τὸ καλὸν κατέχετε, ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε. His Clementis Baſiliique locis tertium Euſebii addit Rev. Uſſerius ex Apologia

a 1. *Theſ.* 5. 21.

b *In princip. proverb. T.* 1. *p.* 306. *c.*

pologia Origenis *a*, *Ab his qui Origenis libros legunt, iſtud penitus putant excluſum eſſe mandatum, quo probabiles jubentur effici trapezitæ, ſcientes, quod bonum eſt retinere, ab omni autem ſpecie mali ſe abſtinere.* Dubitari non poteſt, quin Euſebius, æque ac Clemens, & Baſilius ad Paulum reſpiciat, cujus totam illam in priore ad Theſſalonicenſes ῥῆσιν recitat. Fronto quidem Ducæus *b*, nobilis Ieſuita, ea de re non dubitavit, qui ad illum Baſilii locum habet. *Quæ ſequuntur*, ut bonus trapezita &c. *alludunt ad illud Apoſtoli* 1. *Theſſal.* 5. 21. *πάντα δοκιμάζοντες, &c.* Eodemque refert illa Gregorii Nazianzeni *c*, ſane appoſitiſſimè;

a *Diſſert. de Ignat. p.* 85.

b *T.* 3. *op. Bas. p.* 36. *col.* 2. *aut. med.*

c *Jamb.* 18.

—— ὥσπερ εὐφυὴς
Ἀργυρογνώμων, εἴ τι μὲν καλὸν δέχου·
Ἀπεκλέγου δ᾽ ἂν μή σε ποιεῖ βελτίω.

— quiſquis es bonus menſarius,
Siquid probandum eſt, accipe, ac per quæ nequis
Probitatis aliquid conſequi, cuncta improba.

Non dubitavit eruditiſſimus, atq; optimus Sylburgius noſter, qui in notis ad locum Clementis nuper deſcriptum, *Alluſio* (inquit *d*) *eſt ad dictum Pauli* 1. *Theſſ.* 5. Ex his nemo non videt, nihil eſſe neceſſe ad Διατάγέας confugere, vel concedere eos

d *p.* 832. *A.*

iſtorum Patrum temporibus jam extitiſſe; quo hæc eorum verba defendantur. Apparet enim ſcriptores iſtos, *Clementem*, inquam, *Dionyſium*, *Euſebium*, *Baſilium*, *Gregorium*, ad Paulum Apoſtolum reſpicere, atque hæc velut ex ejus I. epiſtola ad Theſſalonicenſes ſumpta, ductaque habere; de noſtris Conſtitutionibus non cogitaſſe. Idque etiam ex eo clariſſime confirmatur, quod cum præter hos alii quoque ſint Patres, qui hæc verba memorant, nemo eorum eſt, qui ea τοῖς Διατάγευσι tribuat, aut eos iſta recitans vel leviſſime innuat. Origenes quidem prior; poſtea etiam Hieronymus, non Apoſtolis, ut Dionyſius, ſed Chriſto ea verba diſerte tribuunt; Qui ea Διατάγευσι tribuerit, ex veteribus nemo eſt. Origenes *a*; *Quid aliud ſunt numiſmata, quam divini ſermones, imaginem magni Regis impreſſam habentes, qui conſiderantur à menſariis probatis, gnaris dividendi probata ab improbatis, quæ mentiuntur ſe eſſe probata, & ſervantibus illud Jeſu mandatum,* Eſtote probi trapezitæ; *& Pauli doctrinam dicentis,* Omnia probantes, quod bonum eſt tenentes, ab omni ſpecie mala abſtinentes vos. Hieronymus plane itidem; *Siquis autem* (inquit *b*) *contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanatio-*

a *Tomo. 19. in Ioan. in c. 8. 20.*

b *Ep. 153. ad Min. & Alex. T. 3. fol. 68. d.*

nationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco, Sciat me illud Apoſtoli libenter audire, Omnia probate, quod bonum eſt tenete; *& Salvatoris verba dicentis*, Eſtote probati numularii; *ut ſiquis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur. Qui autem Chriſti faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur.* Origenem & Hieronymum ſequutus Caſſianus (à Rev. Uſſeri[a] noſtro ipſe quoque laudatus) Chriſto, non Apoſtolo, eadem verba tribuit, quo loco nos jubet cogitationes noſtras *ſagaci diſcretione diſcutere, ut* (inquit *b*) *efficiamur ſecundum præceptum Domini probabiles trapezitæ.* Mox, poſtquam trapezitarum munus, actuſque deſcripſit; *Quæ omnia* (inquit) *nos quoque debere ſpiritualiter obſervare Euangelicus ſermo ſub hujus nominis demonſtrat exemplo.* Idem in ſequenti volumine illam hic à ſe tractatam ſententiam commemorans, *Euangelicam probatam* vocat, *qua jubemur* (inquit) *fieri probabiles trapezitæ.* Sunt & alia Patrum loca, in quibus ii ad hæc quidem verba manifeſte alludunt; an vero ea ex ſcripturis citent, non dicunt; qualis eſt ille Hieronymi locus, *Omni* (inquit *c*) *ſtudio legendæ nobis Scripturæ ſunt, & in lege Domini meditandum die, ac no-*

a *ub. ſupr.*

Collat. 1. *cap.* 20. *init.*

b *Ibid. paulò poſt.*

Collat. 2. *c.* 9. *init.*

c *Comm.* 3. *in ep. ad Epheſ. in c.* 4. *extr. T.* 9 *fol.* 101. *c.*

ſte, ut probati trapezitæ ſciamus, quis nummus probus ſit, quis adulter. Alia ſimilia ex Baſilia in caput Iſaiæ quintum, ex Ambroſio in Lucæ procemium, denique ex ejuſdem Hieronymi & Apologia adverſus Ruffinum, & Commentario in Epiſtolam ad Philemonem, repræſentat eruditiſſimus Croius noſter *a*. Noſtrum non eſt, hic quidem excutere quomodo Chriſti ſit hæc ſententia, quæ in nullo noſtrorum Euangeliorum ab [illegible] pronunciata invenitur. Videat qui volet eruditorum de hac quæſtione opiniones; tum apud Alardum Gazæum *b*, tum apud noſtrum in recentiſſimo opere Crojum *c*; quorum alii, ut Ciaconius, *hæc verba in Euangelio ſecundum Hebræos* extitiſſe, indeque *à Clemente & Origene* petita eſſe volunt; alii, in quorum numero ipſe Alardus fuiſſe videtur, putant, hæc quidem in nullo libro ſcripto extitiſſe, ſed tamen vocali jam inde ab Apoſtolis traditione accepta fuiſſe; qualiter illud, quod nullus Euangeliſtarum deſcripſit, *Beatius eſt dare quam accipere*, Paulus Apoſtolus in Actibus *d* Domini Jeſu verbum eſſe dicit; ut Patres hanc ſententiam Chriſto ideo tribuiſſe ſtatuantur, non quod eam à Domino totidem verbis expreſſam, vel in ullis ſcripturis legiſſent, vel ulla traditione accepiſſent; ſed quod eam ſibi

a *Obſeru. in N. T. c. 28. p. 212.*

b *Annotat. in Caſſian. coll. 1. c. 20.*

c. *Obſerv. in N. T. c. 28. p. 212. 213.*

Act. 20. 35.

ſibi viderentur ex quibuſdam parabolicis in Euangelio poſitis Domini ſermonibus, haud abſurde concludere; quales iſti ſunt, a Matth. apud Matthæum *a* quidem, *Oportuit te com-* 25. 27. *mittere pecuniam meam numulariis, ſive trapezitis*; apud Lucam *b* vero hi, in quibus Crojus noſter præcipue pedem figit, πραγ- b Luc. ματεύσασθε, ἕως ἔρχομαι, *Negotiamini,* 19. 13. *dum venio.* Hæc, inquam, & alia nunc mitto. Nam ad præſens inſtitutum ſatis eſt attendiſſe hanc celeberrimam in veteri illa Eccleſia ſententiam, *eſtote probi trapezitæ*; Patres, non Conſtitutionum authori (quod nemo eorum prodit) ſed *Scripturis* canonicis conſtanter acceptam ferre; plane, ut ipſos Διαταγέας, quo loco eam memorant; in eo tantum, cætera concordes, diſcrepare, quod eam alii Apoſtolis, ut Dionyſius, alii Chriſto Servatori, ut Origenes, & Hieronymus, tribuunt. Ac horum quidem eſt difficilior, & impeditior ratio. Dionyſii vero noſtri, qui hanc ſententiam φωνὴν Ἀποστολικὴν vocat, & Clementis, qui ejuſdem Pauli ad Theſſalonicenſes verba continuavit, multo facilior, atque explicatior ratio eſt. Omnino enim videntur ad Paulinum illum locum reſpexiſſe, ac dum eum ex memoria, non ex codice, recitant, Pauli quidem ſenſum edidiſſe; verba ipſa (quod ex

memoria aliquid pronuntiantibus contingere ſolet) non uſque adeo accurate expreſſiſſe. Cum enim Paulus ita dixerit, πάντα δοκιμάζετε, Clemens hoc quod Paulus proprie ac ſine figura expreſſit, improprie ac figurate, adhibita elegantiſſima, & in Scripturis obvia ſimilitudine, ita elocutus eſt, γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. Nam ſi recte rem putas, idem uterque ſenſus eſt, *Omnia probare*, & *probum trapezitam eſſe*. Verba tantum alia atque alia ſunt. Sequentia vero apud Paulum, τὸ καλὸν κατέχετε, Clemens etiam illuſtravit, Supplens alteram, quæ ab Apoſtolo omiſſa eſt, antitheſeos partem, hoc modo; τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες. Duobus quippe iſtis probi trapezitæ officium continetur; ut ea quidem, quæ non ſunt proba, abjiciat atque repudiet; quæ vero proba ſunt, ea retineat. Dionyſius Clementis, Scriptoris vernaculi, venuſtate, ut videtur, delectatus, Paulinum præceptum, non ipſius Apoſtoli propriis, ſed Clementis figuratis verbis expreſſum, quod memoriæ ob elegantiam (ut fit) tenacius inhæſerat, ſimpliciter, ac ſecure reddidi., γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. Hæc omnino longe mihi facillima, atque expeditiſſima hujus ſententię ratio videtur; niſi forte quis (quod neq; ipſum abſurdum eſt)

eſt) ſuſpicietur, cum aliquis eruditus, ad exornandam Pauli ſententiam, πάντα δοκιμάζετε, hæc in codicis ſui margine è regione ejus ſcripſiſſet, γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, vel Clementem ipſum, vel alium, qui hæc ita ſcripta legiſſet, levi memoriæ errore, vel quod in margine erat, ſimpliciter poſuiſſe, vel id una cum verbis ipſis Paulinis immiſcuiſſe; Cęteros Patres (quod iis ſæpe in aliis contingit) viri authoritate deceptos, idem ſequutos eſſe; Ex quo fortaſſe & illud accidit, ut errore latius ſerpente, quod hi Paulo tribuerant, id alii deinceps & Chriſto Servatori altero memoriæ lapſu tribuerint; Unde illa poſtremo extiterit Origenis, & Hieronymi hallucinatio, qui unius illius ſententiæ eam quidem partem quę verbis non Paulinis expreſſa eſt, Chriſto tribuerint; cætera, in quibus Pauli verba extant, ipſi Paulo reddiderint. Sed hæc quidem de Dionyſio plus ſatis.

Jam cum nihil ſuadeat, ut Diataxes vel Tertulliani, vel Dionyſii temporibus extitiſſe putemus, plurima vero fateri cogant eas & ipſis, & ſequentium etiam temporum ſcriptoribus ignotas fuiſſe; ut in ſuperioribus fuſe demonſtravimus; illud denique, quod nuper diximus, relinquitur ut eas pro certo habeamus non fuiſſe ante Synodi Ni-

cænæ tempora editas, vel ſcriptas. Sed neque toto quarto ſæculo, quintove adulto innotuiſſe hinc apparet, quod eæ neq; Euſebio, neque Hieronymo, neque Gennadio, diligentiſſimis authorum Chriſtianorum, etiam apocryphorum, ſcriptoribus memoratæ ſint; ut ſupra oſtendimus. Ex quibus denique veri mihi ſimillimum videtur, ut quinto jam inclinato ſæculo ab impoſtore factæ, ac in eum quem videmus, modum digeſtæ, compoſitæque fuerint; eodemq; tempore & ab eodem fortaſſe authore ordinata, atque edita fuerit ea, quæ extat, Canonum (ut vocant) *Apoſtolicorum* collectio. Quod ſi (ut ſane videtur) verum eſt, haud diu fefellit impoſtura. Utrumque enim opus ejuſdem illius ſæculi, quo infauſtis avibus editum erat, anno 94 à Gelaſio, ut oſtendimus, totaque, cui ille præerat, Romana 70 epiſcoporum Synodo, damnatum, & inter Apocrypha rejectum eſt; qua ſententia, veluti quodam fulmine, proſtratę confractæque Diataxes, mirandum non eſt, quod nunquam poſtea apud Latinos ad Bovii Turrianique tempora, caput erexerint, ullumve in eorum Eccleſia nomen habuerint.

Materiam Impoſtor, ex qua adulterinum opus, pingui ſane Minerva, effinxit, partim ex Scripturis, partim ex Eccleſiaſti-

cis vel

cis vel libris, vel etiam ritibus ac diſciplinis ſuo tempore obtinentibus mutuatus eſt; quæ omnia homo ſtultiſſimus, rudiſque mentiendi artifex, magna quidem temeritate atque imperitia, nullo vero vel ingenio, vel judicio confudit ac permiſcuit. Ac cum jam ante editi tunc extarent, apocryphi duo ejuſdem fere argumenti libelli, alter ante Athanaſium & Euſebium (id eſt ante a. D. 316.) hoc titulo Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων; alter vero, ante Epiphanium (id eſt annum D. 370.) hoc lemmate, Διατάξεις τῶν Ἀποστόλων, crediderim impoſtorem ex utroq; plurima in ſuum opus transfudiſſe. Nam ut unum idemque opus cum illis ſit, quod Bovius & Turrianus cupiunt, res, ratioque & veterum, qui priora duo volumina memorant, teſtimonia, atq; authoritas, non ſinunt; quod quia fuſe ſupra demonſtravimus, nihil neceſſe eſt hoc loco repetere. Sed tametſi hoc noſtrum Bovianarum Διατάξεων opus diverſum eſſe & ab Euſebiana, Athanaſianaque Διδαχῇ, & ab Epiphaniana Διατάξει contendam; illud tamen libens confiteor, ex utroque opere plurima impoſtorem in ſuum vel mutuo ſumpta, vel, vt verius dicam, furto ablata videri transfudiſſe. Nam ille ipſum primo unius titulum ſuæ farragini præſcripſit, eam quoque Διατάξεις Ἀποστόλων, vocans, & aliquas etiam

ejuſdem ſententias uſurpavit, ut ex Epiphanio didicimus; hanc, verbi gratia, Θεȣ̃ φυτεία ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ ἀμπελὼν αὐτȣ̃ ἐκλεκτὸς, & quędam contra nimium barbę & capillorum cultum, & alia de quartæ, ſextæque feriæ perpetuo, niſi in Pentecoſte, jejunio, deque antepaſchalis hebdomadis Xerophagiis decreta; quæ in Epiphaniana Διατάξει memorata apud Bovii quoque Apoſtolos leguntur. Alterius vero operis nomen, ſi non ipſum, certe aliud ejus geminum, nempe διδασκαλίας (quod quantulo à διδαχῆ differt?) ſibi quoque haud raro noſtri Διαταγεῖς aſſumunt; ut in ipſo ſtatim limine, Ἀκȣ́σατε διδασκαλίαν ἱερὰν. Alibi, πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενόμενοι ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν. Neque dubito, quin præter titulum, multa quoque alia ex illa Athanaſiana Apoſtolorum διδαχῆ noſter impoſtor furatus ſit; quæ facile, ſi extaret ipſum διδαχῆς opus, deprehenderentur. Quod vero tum Διδαχὴ hæc, tum illa Epiphaniana Διάταξις interciderint, hanc ipſam cauſſam fuiſſe arbitror; quod ſcilicet cum recentior hic noſter Διαταγεὺς ex iis plurima, ac fere omnia in opus ſuum tranſcripſiſſet, ſupervacaneum eſſe viſum eſt ſeorſim edita retinere, quæ ille uno eodemque opere plenius ac fuſius complecti ſategerat.

a *Epiph. hær.* 45. §. 2. *hær.* 80. §. 7. *hær.* 75. §. 6.

b L. 1. *c.* 1. L. 6. *c.* 14. *Vid.* & l. 2. *c.* 39. & l. 6. *c.* 18.

Sed

Sed præterquam, quod planum atque impoſtorem fuiſſe horum librorum ſcriptorem inſolentiſſime ab eo ſumpta, peſſime vero atque imperitiſſime geſta Apoſtolorum perſona arguit; hæreticum inſuper, Arianaque labe infectum fuiſſe, ex iis, quæ ſupra diſputavimus, apparet; ut vix ullum aliud ſit apocryphum opus, quod ſic undique & ab omni parte laboret, ut Bovianæ Διατάξεις.

Atque hæc quidem ſunt, quæ nos de iis dicenda putavimus. Suos ſibi Apoſtolos Bovius. Turrianuſque, & ſiqui alii ſint fabularum avidi, habeant. Nobis ſatis ſunt, qui & veteri, & recentiori Eccleſiæ ſatis fuerunt, veri Domini Chriſti Apoſtoli, in θεοπνεύστοις Scripturis quæcunque ſunt ad ſalutem conſequendam neceſſaria, plane, pleneque docentes: nulla vel in moribus fraude, vel in doctrina labe maculoſi; nulli Chriſtianorum ſæculo, nulli climati, aut ignoti, aut ſuſpecti; ſed ab omnibus ſemper Catholicis Græcis, Latiniſque pro canonicis noſtræ fidei ac religionis magiſtris, atque authoribus habiti cultique.

JOANNIS

alia quidem reprobantes, quod vero bonum eſt, retinentes. Ut ergo Clemens, ſic & Dionyſius hanc ſententiam, non pro Διαταγέων (quos utrique ignotos fuiſſe ſupra demonſtravimus) ſed pro *Scripturæ dicto* habuerunt. Ac Dionyſius quidem dum eam ſententiam *vocem Apoſtolicam* nominat, in Paulum digitum intendit, cujus hæc ſunt ſcilicet apud Clementem, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες, quæ fere totidem verbis in priore ad Theſſalonicenſes epiſtola etiam in noſtris hodie codicibus leguntur, πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Ergo ex Clementis, Dionyſiique locis inter ſe comparatis patet, utrumque ſcriptorem, dum hæc citant, Paulum in animo habuiſſe. Idem quoque Baſilii verba confirmant, qui uno infra Dionyſium ſæculo vixit. Is enim alicubi eandem ſententiam ita uſurpat; ὡς δόκιμος τραπεζίτης, τὸ μὲν δόκιμον καθέξει, ἀπὸ δὲ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀφέξεται. *Ut bonus trapezita, quod bonum fuerit retinebit, & ab omni ſpecie mali abſtinebit.* Verba ultima *ab omni ſpecie mali abſtinebit*, oſtendunt Baſilium ad Paulum reſpexiſſe, apud quem hæc eadem nuper citatis verbis continuantur, τὸ καλὸν κατέχετε, ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε. His Clementis Baſiliique locis tertium Euſebii addit Rev. Uſſerius ex Apologia

a 1. *Theſ.* 5. 21.

b *In princip. proverb.* T. 1. p. 306. c.

pologia Origenis *a*, *Ab his qui Origenis libros legunt, iſtud penitus putant excluſum eſſe mandatum, quo probabiles jubentur effici trapezitæ, ſcientes, quod bonum eſt retinere, ab omni autem ſpecie mali ſe abſtinere.* Dubitari non poteſt, quin Euſebius, æque ac Clemens, & Baſilius ad Paulum reſpiciat, cujus totam illam in priore ad Theſſalonicenſes ῥῆσιν recitat. Fronto quidem Ducæus *b*, nobilis Ieſuita, ea de re non dubitavit, qui ad illum Baſilii locum habet. *Quæ ſequuntur, ut bonus* trapezita &c. *alludunt ad illud Apoſtoli* 1. *Theſſal.* 5. 21. πάντα δοκιμάζοντες, *&c.* Eodemque refert illa Gregorii Nazianzeni *c*, ſane appoſitiſſimè;

a *Differt. de Ignat. p.* 85.

b *T.* 3. *op. Bas. p.* 36. *col.* 2. *aut. med.*

c *Iamb.* 18.

—— ὥσπερ εὐφυὴς
Ἀργυρογνώμων, εἴ τι μὲν καλὸν δέχου·
Ἀπεκλέγου δ' ἂν μή σε ποιεῖ βελτίω.

— quiſquis es bonus menſarius,
Siquid probandum eſt, accipe, ac per quæ nequis
Probitatis aliquid conſequi, cuncta improba.

Non dubitavit eruditiſſimus, atq; optimus Sylburgius noſter, qui in notis ad locum Clementis nuper deſcriptum, *Alluſio* (inquit *d*) *eſt ad dictum Pauli* 1. *Theſſ.* 5. Ex his nemo non videt, nihil eſſe neceſſe ad Διαταγέας confugere, vel concedere eos

d *p.* 832. *A.*

iſtorum Patrum temporibus jam extitiſſe; quo hæc eorum verba defendantur. Apparet enim ſcriptores iſtos, *Clementem*, inquam, *Dionyſium*, *Euſebium*, *Baſilium*, *Gregorium*, ad Paulum Apoſtolum reſpicere, atque hæc velut ex ejus 1. epiſtola ad Theſſalonicenſes ſumpta, ductaque habere; de noſtris Conſtitutionibus non cogitaſſe. Idque etiam ex eo clariſſime confirmatur, quod cum præter hos alii quoque ſint Patres, qui hæc verba memorant, nemo eorum eſt, qui ea τοῖς Διαταγεῦσι tribuat, aut eos iſta recitans vel leviſſime innuat. Origenes quidem prior; poſtea etiam Hieronymus, non Apoſtolis, ut Dionyſius, ſed Chriſto ea verba diſerte tribuunt; Qui ea Διαταγεῦσι tribuerit, ex veteribus nemo eſt. Origenes *a*; *Quid aliud ſunt numiſmata, quam divini ſermones, imaginem magni Regis impreſſam habentes, qui conſiderantur à menſariis probatis, gnaris dividendi probata ab improbatis, quæ mentiuntur ſe eſſe probata, & ſervantibus illud Jeſu mandatum,* Eſtote probi trapezitæ; *& Pauli doctrinam dicentis*, Omnia probantes, quod bonum eſt tenentes, ab omni ſpecie mala abſtinentes vos. Hieronymus plane itidem; *Siquis autem* (inquit *b*) *contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanatio-*

a *Tomo. 19. in Ioan. in c. 8. 20.*

b *Ep. 153. ad Min. & Alex. T. 3. fol. 68. d.*

nationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco, Sciat me illud Apoſtoli libenter audire, Omnia probate, quod bonum eſt tenete; *& Salvatoris verba dicentis,* Eſtote probati numularii; *ut ſiquis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur.* Origenem & Hieronymum ſequutus Caſſianus (à Rev. Uſſeri[illegible] noſtro ipſe quo- a *ub. ſupr.*
que laudatus) Chriſto, non Apoſtolo, eadem verba tribuit, quo loco nos jubet cogitationes noſtras *ſagaci diſcretione diſcutere,* *Collat.* 1. *cap.* 20, *init.*
ut (inquit *b*) *efficiamur ſecundum præceptum Domini probabiles trapezitæ.* Mox, poſt- b. *Ibid. paulò poſt.*
quam trapezitarum munus, actuſque deſcripſit; *Quæ omnia* (inquit) *nos quoque debere ſpiritualiter obſervare Euangelicus ſermo ſub hujus nominis demonſtrat exemplo.* *Collat.* 2. *c.* 9. *init.*
Idem in ſequenti volumine illam hic à ſe tractatam ſententiam commemorans, *Euangelicam probatam* vocat, *qua jubemur* (inquit) *fieri probabiles trapezitæ.* Sunt & alia Patrum loca, in quibus ii c *Comm.* 3. *in ep. ad Epheſ. in c.* 4. *extr.* T. 9. *fol.* 101. *c.*
ad hęc quidem verba manifeſte alludunt; an vero ea ex ſcripturis citent, non dicunt; qualis eſt ille Hieronymi locus, *Omni* (inquit *c*) *ſtudio legendæ nobis Scripturæ ſunt, & in lege Domini meditandum die, ac no-*

 cte,

ſte, ut probati trapezitæ ſciamus, quis nummus probus ſit, quis adulter. Alia ſimilia ex Baſilia in caput Iſaiæ quintum, ex Ambroſio in Lucæ procemium, denique ex ejuſdem Hieronymi & Apologia adverſus Ruffinum, & Commentario in Epiſtolam ad Philemonem, repræſentat eruditiſſimus Croius noſter *a*. Noſtrum non eſt, hic quidem excutere quomodo Chriſti ſit hæc ſententia, quæ in nullo noſtrorum Euangeliorum ab [illegible] pronunciata invenitur. Videat qui volet eruditorum de hac quæſtione opiniones; tum apud Alardum Gazæum *b*, tum apud noſtrum in recentiſſimo opere Crojum *c*; quorum alii, ut Ciaconius, *hæc verba in Euangelio ſecundum Hebræos* extitiſſe, indeque *à Clemente & Origene* petita eſſe volunt; alii, in quorum numero ipſe Alardus fuiſſe videtur, putant, hæc quidem in nullo libro ſcripto extitiſſe, ſed tamen vocali jam inde ab Apoſtolis traditione accepta fuiſſe; qualiter illud, quod nullus Euangeliſtarum deſcripſit, *Beatius eſt dare quam accipere*, Paulus Apoſtolus in Actibus *d* Domini Jeſu verbum eſſe dicit; ut Patres hanc ſententiam Chriſto ideo tribuiſſe ſtatuantur, non quod eam à Domino totidem verbis expreſſam, vel in ullis ſcripturis legiſſent, vel ulla traditione accepiſſent; ſed quod eam ſibi

a *Obſeru. in N. T. c.* 28. *p.* 212.

b *Annotat. in Caſſian. coll.* 1. *c.* 20.

c. *Obſerv. in N. T c.* 28. *p.* 212. 213.

d *Act.* 20. 35.

ſibi viderentur ex quibuſdam parabolicis in Euangelio poſitis Domini ſermonibus, haud abſurde concludere; quales iſti ſunt, apud Matthæum *a* quidem, *Oportuit te committere pecuniam meam numulariis, ſive trapezitis*; apud Lucam *b* vero hi, in quibus Crojus noſter præcipue pedem figit, πραγματεύσασθε, ἕως ἔρχομαι, *Negotiamini, dum venio.* Hæc, inquam, & alia nunc mitto. Nam ad præſens inſtitutum ſatis eſt attendiſſe hanc celeberrimam in veteri illa Eccleſia ſententiam, *eſtote probi trapezitæ*, Patres, non Conſtitutionum authori (quod nemo eorum prodit) ſed *Scripturis* canonicis conſtanter acceptam ferre; plane, ut ipſos Διατάγέας, quo loco eam memorant; in eo tantum, cætera concordes, diſcrepare, quod eam alii Apoſtolis, ut Dionyſius, alii Chriſto Servatori, ut Origenes, & Hieronymus, tribuunt. Ac horum quidem eſt difficilior, & impeditior ratio. Dionyſii vero noſtri, qui hanc ſententiam φωνὴν Ἀποστολικὴν vocat, & Clementis, qui ejuſdem Pauli ad Theſſalonicenſes verba continuavit, multo facilior, atque explicatior ratio eſt. Omnino enim videntur ad Paulinum illum locum reſpexiſſe, ac dum eum ex memoria, non ex codice, recitant, Pauli quidem ſenſum edidiſſe; verba ipſa (quod ex

a *Matth.* 25. 27.

b *Luc.* 19. 13.

eſt) ſuſpicietur, cum aliquis eruditus, ad exornandam Pauli ſententiam, πάντα δοκιμάζετε, hæc in codicis ſui margine è regione ejus ſcripſiſſet, γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, vel Clementem ipſum, vel alium, qui hæc ita ſcripta legiſſet, levi memoriæ errore, vel quod in margine erat, ſimpliciter poſuiſſe, vel id una cum verbis ipſis Paulinis immiſcuiſſe; Cęteros Patres (quod iis ſæpe in aliis contingit) viri authoritate deceptos, idem ſequutos eſſe; Ex quo fortaſſe & illud accidit, ut errore latius ſerpente, quod hi Paulo tribuerant, id alii deinceps & Chriſto Servatori altero memoriæ lapſu tribuerint; Unde illa poſtremo extiterit Origenis, & Hieronymi hallucinatio, qui unius illius ſententiæ eam quidem partem quę verbis non Paulinis expreſſa eſt, Chriſto tribuerint; cætera, in quibus Pauli verba extant, ipſi Paulo reddiderint. Sed hæc quidem de Dionyſio plus ſatis.

Jam cum nihil ſuadeat, ut Diataxes vel Tertulliani, vel Dionyſii temporibus extitiſſe putemus, plurima vero fateri cogant eas & ipſis, & ſequentium etiam temporum ſcriptoribus ignotas fuiſſe; ut in ſuperioribus fuſe demonſtravimus; illud denique, quod nuper diximus, relinquitur ut eas pro certo habeamus non fuiſſe ante Synodi Ni-

cænæ tempora editas, vel ſcriptas. Sed neque toto quarto ſæculo, quintove adulto innotuiſſe hinc apparet, quod eæ neq; Euſebio, neque Hieronymo, neque Gennadio, diligentiſſimis authorum Chriſtianorum, etiam apocryphorum, ſcriptoribus memoratæ ſint; ut ſupra oſtendimus. Ex quibus denique veri mihi ſimillimum videtur, ut quinto jam inclinato ſæculo ab impoſtore factæ, ac in eum quem videmus, modum digeſtæ, compoſitæque fuerint; eodemq; tempore & ab eodem fortaſſe authore ordinata, atque edita fuerit ea, quæ extat, Canonum (ut vocant) *Apoſtolicorum* collectio. Quod ſi (ut ſane videtur) verum eſt, haud diu fefellit impoſtura. Utrumque enim opus ejuſdem illius ſæculi, quo infauſtis avibus editum erat, anno 94 à Gelaſio, ut oſtendimus, totaque, cui ille præerat, Romana 70 epiſcoporum Synodo, damnatum, & inter Apocrypha rejectum eſt; qua ſententia, veluti quodam fulmine, proſtratę confractæque Diataxes, mirandum non eſt, quod nunquam poſteà apud Latinos ad Bovii Turrianique tempora, caput erexerint, ullumve in eorum Eccleſia nomen habuerint.

Materiam Impoſtor, ex qua adulterinum opus, pingui ſane Minerva, effinxit, partim ex Scripturis, partim ex Eccleſiaſti-

cis vel

cis vel libris, vel etiam ritibus ac diſciplinis ſuo tempore obtinentibus mutuatus eſt; quæ omnia homo ſtultiſſimus, rudiſque mentiendi artifex, magna quidem temeritate atque imperitia, nullo vero vel ingenio, vel judicio confudit ac permiſcuit. Ac cum jam ante editi tunc extarent, apocryphi duo ejuſdem fere argumenti libelli, alter ante Athanaſium & Euſebium (id eſt ante a. D. 316.) hoc titulo Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων; alter vero, ante Epiphanium (id eſt annum D. 370.) hoc lemmate, Διατάξεις τῶν Ἀποστόλων, crediderim impoſtorem ex utroq; plurima in ſuum opus transfudiſſe. Nam ut unum idemque opus cum illis ſit, quod Bovius & Turrianus cupiunt, res, ratioque & veterum, qui priora duo volumina memorant, teſtimonia, atq; authoritas, non ſinunt; quod quia fuſe ſupra demonſtravimus, nihil neceſſe eſt hoc loco repetere. Sed tametſi hoc noſtrum Bovianarum Διατάξεων opus diverſum eſſe & ab Euſebiana, Athanaſianaque Διδαχῇ, & ab Epiphaniana Διατάξει contendam; illud tamen libens confiteor, ex utroque opere plurima impoſtorem in ſuum vel mutuo ſumpta, vel, vt verius dicam, furto ablata videri transfudiſſe. Nam ille ipſum primo unius titulum ſuæ farragini pręſcripſit, eam quoque Διατάξεις Ἀποστόλων, vocans, & aliquas etiam

ejuſdem ſententias uſurpavit, ut ex Epiphanio didicimus; hanc, verbi gratia, Θεοῦ φυτεία ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ ἀμπελὼν αὐτοῦ ἐκλεκτὸς, & quędam contra nimium barbę & capillorum cultum, & alia de quartæ, ſextæque feriæ perpetuo, niſi in Pentecoſte, jejunio, deque antepaſchalis hebdomadis Xerophagiis decreta; quæ in Epiphaniana Διατάξει memorata apud Bovii quoque Apoſtolos leguntur. Alterius vero operis nomen, ſi non ipſum, certe aliud ejus geminum, nempe διδασκαλίας (quod quantulo à διδαχῇ differt?) ſibi quoque haud raro noſtri Διαταγεῖς aſſumunt; ut in ipſo ſtatim lumine, Ἀκούσατε διδασκαλίαν ἱεράν. Alibi, πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενόμενοι ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν. Neque dubito, quin præter titulum, multa quoque alia ex illa Athanaſiana Apoſtolorum διδαχῇ noſter impoſtor furatus ſit; quæ facile, ſi extaret ipſum διδαχῆς opus, deprehenderentur. Quod vero tum Διδαχὴ hæc, tum illa Epiphaniana Διάταξις interciderint, hanc ipſam cauſſam fuiſſe arbitror; quod ſcilicet cum recentior hic noſter Διαταγεὺς ex iis plurima, ac fere omnia in opus ſuum tranſcripſiſſet, ſupervacaneum eſſe viſum eſt ſeorſim edita retinere, quæ ille uno eodemque opere plenius ac fuſius complecti ſategerat. Sed

a *Epiph. hær.* 45. §. 2. *hær.* 80. §. 7. *hær.* 75. §. 6.

b L. 1. *c.* 1. L. 6. *c.* 14. *Vid.* & l. 2. *c.* 39. & l. 6. *c.* 18.

Sed præterquam, quod planum atque impoſtorem fuiſſe horum librorum ſcriptorem inſolentiſſime ab eo ſumpta, peſſime vero atque imperitiſſime geſta Apoſtolorum perſona arguit; hæreticum inſuper, Arianaque labe infectum fuiſſe, ex iis, quæ ſupra diſputavimus, apparet; ut vix ullum aliud ſit apocryphum opus, quod ſic undique & ab omni parte laboret, ut Bovianæ Διατάξεις.

Atque hæc quidem ſunt, quæ nos de iis dicenda putavimus. Suos ſibi Apoſtolos Bovius, Turrianuſque, & ſiqui alii ſint fabularum avidi, habeant. Nobis ſatis ſunt, qui & veteri, & recentiori Eccleſiæ ſatis fuerunt, veri Domini Chriſti Apoſtoli, in θεοπνεύςοις Scripturis quæcunque ſunt ad ſalutem conſequendam neceſſaria, plane, pleneque docentes: nulla vel in moribus fraude, vel in doctrina labe maculoſi; nulli Chriſtianorum ſæculo, nulli climati, aut ignoti, aut ſuſpecti; ſed ab omnibus ſemper Catholicis Græcis, Latiniſque pro canonicis noſtræ fidei ac religionis magiſtris, atque authoribus habiti cultique.

JOANNIS

JOANNIS DALLÆI
De
PSEUDEPIGRAPHICIS
APOSTOLICIS
LIBER III.
CAPUT I.

De Canonibus, qui Apoſtolici dicuntur, ſeorſim diſputandum eſſe. Diverſa de iis Latinorum recentiorum judicia. Bellarmini 50 tantum admittentis; Baronii alios 35 præter hos probantis. Turriani 85 defendentis una cum Græcis.

EVERSIS ſuperiore diſputatione Conſtitutionibus una quoq; concidunt, Apoſtolorum canones, *extrema* ſcilicet *pars libri octavi Conſtitutionum*, ut ait diſerte Turrianus *a*, utque in ſua editione exhibet, in qua poſt hęc ultima capitis quadrageſimi-ſexti verba, *Itaque & Philippus & Ananias non ſe ipſos elegerunt, ſed a Chriſto Pontifice & Deo, cum quo nemo comparari poteſt, electi ſunt*, continuo ſequuntur *Canones* (ut præfert titulus) *Eccleſiaſtici*; hoc eſt omnes illi, qui vulgo dicuntur *Apoſtolorum*. Ac ut intelligas, eos ſuperioris operis partem eſſe; qui in ſuperioribus libris loquentes inducti erant Apoſtoli, ſive Διατάξεις, iidem poſt explicitos omnes canonas, tandem perorant, & opus ita concludunt; Ταῦτα δὲ περὶ κανόνων διατετάχθω ὑμῖν παρ' ἡμῶν,

a c. 1. pro can. contra Magd. p. 1. verſa

μῶν, ὦ ἐπίσκοποι, ὑμεῖς δὲ ἐμμένοντες αὐ-
τοῖς σωθήσεσθε, καὶ εἰρήνην ἕξετε. *Hæc nos
vobis, Epiſcopi, conſtituimus. Vos vero
in eis perſeverantes, ſalvi eritis, & pa-
cem habebitis; non obedientes vero punie-
mini*; & quę ſequuntur longiuſcula. At-
que eo fortaſſe factum eſt, ut hæreticus
quidem, ſed tamen vetus imperfecti in
Matthæum operis Author totum Conſti-
tutionum opus à partis nomine *Canones
Apoſtolorum* nuncupaverit, *Quomodo au-* a *Hom.*
tem (inquit *a*) *quidam ſacerdotes ex homi-* 53.
*nibus ordinantur, manifeſtè in libro octavo
Canonum Apoſtolorum dicitur; Qui autem
ex hominibus ordinatus eſt, quantum ad
Deum, non eſt Diaconus aut Sacerdos*;
qui locus non in *Canonibus* proprie dictis,
ſed in capite ſecundo libri octavi Conſti-
tutionum iiſdem pene verbis extat. Ita-
que cum everſo, ac diſſipato *toto* ſive
integro corpore, quæ erant ejus partes
conſiſtere amplius non poſſint; nos, qui
totum Conſtitutionum opus nothum, ac
fictitium eſſe idoneis, ac luculentis argu-
mentis demonſtravimus, nihil neceſſe
videtur in Canonibus convellendis ac re-
futandis immorari, quorum ſcilicet au-
thoritas eo, cujus pars ſunt, opere e-
verſo abunde labefactata, ac proſtrata eſt.

Sed quamquam ita ſeſe res habere vide-
tur,

tur, ſunt tamen non contemnendæ rationes, quæ nos operæ pretium facturos ſuadent, ſi de Canonibus iſtis ſeorſim, ac proprie diſputemus. Primo enim Bellarminus & alii non pauci, qui Conſtitutionum vel nullam, vel certe perexiguam eſſe authoritatem concedunt, pugnant tamen iidem Canones iſtos magna ex parte vere Apoſtolicos eſſe. Quo factum eſt, ut in ultima Conciliorum editione quæ a.D.1636. Lutetię Pariſiorum in lucem exiit Canones quidem iſti in ipſo limine exhibiti fuerint; Conſtitutiones vero nullum in toto opere locum invenerint. Huc accedit, quod ſiquis rem accuratius expenderit, fortaſſe non immerito dubitaverit, an jam inde ab initio, & ex primi Conſtitutionum conſarcinatoris mente Canones iſtius operis pars fuerint. Nam cum abſurdum ſit, & ſupervacaneum eadem in eodem opere ſæpius ſtatuere ac definire, pauca in Canonibus occurrunt, quæ non clariſſime fuerint in Conſtitutionibus decreta. Tum ultimus Canon *a* tantũ non clamare videtur diverſum à Canonibus eſſe Conſtitutionum opus. In eo enim canone Conſtitutiones in ſacros novi fœderis libros una cum Euangeliis & Actibus Apoſtolorum referuntur. Adhæc vetat idem canon *apud omnes divulgari, quæ ſunt in Conſtitutionibus myſtica*;

a *Can.* 84.*al.*85.

ſtica; Id vero, quod ſupra monuimus, cum ipſorum Διαταγέων mente pugnare videtur; qui ſua omnia omnibus Chriſtianis inſcribunt, non ſolum viris, ſed etiam mulieribus, quas non ſemel nominatim alloquuntur. Præterea Canonum à Conſtitutionibus diverſum opus fuiſſe videtur Gelaſii temporibus, hoc eſt a. D. 494. Nam Gelaſius poſtquam *Clementis libros octo*, id eſt, ut Humberto quidem Cardinali olim viſum eſt, ac nobis nunc videtur, hos ipſos, quos habemus Conſtitutionum libros, in apocryphorum cenſum rejecit, poſtea itidem *librum Canonum Apoſtolicorum Apocryphum* eſſe pronunciat *a*; ſupervacaneo, ut quivis videt, labore, ſi librorum octo pars erant Canones. Denique ne ipſis quidem Photii temporibus videntur Canones Conſtitutionum pars habiti fuiſſe, Is enim utriuſque operis in eodem quidem capitulo meminit, atque utrumque in eodem codice ſibi viſum, ac lectum fuiſſe; cæterum alterum alterius partem fuiſſe ſatis evidenter negat. Scribit enim à ſe lectos duos codices, quorum *b* prior (inquit *c*) *inſcribitur Conſtitutiones Apoſtolorum* μετὰ Κλήμεντος, *cum Clemente*, ἐν ᾧ καὶ οἱ τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν Ἀποστόλων κανόνες ἐπιγραφόμενοι περιέχονται, *In quo & ii qui inſcribun-*

[a Concil. Rom. Gel. I. T. 3. Concil. p. 662. e. 663. d.]

[b Biblioth. cod. 112. 113.]

inſcribuntur Apoſtolorum canones una cum ſynodicorum canonum collectione continentur. Nemo non videt hæc addi nihil fuiſſe neceſſe, ſi Conſtitutionum ipſi canones pars erant; ut illud taceam, quod Photius his verbis Canones Apoſtolorum Collectioni illi canonum, potius quam Conſtitutionibus accenſet. Ex his vero propius videri poſſit diverſis temporibus, neque ab uno authore conſarcinatum utrumque opus; ac prius quidem effictas fuiſſe Conſtitutiones; poſtea collectos atque editos ſeorſim Canones; tandem impoſtori alicui placuiſſe utrumque opus in unum conflari; à cujus manu & exemplari propagati fuerint ii codices, quos Turrianus exhibuit, addito, ut fucus fieret, illo de quo nuper diximus, Canonum epilogo. Neque quod in contrariam partem attulimus imperfecti in Matthæum ſcriptoris teſtimonium, multum valere videtur. Quid enim prohibet, quominus dicamus, eum *Canones Apoſtolorum* dixiſſe pro *Conſtitutionibus*? Certe adeo exiguum eſt διατάξεως & κανόνος in hoc argumento diſcrimen, ut facile ei fuerit alterum pro altero uſurpare. Sed utcumque ſit (neque enim res ejus momenti eſt quæ pluribus diſceptari debeat) illud quidem cerre apparet, nos neque Bellarmino, neque aliis eadem ſequentibus ſatisfacere poſſe,

Digitized by Google

poſſe, niſi ipſos ſeorſim Apoſtolorum, qui dicuntur Canones nothos, ac ſuppoſititios eſſe propria ac peculiari opera demonſtraverimus.

Age ergo, & hanc quoque ſeorſim partem inſpiciamus. Ac ut tota diſputatio eodem, quo ſuperior, ordine decurrat; primo quidem videamus, quid adverſariæ, hoc eſt Romanæ communionis Theologi de Canonum Apoſtolicorum codice ſentiant; tum quid veteres Græcæ, Latinæque Eccleſiæ homines de eo litteris mandatum reliquerint; quibus peractis demonſtrandum denique erit nothos eſſe iſtos Canones, & Apoſtolis non modo falſo, ſed etiam impudenter affictos.

Adverſarii (quod omnium fere qui contra verum nituntur fatum eſt) non uno eodemque omnes modo de Canonibus ſentiunt. Turrianus, ut erat immani ſtomacho, nullo, aut perexiguo vel pudore, vel judicio, omnes Apoſtolorum canones pro veris, ac genuinis agnoſcit *a*, libroque ſingulari Apoſtolicam iis authoritatem adverſus Magdeburgenſes centuriatores vindicavit; cujus inſaniam ſecutus eſt Lambertus quidam Gruterus in præfatione Clementis. Bellarminus paulo modeſtius quinquaginta duntaxat priores *legitimos* eſſe cenſet; reliquos qui ſunt 35. vel, ut alii numerant,

a *L. pro can. Ap.*
b *Edit. Col. a. 1569.*
c *L. de Script. Eccl. in Clem. §. At contra.*

34. *non eſſe legitimos, quamvis à Græcis recipiantur.* Baronius *a* in eadem eſt opinione; quam multis rationibus firmat, qua quidem parte illis 35. poſtremis canonibus authoritatem adimit, & tamen, quod mireris, Turriani, qui hos non minus, quam priores quinquaginta tuetur, ſcriptam pro his omnibus defenſionem *fortiſſimam* vocet. Poſſevinus Jeſuita, Bellarminum quoque ſequitur; ut alios qui ſunt in eadem ſententia nunc mittam. Binius, vero iſtis haud paulo liberalior eſt. Is enim præterquam quod priorum quinquaginta authoritatem certam ac indubitatam eſſe vult, cæteros inſuper (hoc eſt 35. poſtremos, duobus tantum demptis, nimirum ſexageſimo quinto, & octogeſimo quarto, ſive, ut alii numerant, quinto) *jure meritoque inter authenticos haberi poſſe ac debere* ſcribit; cum tamen, quod ſane mirabile eſt, confiteatur, eos à Gelaſio Romæ epiſcopo inter Apocrypha recenſeri. Ita ex Binio nihil vetat, quin pro *authenticis* habeantur, quæ Romani Papæ apocrypha eſſe judicarunt. Jam de canonum ſcriptore non magis, quam de numero atq; authoritate adverſarii conſentiunt. Omnes quidem pariter concedunt, non fuiſſe eos ab Apoſtolis conſcriptos; quod non eſt oſcitanter obſervandum. Turrianus; *Quis unquam ex Catholicis* (inquit) *ſcriptos*

a *a. D. 102. §. 14.*

b *Ibid. §. 12.*

c *Appar. verbo Clemens.*

d *Not. in tit. Can. T. 1. Concil. p. 17. b.*

d *Pr. Can. c. 1. p. 1. verſ.*

ſcriptos ab Apoſtolis dixit? Baronius ait *a*, *incertum eſſe ab ipſis Apoſtolis eſſe conſcriptos*; ac ne ipſum quidem *Turrianum hoc contendere* notat. Sic Binius *b*; *Quoniam* (inquit) *author eorum alius ignoratur, Apoſtolica traditione ad nos dimanaſſe recte creduntur.* Sed ubi definiendum eſt, à quo nominatim ſcripti fuerint illi Canones, tum vero Romani Theologi in diverſa abeunt. Turrianus quidem, *fortiſſimus* eorum defenſor, vult omnes à Clemente Romano Apoſtolorum diſcipulo litteris mandatos in eam, quam hodie habemus, formam. Quin etiam, ut erat magnus fabularum artifex, & homo ex fumo lucem dare promptus; omnem eorum originem tam clare, tamque confidenter nobis narrat, quam ſi iis condendis ipſe oculatus teſtis affuiſſet. Nam cum legiſſet apud ψευδοδιδαγέας *c*, Apoſtolos Hieroſolymis multos dies poſt decretum de legalibus factum remanſiſſe *d*, *conquirentes una omnes quæ ad communem utilitatem, & correctionẽ pertinerent*; cumque poſtea apud Sophronium Hieroſolytanum epiſcopum, in homilia (ut quidem ipſe affirmat; eam enim ille unus vidit) de agone Petri & Pauli inveniſſet, Petrum & Paulum diebus illis quindecim, quibus una in ſacra urbe fuerunt, *canones & conſtitutiones feciſſe*; homo ingenioſus ex his ha-

a *A D.* 102. §. 12

b *Not. in tit. Can.*

c *Pro Can. c.* 16. *p.* 51. *vers.* 52. *vers.*

d *Conſt. l.* 6. *c.* 12.

riolatus eſt, canones hos ſuos ab Apoſtolis una congregatis Hieroſolymæ poſt illud de legalium ceſſatione decretum conſtitutos quidem fuiſſe ac traditos; poſtea vero à Clemente eorum diſcipulo litteris mandatos. En tibi veros Canonum natales. Hieroſolyma locus eſt, in quo lucem ii primum viderunt. Si conſulem requiris, Turriano authore, ſcito editos Anno Domini quidem xlv. Claudii vero Auguſti 6o. P. Valerio Aſiatico II. Cos In hoc enim tempus incidit illud Apoſtolorum de legalium ceſſatione memoratum à Turriano decretum. Binius, qui canones omnes, duobus exceptis, *authenticos eſſe* Turriano aſſentitur, de eorum ſcriptore aliud ſenſit. Primo enim ipſorum illorum quinquaginta, quos & ipſe & alii adverſarii maxime certos atque indubitatos eſſe volunt, quis vere ſcriptor fuerit, in ambiguo relinquit, quos ſcilicet *Apoſtolica traditione ad nos dimanaſſe* ideo *recte credi* putat, quod *author eorum alius ignoretur*. De cæteris triginta tribus, quos ipſe quoque una cum Turriano probat, dubitat *Sint-ne illi ex hoc* Apoſtolicorum canonum codice *à Pontificibus, Conciliis, ac Patribus accepti, an potius ex ipſorum ſententiis in hunc* codicem *tranſlati*. Ita tota pene hæc cauſſa ex Binio du-

nio dubia, atque incerta eſt. Sed Gabrielis Albaſpinei, Aurelianenſis Epiſcopi, multum ab his omnibus diverſa eſt de Canonibus ſententia. Primo enim pronunciat *a*, *imperitos cenſendos, qui Canones iſtos Apoſtolorum authoritate ſancitos, publicatoſque certo affirment*; quibus verbis & Turrianum, & ipſum etiam Bellarminum, ac Baronium ſuos, alioſque pene omnes Romanæ ſcholæ Theologos, qui de hoc argumento ſcripſerunt, *imperitiæ*, & quidem, ut demonſtrabimus, merito arguit. Tum hos Canones *ab antiquitate* Apoſtolicos *appellatos eſſe exiſtimant. Nam* (inquit) *cum eorum aliquot ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui teſte Tertulliano de præſcriptionibus Apoſtolici viri nominabantur, facti eſſent*, Apoſtolicorum *primum canones; deinde nonnullorum Latinorum ignorantia, aliquot litterarum detractione* Apoſtolorum *dicti ſunt. Et apud Græcos quoque res ita proceſſiſſe videtur. Aucti ſunt poſtea, cum illis adjuncti eſſent, & eodem volumine comprehenſi Græcæ Eccleſiæ canones.*

a L. I. obſer. 15. p. 37. 38.

Hæ ſunt, quantum quidem obſervare potui, adverſariorum de Canonibus Apoſtolicis ſententiæ; quarum ipſa diverſitas arguit, quam anceps, quamque dubium, atque incertum ſit totum hoc iſtorum Ca-

nonum negotium, quorum authoritatem qui confirmare, ac conſtituere cupiunt, ii ipſi cogantur tamen varias, ac inter ſe pugnantes ea de re opiniones ſequi.

Cap. II.

Græcorum de Canonibus ſententia in Trullano Concilio promulgata, omnes 85. veros & Apoſtolicos eſſe. Latinos veteres ab a. D. 520. pleroſque 50. canones Apoſt. admiſiſſe, non tamen pro plane authenticis habuiſſe.

Sed nunc videamus, quid de Canonibus iſtis ii Chriſtiani ſenſerint, qui ſuperioribus retro ante hæc ultima tempora ſæculis vixerunt. Illud inprimis certum, atque confeſſum eſt apud univerſam Græcorum Eccleſiam jam inde à mille & paulo amplius annis perpetuo ac conſtanter pro Apoſtolicis habitos fuiſſe non modo quinquaginta quos Bellarminus & alii Latini admittunt, ſed omnino octoginta quinque illos canones, quos Græci codices exhibent, quoſque à ſuis ad ſchiſmaticos hac in parte deficiens Turrianus defendit. Id vero conſtat ex Zonara, Balſamone, & cæteris juris Eccleſiaſtici Græcis interpretibus. Unus Photius, dubitaſſe videtur. Certe non diſſimulavit dubios quibuſdam videri, dum in

in Procemio ſui Nomocanonis (quod, ut obſervavit Rever. Uſſerius *a*, in editione ea prætermiſſum eſt, quæ adjuncta habet Balſamonis ſcholia) ſcribit, ſe non alios modo canones comparaviſſe, *ἀλλὰ τοὺς λεγομένους τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, εἰ καὶ τινες αὐτοὺς ἀμφιβόλους διά τινας αἰτίας ἡγήσαντο*, *ſed etiam eos, qui ſanctorum Apoſtolorum eſſe dicuntur, licet aliqui quaſdam ob cauſſas dubiæ eos authoritatis eſſe exiſtimaverint.* Quamquam, ne quid diſſimulem, Latinos fortaſſe, non Græcos his verbis notavit Photius. Ipſe quidem in tota paſſim Nomocanone Apoſtolicos omnes nullo cum aliis Eccleſiaſticis diſcrimine, velut authenticos, & receptos laudat. Sed & multis ante Photium annis Trullana, quæ ab omnibus Græcis admittitur, Synodus *b* exeunte 7. ſæculo ita diſerte decreverat; *Ἔδοξε καὶ τοῦτο τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ, κάλλιστά τε καὶ σπουδαιότατα, ὥστε μένειν καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν βεβαίους καὶ ἀσφαλεῖς πρὸς ψυχῶν θεραπείαν, καὶ ἰατρείαν παθῶν τοὺς ὑπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας.* *Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrime & honeſtiſſime placuit, ut deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, ſtabileſque maneant, qui ab iis, qui nos præceſſerunt, ſanctis & glorioſis Apoſtolis traditi ſunt, octoginta quin-*

a *Diſſert. ad Ign. c.6.p.38.*

b *can.2.*

quinque Canones. Quin & annis ante hanc Synodum circiter centum & quinquaginta Juſtinianus Auguſtus hos Apoſtolorum canones prolixe commendaverat in conſtitutione ad Epiphanium CP. Patriarcham ita ſcribens; *Recte* (inquit *a*) *atque congruenter omnia agerentur, ſi ipſum rei initium gratum Deo eſſet; quod quidem certe futurum credimus, ſi ſacri illi canones diligenter obſerventur, quos nunquã ſatis laudati, adorationeq; digni, & qui ipſi Filium Dei conſpexerunt, illique miniſtrarunt Apoſtoli nobis reliquerunt, ac Sancti Patres cuſtodierunt & interpretati ſunt*. Hactenus Iuſtinianus; à quo hos ipſos, quos nunc habemus. 85. canones intelligi inde conſtare à Rev. Vſſerio *b* didicimus; primo quod totidem in Nomocanonem ab ipſo Iuſtiniano confirmatum, & eidem illi Epiphanio commendatum relatos fuiſſe fides ſit ex Arabico illius codicis interprete, qui in Oxonienſi Bibliotheca habetur, à *Thoma Roe* ex Oriente allatus, & donatus; ſecundo quod eoſdem quoque canones 85. alter Nomocanon exhibeat iiſdem temporibus, non à Theodoreto Cyrenſi (quod perperam præferunt nonnulla exemplaria) ſed à Ioanne Epiphanienſi Scholaſtico concinnatus; eodem inquam illo Ioanne, qui Eutychio C P. Eiſcopo circa ſuprema Iuſtiniani

a *Conſt. 6. quam Turrianus quoque citat l. pro can. cap. 21. in.*

b *Diſſert. ad Ign. c. 6. p. 37. 38.*

niani Auguſti tempora ſuffectus eſt. Hæc fuerunt Eccleſiæ Græcæ, quæ jam inde à Iuſtiniani imperio (hoc eſt à ſexto Chriſtianiſmi jam adulto ſæculo) ad noſtram memoriam extitit, de illis 85. Apoſtolorum (ut vulgo appellantur) canonibus judicia. Ioannes Damaſceni ſingularis eſt, neque ab ullo alio Græco (quod ſciam) probata ſententia; qui divinos novi Teſtamenti libros recenſens, his annumerat iſtos Canones; ſic canonem ſuum claudens *a*; Παύλου Ἀποστόλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες. ἀποκάλυψις Ἰωάννου εὐαγγελιστοῦ· Κανόνες τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος. *Pauli Apoſtoli epiſtolæ* XIV. *Apocalypſis Ioannis Euangeliſtæ. Canones ſanctorum Apoſtolorum per Clementem.*

a *De fide Orthod. l. 4. c. 18. extr.*

Latinorum longe alia ratio eſt. Illi enim toto illo tempore, quod à Juſtiniano ad proximum avorum noſtrorum ſęculum fluxit, habuerunt & ipſi Canones Apoſtolorum; ſed neque numero, neque authoritate Græcis pares. Nam apud eos quinquaginta duntaxat fuerunt; cum eſsent apud Græcos, ut diximus, 85. Tum ipſi illi quinquaginta, tametſi à Latinis toto illo tempore aliquantum uſurpati, nullius tamen, quod ſciam, generalis Synodi, apud eos authoritate confirmati ac promulgati ſunt. (Trullanos quippe ca-

nones neque nunc recipit, neque olim unquam admiſit Romana Eccleſia.) Hanc fuiſſe Latinorum omnium de Canonibus iſtis opinionem patet primo ex Gratiano qui ſuam juris canonici rhapſodiam circa annum Domini 1150. concinnaſſe perhibetur. Is enim hæc nomine Leonis IX. P. R. contra epiſtolam Nicetæ Abbatis, in ſuum decretum retulit *a*; *Clementis librum id eſt Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* Quo loco obſervandum eſt iſta, non Leonis, ut imprudens putavit Gratianus, ſed Humberti Cardinalis verba eſſe; quæ nos in ſuperiori de Conſtitutionibus diſputatione deſcripſimus. Sed utcunque ſit, cum ea pro Pontificis ſui ſententia habuerit Gratianus, cumque Humbertum ex ſuæ Eccleſiæ ſenſu ea ſcripſiſſe, palam ſit; non eſt dubitandum, quin Latini & duodecimo ſeculo quo vixit Gratianus, & undecimo, quo floruit Humbertus, quinquaginta quidem priores canones pro legitimis, triginta vero quinque poſteriores pro ſpuriis, & apocryphis habuerint. Eodem quoque pertinere merito judicavit Bellarminus *b*, hæc Urbani II. (qui a D. 1088. Romæ ſedit) apud

a *Diſtinct. 16. c. Clementis.*

b *L. de ſcript. Eccl. in Clē. §. At contra.*

apud eundem Gratianum verba, *Sciendum vero, quod Canonum Apoſtolorum authoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Eccleſia.* Significat nimirum, Græcos Apoſtolorum dictos canones omnes plane, penituſque admittere; Latinos eorum duntaxat partem; hoc eſt quinquaginta tantum, non autem 85. Sic etiam Iſidorus Mercator, qui poſt a. D. 800. vixit, tametſi, inſignis alioqui impoſtor, & fœcundus apocryphorum parens, non eſt tamen auſus ſuę farragini plures quam quinquaginta Apoſtolorum canones inſerere, hæc Collectioni ſuæ præfatus, ut ea ex vetuſtiſſimo codice emendata exhibet Baronius b; *Denique propter eorum authoritatem cæteris Conciliis præpoſuimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum (licet à quibuſdam Apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & ſancti Patres eorum ſententias ſynodali authoritate roboravere, & inter canonicas poſuere conſtitutiones.* Atque Iſidoricæ hujus præfationis (quod non putavi negligendum) diſerte a. D. 870. meminit Hincmarus in eo opere, quod LV. capitum dicitur. Locum, quia ex eo Baroniana emendatio liquido confirmatur, adſcribere placuit c; *In cujus,* collectionis ſcilicet) *præfatione idem* (inquit c) *Iſidorus dicit de Apoſtolorum canonibus, quod à quibuſ-*

a D. 32. can. Præter. §. Sciendũ.

b a. D. 102. §. 11.

c c. 24. T. 2. Hincm. p. 477. init.

quibuſdam dicantur apocryphi, & plures eos recipiant, & ſancti Patres eorum ſententias ſynodali authoritate roboraverunt, & inter canonicas conſtitutiones poſuerunt; quod de quibuſdam ſententiis verum eſt, ſicut alibi in hoc opuſculo potes legere. Poſtremo his omnibus multo anterior Dionyſius Exiguus, initio ſexti ſeculi, cum codici Canonum Eccleſiaſticorum ſuo Apoſtolicos quoque canonas præponendos putaſſet, eos non plures, quam quinquaginta exhibuit; ut apparet, tum ex Indice canonum, qui in eo codice continentur; Lutetiæ, a. D. 1609. ex manuſcripto Nicolai Fabri edito; tum ex ipſo codice ibidem a. D. 1628. ex Bibliotheca Clar. Iuſtelli publicato. Eorum autem Canonum, quos Dionyſiacus codex repræſentat, ultimus ſub numero quinquageſimo ſic habet; *Siquis Epiſcopus, aut presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus in morte mea baptizate, ſed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Jam in hanc Dionyſiacam collectionem evidentiſſime pertinent illa Leonis quarti P. R. in epiſtola a. D. 849. ad Britanniæ epiſcopos data, & à Gratiano in decretum relata,

relata, & à Turriano in hac diſputatione laudata a; *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & ſanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel decretalium regulas, id eſt quæ habentur apud nos ſimul cum illis in canone, & quibus in omnibus Eccleſiaſticis utemur judiciis, id eſt Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Cathedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium; & cum illis regulæ præſulum Romanorum Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Simplici.* Priori parte totidem capitum canones nominat, quot habentur in Dionyſii codice; niſi quod CPnæ. primæ ſynodi canones omittit, quos tres Dionyſius exhibet; ut non ſit dubitandum, quin Apoſtolorum eoſdem canones intelligat, quos repræſentat Dionyſius, hoc eſt quinquaginta, non plures. Ex poſteriori vero hujus Leoninæ ſententiæ parte, Turrianus (ut hoc obiter dicam ſi judicii, vel pudoris micam habuiſſet, intelligere poterat, nullo adhuc tum in pretio apud Romanam ſedem fuiſſe ſtramineas illas priorum Romæ ad Sylveſtrum uſque epiſcoporum à pſeudo-Iſidoro ipſis illis (ut videtur) temporibus confi-

a *Ep.* 2. c. 6. *T.* 3. *Conc. Gall. p.* 73.

confictas epiſtolas, quas ipſe impetu, ac loquacitate, neſcio an ſtultitia & amentia majore totis quatuor libris procaciſſime defendere auſus eſt. Sed redeo ad Canones Apoſtolorum, quos (ut ex ſuperioribus apparet) non plures, quam quinquaginta omnis Latinorum Eccleſia totis his undecim ſæculis cognitos habuit; donec avorum noſtrorum memoria turpiter à ſuis deſciſcens Turrianus, & in Græcorum ſchiſmaticorum caſtra impudenter tranſiens, triginta quinque illos, nunquam antehac in Occidente agnitos, canones ſuperioribus quinquaginta adjiciendos, & Apoſtolica authoritate donandos aſſereret.

Iam Apoſtolorum Canones Latini, ut pauciores numero, ita & authoritate multo inferiores, quam Græci habuere. Hi, quod nuper audivimus, ſuos illos 85. & à ſanctis glorioſiſque Apoſtolis relictos, ac traditos eſſe, *& firmos ſtabileſque manere* in generali ſynodo *a* decreverunt; Quin & eos Græcorum nonnemo libris ſcripturarum canonicis annumerare auſus eſt *b*. Latini veteres de ſuis quinquaginta omnia multo modeſtiora. Nam Hincmarus Remenſis magni apud nos nominis Epiſcopus (quem Turrianus *c* pro conſueta ſapientia *Germanicæ nationis* præſulem eo ipſo loco facit, quo Remenſem dixerat) is, inquam;

a *Trull. can.* 2.

b *Damaſc. l.* 4. *de fid. c.* 18.

c *L. pro can. c.* 15. *p.* 48. *verſ.*

quam, Hincmarus in opere quinque & quinquaginta capitum, quod a. D. 870. adverſus Hincmarum nepotem, Laudunenſem epiſcopum, elucubravit, Canones iſtos negat ab Apoſtolis ſcriptos; *Caterum iidem* (inquit *a*) *canones, qui vocantur Apoſtolorum, non ab Apoſtolis conſcripti eſſe creduntur*; idque ipſe ex eo probat, quod præter quinque, quas enumerat Synodos, nullam aliam Apoſtoli habuiſſe legentur, in qua iſtos Canones condiderint. Sed & in eos laudat Gelaſii catalogum, qui nullam eorum inter libros ab Eccleſia Catholica receptos mentionem fecit. In iis vero ait *quadam eſſe receptibilia, quadam* etiam *non ſecunda, de quibus* (inquit *b*) *quadam aſſumpta ſunt in Conciliis, quadam etiam à maximis, & pracipua authoritatis viris, in ſuis opuſculis, ſicut & de apocryphis, aſſumpta fuiſſe, legimus, quoniam in quibuſdam ad inſtructionem valent. Et ideo, ſicut majorum traditione didicimus, ſeorſum ante Concilia in canonum libris ad inſtructionem, & propter vulgatam eorum famam ponuntur.* Vides, ut ab Apoſtolis conditos negat; ut ab authenticis Eccleſiæ regulis excludat; ut non per omnia recipiendos doceat; ut in Canonum libris ſeorſim ante Concilia (veluti in codice Dionyſiaco) poni, non ob authoritatem, ſed ad inſtru-

a c. 24. T. 2. Hincm. p. 473. 474.

b Ibid. p. 473.

ctionem

ctionem, & propter famam. De eorum vero origine ſic ſentit, *non fuiſſe conſtitutos Conciliorum Epiſcopalium authoritate, ſed à primis temporibus traditione viritim Apoſtolicorum virorum fuiſſe mentibus commendatos; & partim verbis, partim ſenſu, ac ſparſim diverſis quorundam epiſtolis pro qualitate cauſarum, & perſonarum, ac temporum inditos, atque exinde antequam Epiſcopi Concilia libere inciperent celebrare, à devotis quibuſque collectos.* Denique totum hunc de iſtis Canonibus ſermonem concludit a; *Quapropter* (inquit) *in lectione illorum ſequenda eſt cautela ab eodem S. Gelaſio præmonita; Cum hæc* (inquit) *ad Catholicorum manus advenerint, B. Pauli Apoſtoli* b *præcedat ſententia, qua dicit,* Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Eat nunc Turrianus, & ſuum nobis Igmarum (ſic enim hunc ſcriptorem appellat) objectet. Ille vero hanc, ut liquet, Canonum collectionem eadem cum cautela legendam, qua leguntur apocrypha, nunquam dixiſſet, ſi Apoſtolicam, aut Clementinam putaſſet. Certe neque ille de variis capitulis Eccleſiaſticis liber, cujus decimum octavum caput laudat Turrianus, neque ullus ex iis tribus, quæ idem inde deſcribit locis, extat in iis Hincmari operibus, quæ nuper in duos grandes Tomos digeſta,

a *Ibid. p.* 474.

b 1. *Theſſ.* 5.

c c. 15. *fol.* 48. *verſ.* & 49. *recto.*

digeſta, publicavit Sirmondus, doctiſſimus, ac diligentiſſimus Jeſuita; quo fit credibile Turrianum (cujus quale ſit ingenium, quam audax, quam fabularum avidum non ſemel dicendum eſt) hæc vel Hincmaro ipſum prudentem ſcientemque affinxiſſe, vel certe ex falſis, & interpolatis codicibus deſcripſiſſe. Huc accedit, quod & ipſa illa, quæ velut ex Hincmaro adfert, Canonum Apoſtolicorum librum non obſcure jugulant. Hæc enim habet tertius velut ex Hincmaro à Turriano deſcriptus locus *a*; *Ait Apoſtolus*, Omnia probate, Quæ bona ſunt, tenete. *Ergo juxta eundem Apoſtolum utrumque debemus, & librum de canonibus Apoſtolorum APOCRYPHUM REPUDIARE; & capitula, ſiquæ in illo ad veritatem pertinentia inveniantur, non reprobare, illa, inquam, minime reprobare, quæ ſancti Patres pro authenticis receperunt; imo quorum authoritate ſuas ſanctiones piiſſime firmaverunt.* Hæc Turrianicus ipſe Hincmarus de hoc Apoſtolicorum Canonum libro; quem repudiat quidem, velut apocryphum, non ſic tamen, ut abjicienda putet, quæcunque in eo leguntur. Omnia probari vult ex Pauli & Gelaſii ſententia; (quod & noſter, id eſt verus, Hincmarus dixit) & teneri, quæ recta; explodi, quæ

a *Ibid. fol.* 49. *recta.*

aliena deprehenſa fuerint. Atqui nullus eſt uſque adeo apocryphus liber, in quo non idem quoque ſit adhibendum temperamentum. *Multa* enim vel in ipſis *hæreticorum libris poſita legi, quæ ad veritatem pertineant*, non adeo refutanda, ſed ſuſcipienda, & Gelaſius jampridem monuit, & omnes ſciunt ac confitentur. Ergo dubitari non debet, quin hunc librum ab Eccleſiaſticorum cenſu alienum exiſtimaverit Hincmarus. Sed & multo, quam Hincmarus, triſtius atque atrocius de his jampridem Canonibus decreverat Iſidorus, non ille noni ſæculi tenebrio, de quo paulo ante diximus, ſed clariſſimus Hiſpalis antiſtes, quem anno ſeptimi ſæculi ſexto & triceſimo mortuum conſtat. Ejus autem ea de re verba, & à Gratiano in Decretum *a* relata, & teſte Antonio Auguſtino longe doctiſſimo viro *b*, *in omnibus veteribus libris Hiſpaniæ Conciliorum inventa*, ita habent; *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, ſed quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur; quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab authoritate canonica, atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Hactenus Hiſpalenſis Iſidorus;

a *d.16.c.1.*

b *de emend. Grat. l.1. dial.6.*

rus; plane contra ſentiens, quam ille alter Iſidorus, cujus verba Gratianus *a* quoque, ſed mendoſa recitat (nos ſupra à Baronio emaculata exhibuimus) Gratianus vero, ut notavit Antonius Auguſtinus *b*, non diſtinxit varietatem *horum ſcriptorum ut debuit, cum contraria dicerent. Hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille* (Hiſpalenſis ſcilicet Iſidorus) *rejecerat.* Hoc vero dicto, Iſidorus, ceu quodam ictu fulminis, omnem Græcanicorum canonum authoritatem proſtravit, atq; confregit; omnes Turriani, Baroniiq; ac Bellarmini pro iis machinas, atque conatus disjecit, ac diſſipavit. Quos enim hi ab Apoſtolis conditos ac promulgatos, & à Clemente conſcriptos fuiſſe volunt canonas, hic eos *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos* eſſe liquido pronuntiat; Quos illi à Romæ epiſcopis, & à veteribus Theologis pro ſacroſanctis Eccleſiæ regulis ſemper agnitos fuiſſe pertinaciter contendunt, eos Iſidorus vel *à ſede Apoſtolica receptos*, vel *à patribus probatos* diſertiſſime negat; quos denique illi pro legitimis ac canonicis ſemper in Eccleſia habitos fuiſſe ajunt, hic contra affirmat, *inter apocrypha deputatos, & ab authoritate Canonica, atque Apoſtolica remotos fuiſſe.* Unde certo certius eſt, quicquid eſt iſtorum Apoſtolicorum Canonum,

a *d.16.c.* 4.

b *ub. ſupr.*

nonum,

nonum; ullam adhuc publicam inter omnes Chriſtianos authoritatem circa ſeptimi ſæculi initia habuiſſe; & Juſtiniani, & Joannis Nomocanonem, in quem iſti primum canones jam adulto ſexto ſæculo fuerant relati, nondum ineunte ſeptimo ſæculo vel Iſidoro, vel noſtris Latinis cognitum fuiſſe.

CAP. III.

Gelaſium E. R. cum Romana Synodo a. D. 494. omnes omnino Apoſtolorum canones velut apocryphos repudiaſſe; & in eadem ſententia Iſidorum Hiſpal. a. D. 620. fuiſſe. Turriani, Bellarmini, & Baronii diverſa quidem, ſed omnes inanes & inverecundæ ad Gelaſii decretum gloſſæ atque exceptiones fuſe refelluntur.

QUOD vero negat Iſidorus iſtos Canones à Romana ſede receptos, quod eos ait inter apocrypha deputatos, id utrumque quam vere dixerit, luculentiſſime teſtatur Synodi Romanæ, anno D. 494. Gelaſio præſide habitæ de libris Canonicis, Eccleſiaſticis, & Apocryphis decretum *a*. Nam inprimis (quod ab Hincmaro nuper obſervatum fuiſſe audivimus) in priori decreti parte, qua poſt ſacros utriuſque fœderis libros, alia Eccleſiaſtica monumenta, nimirum

a T. 3. *Concil. p.* 661. 662.

nirum Synodorum Nicęnæ, CPæ. Epheſinæ, Chalcedonenſis decreta, Sanctorum Patrum, ut Cypriani, Baſilii, Athanaſii, Cyrilli, Chryſoſtomi, Theophili & aliorum opuſcula memorantur, nulla plane fit iſtorum canonum mentio; quos tamen ſi recepti fuiſſent, & pro Apoſtolicis habiti, nemo non videt, vel Scripturis divinis accenſendos, vel certe ſtatim poſt eos, primo ante alia omnia loco, collocandos fuiſſe. Tum in altera decreti parte *a*, quæ *notitiam* continet eorum, *quæ ab hæreticis, ſive ſchiſmaticis conſcripta vel prædicata ſunt, quæque nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia*, in ea inquam parte diſertiſſimis verbis nominantur Apoſtolorum canones *b*; *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus*. Hæc Gelaſii Synodus; quibus nihil clarius, aut luculentius dici poteſt. Eo ergo, ut liquet, reſpexit Iſidorus, dum Canones *ab hæreticis compoſitos, & à canonica & Apoſtolica authoritate remotos, & inter apocrypha deputatos* dixit; & *à ſede Apoſtolica receptos negavit*. Eadem diſerte, quod nuper dicebamus, laudavit Hincmarus *c*; *Sed & B.* (inquit) *Gelaſius in Catalogo, qui libri ab Eccleſia Catholica recipiantur deſcripto, authenticis Scripturis, & Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, Chalcedo-*

a *Ibid. p. 662. d. e.*

b *Ibid. p. 663. d.*

c *ep. capitum 55. cap. 24. T. 2. Hincm. p. 474.*

Digitized by Google

cedonenſis quoque Synodi, & aliis Conciliis à ſanctis Patribus inſtitutis, & Orthodoxorum opuſculis, atque decretalibus epiſtolis Apoſtolicæ Sedis Pontificum, aliiſque ſcripturis diſcrete commemoratis, de his Apoſtolorum Canonibus penitus tacuit; ſed nec inter apocrypha eos miſit, Hactenus Hincmarus, cujus ultima illa verba, *ſed nec inter apocrypha eos miſit*, vel memoriæ lapſu imprudenti exciderunt; vel certe mendoſa ſunt, & reſtituto verbo *omiſit*, pro eo, quod in codicibus vulgatis legitur *miſit*, corrigenda; ut ita ſcripſerit Hincmarus, *ſed nec inter apocrypha eos omiſit*. Nam Gelaſius quidem, qui eos Canones *inter apocrypha miſerit*, hoc eſt *relegarit*, & *rejecerit*, vel ex illius ſæculi idiotiſmo, *poſuerit ac collocaverit*, nemo dubitare poteſt, qui nuper à nobis recitatum Gelaſii decretum legerit. Quin & ipſe Hincmarus (apud Turrianum quidem certe) in illo, quem nuper memoravimus, *de variis capitulis Eccleſiaſticis* libro diſerte affirmat, Canones Apoſtolorum à Gelaſio in apocryphorum claſſem rejectos; *Sciendum autem* (inquit a) *quod B. Gelaſius Papa librum, qui de Canonibus Apoſtolorum apud Græcos inſcribitur, pro apocrypho deputavit, cui & nos contradicere non debemus, quia hoc eum ſine cauſa feciſſe non credimus*. Sed & ad hanc

a *Apud. Turrian. l. 1. qui eſt de Can. Ap. c. 15. fol.* 48. *verſo.* 49. *recto.*

ad hanc quoque Gelaſii ſententiam pertinere videtur, quod Dionyſius Exiguus cum in Canonum collectione ſua hos quoque Apoſtolorum Canones præter veterũ morem inſerendos putaſſet, Stephanum Epiſcopum, ad quem opus mittit, ita monitum in præfatione voluit; *In principio itaque* (inquit) *canones, qui dicuntur Apoſtolorum de Græco tranſtulimus; quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem; quamvis poſtea conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.* Nimirum ignorare non potuit vir Gelaſii ævo proximus, ac pene ejus par, (hic enim exeunte quinto, Dionyſius ineunte ſexto ſæculo floruit) Latinos, quorum erat inquilinus, iſtorum Canonum librum paulo ante in Synodo Romana inter apocrypha rejeciſſe. Sed homo ortu, ac natu, cultuque ac eruditione exterus à ſe impetrare non potuit, quin vernaculos gentis ſuę Canones, nondum Latina lingua ad illa tempora ornatos, Romanis, apud quos vivebat, communicaret; ac ne eorum animos nova hac merce offenderet, invidiam, qua eos flagrare intelligebat, lenire inprimis modeſta hac præfatione ſtuduit; non diſſimulans quidem *rejectos à plurimis*, ſed tamen eos tacite purgans, aut certe excu-

ſans, dum ait *ex ipſis aſſumpta fuiſſe Pontificum conſtituta.* Ego vero putaverim non ex canonum collectione ſua decreta Pontifices, ſed ex Pontificum conſtitutis ſuos canones aſſumpſiſſe primum eorum collectorem. Atque ita quidem Dionyſius. Ferrandus vero Diaconus Carthaginienſis, qui iiſdem propemodum temporibus, id eſt paulo poſt ſexti ſæculi initia, Canonum Eccleſiaſticorum breviarium confecit, intra terminos Patrum ſeſe continuit; & Apoſtolorum Canones in ſua illa collectione prætermiſit; plane ex Gelaſii diſciplina, Sed Dionyſiaca ob elegantiam, & ordinem veteris codicis æmulum; adhæc ob inſigne viri meritum placuerunt; & eam, de qua diximus, Canonibus Apoſtolicis gratiam apud Latinorum pleroſque paulatim conciliarunt; ita tamen, ut manerent non obſcura veteris in eos odii veſtigia. Nam & in Creſconiana collectione Baronius *a*, & in Vigornienſi à Dunſtano collato canonum vetuſtiſſimo codice Uſſerius *b* præfixum extare hunc titulum memorant, ex Dionyſii (ut liquet) ad Stephanum epiſtola, ductum, ac deſumptum; *Incipiunt Eccleſiaſticæ regulæ Sanctorum Apoſtolorum, prolatæ per Clementem Eccleſiæ Romanæ Pontificem; quæ ex Græcis exemplaribus in ordine primo ponuntur; Quibus quamplurimi quidem*

a *a.* D. 102. §. 10.
b *Diſſect. de Ign. c.* 6. *p.* 37.

dem conſenſum non præbuere facilem; & tamen poſtea quadam conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videntur. Atque ex his, quæ hactenus diximus, conſtat, quæ Latinorum veterum à quinti ſæculi ſupremis fuerint de Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, judicia. Primo, ab iis rejecti ſunt, ac inter apocrypha relegati; mox authore Dionyſio, viro Græco cultu, Scytha ortu, ac quibuſdam recepti & Canonum collectionibus inſerti, ſed (ut ait Hincmarus) ad inſtructionem, & ob famam, ab aliis, ut Iſidoro, haud ſegniter reprobati; tandem à Leone quarto, a. D. 849. admiſſi; ita tamen, ut nunquam plane obliteratus ſit, qui iis à principio adhæſit hæreticæ originis lævus rumor. Siquid ergo Romani ſanguinis adverſariis noſtris ineſſet, ii nobiſcum hac in cauſa dextras jungerent; & invectam à Græcis peregrinam hanc mercem ex ſuis terminis ejicerent, ac inter apocrypha ex veteri Gelaſii laudatiſſimi apud eos Pontificis ſcito ablegarent. Sed eorum animos ſic corrupit cauſæ quam adverſus nos agunt, quamque ex his fictitiis ac apocryphis canonibus nonnihil juvari poſſe ſperant, ſtudium, ut antiquiorum immemores, veteriſq; in Græcos ſchiſmaticos odii obliti, nihil non malint, quam Gelaſii decreto obſequi. Itaque

quo firma, ſartaq; ac tecta maneat eorum, quæ attulimus, veritas, ac nequis iſtis ſuperſit color, quo ſuam deinceps & in antiquiſſimos Patres contumaciam, & ad ſchiſmaticos Græcos hac in parte defectionem excuſent, nunc operæ pretium eſt eorum, tum ad Gelaſii decretum, tum ad Iſidori ſententiam effugia conſiderare, atque precludere. Illi vero, ut quos magnum aliquod diſcrimen repente opprimit, in diverſa de more abeunt. Turrianus ex ſuo, chimærarum ac prodigiorum feraciſſimo ingenio, librum nobis procudit *a* inauditum, à Priſcillianiſtis ſub nomine Apoſtolorum editum, cui titulus fuerit, *Liber Canonum Apoſtolicorum*, vel plane à ſuo 85. canonum codice diverſum; vel certe pluribus una cum veris canonibus, permixtis fœcibus, ac venenis ſcatentem. Hunc à Gelaſio damnari; hunc ab Iſidoro denotari, acerbiſſimiſque verbis reprobari reſpondet; non vero ſuum, quem purum, atque illimem, & ab hæretica manu intactum eſſe contendit. Ac ut muſteo, & futili commento aliquam addat ſpeciem, Leonis verba recitat de falſis atque apocryphis Priſcillianiſtarum ſcripturis conquerentis, ſeque teſtantis *b multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titulantur, inveniſſe*; & *apocryphas ſcripturas* commemorantis, *quæ ſub nominibus Apoſtolorum*,

a *Pro canon. cap.* 15. *p.* 48. *rect. p.* 51. *rect.* & *ſeqq.*

b *Ep.* 93. *ad Turribium. c.* 15.

poſtolorum, multarum habent ſeminarium falſitatum. Addit Clementem in Conſtitutionibus prodidiſſe a, *fuiſſe jam tum ſcriptos libros peſtiferos nomine Apoſtolorum*; quin & editos fuiſſe Moyſis, & Eſaiæ, &c. apocryphos libros. *An igitur* (inquit) *quia erat inter iſtos prophetia quædam nomine Eſaiæ apocrypha, & quidam liber apocryphus pſalmorum; idcirco apocryphus ſit liber pſalmorum David? & apocrypha omnis prophetia Eſaiæ?* Ego vero confiteor, hęc ex illo nequaquam ſequi; & ſi ad id exemplum dixiſſet Gelaſius extare apud hęreticos quēdam librum apocryphum, qui dicatur *Canonum Apoſtolorum liber*; ipſe vero inter Eccleſiaſticos alium ejuſdem tituli commemoraſſet; concederem equidem, ſiquis inde argumentaretur *omnes Apoſtolorum* dictos *canones* falſos eſſe & apocryphos, eum inquam concederem ſtulte ac perperam ratiocinari. Nunc vero res plane aliter habet. Nullum Gelaſius toto decreto memorat legitimum, atque Eccleſiaſticum *Canonum Apoſtolicorum librum*; nullum hoc titulo ante Gelaſium ullus prodidit veterum Patrum. Omnino primus eſt ex omni antiquitate hic Gelaſii locus in quo liber Canonum Apoſtolicorum nominatus reperiatur. Ergo clarum eſt, nullum ei viſum, aut cognitum fuiſſe librum hujus nominis legitimum atque

a *l. 6. Conſt.*

atque Eccleſiaſticum. Et quod hinc ſequ
tur, ergo delirat Turrianus, qui res to
genere diſſimiles, veluti ſimiles, ineptiſ
me inter ſe comparat, ac exæquat. Tu
edat nobis, ſi poteſt, aliquem ex om
Chriſtianorum hiſtoria librum, hoc tit
lo inſcriptum, *Canones Apoſtolici*, præt
eum ipſum, de quo nunc quærimus, v
85. canones (ut ipſe cum ſchiſmaticis Gr
culis mavult) vel certe 50. (ut Dionyſius
alii exhibent) continentem. Leo refert,
inveniſſe *corruptiſſimos Priſcillianiſtar*
codices, qui canonici titularentur; Con
memorant *apocryphas Scripturas, quæ ſ*
nominibus Apoſtolorum multarum haber
teſtimonium falſitatum. Audio; ſed neq
Leo, neque quiſquam veterum librum h
jus tituli, *Canones Apoſtolorum*, præt
hunc ipſum Turrianicum nominavit. E
go hunc ipſum Gelaſius intellexit, non
lium. Leo *canonicos* titulari, item ſub A
poſtolorum nominibus circumferri eos h
reticorum libros ait, qui vel Euangelioru
vel aliorum librorum vere canonicorum
vel alicujus ex Apoſtolis, nomen præfer
bant; quædam etiam vera, ut facilius d
ciperent, continebant, venenis ſubdo
inſperſa; cujus generis erant illa hic ab ip
Gelaſio memorata Thaddæi, Matthiæ, P
tri, Iacobi, Barnabæ, Thomæ, Barth
lom

Digitized by Google

lomæi, & Andreæ nominibus Euangelia; item ea, quæ falſaviſſe dicitur Lucianus; item Sortes Apoſtolorum, & actus Theclæ & Pauli; & ceteræ ejuſdem cenſus quiſquiliæ. Tertio fac (quod non eſt) fuiſſe tum temporis duos Apoſtolicorum canonum codices; unum verum, legitimum, & Eccleſiaſticum; alterum corruptum, apocryphum, & hæreticum; cæterum ejuſdem utrumque nominis ac tituli; qualiter duo Lucæ codices Tertulliani tempore extabant; unus verus, ac γνήσιος, falſus alter, à Marcione interpolatus. Certe ſi hæc ita habuerint, nemo non videt Gelaſium, quem damnat, falſum Apoſtolicorum canonum codicem, ab altero, quem probatum voluit, neceſſario diſtinguere debuiſſe; atque ita decernere; *Liber, qui falſo à Priſcillianiſtis canonum Apoſtolicorum dicitur, apocryphus*; ut ſiquis Marcionicum Lucæ Euangelium rejicere velit, ei neceſſario dicendum erit, *Lucæ, quod dicitur, à Marcione interpolatum Euangelium, apocryphum*; non autem ſimpliciter & abſolute, *Liber Euangelii Lucæ, vel ſecundum Lucam apocryphus.* Hoc vero nemo Catholicus dixerit; quo clarum eſt, non Marcionicum, ſed ipſum, quod apud omnes dicitur, Lucæ Euangelium ſignificari. Jam vero non illo, ſed hoc modo, pure ac

ſimpliciter

ſimpliciter locutus eſt Gelaſius, *Liber* (inquit) *Canonum Apſtolicorum apocryphus.* Ergo neceſſe eſt, ejus verba de illo libro accipi, qui vulgo ac communiter eo nomine circumferebatur; hoc eſt de eo ipſo, quem defendit Turrianus. Si quis diverſus, vetus, ac γνήσι@ extabat, apparet Gelaſium ſtultiſſime locutum eſſe, & ineptiſſimæ orationis ambiguo catholica cum hæreticis, vera cum falſis, genuina cum ſpuriis, canonica denique cum apocryphis eadem condemnatione perperam involviſſe; quod quidem de Gelaſio neque nobis, neque cuiquam cordato Turrianus perſuaſerit. Neque ſane ante iſtum natum, aliter Gelaſii verba quiſquam intellexerat, aut illos Priſcillianiſtarum Apoſtolicos canones, in uno hujus Jeſuitæ cerebro natos, norat. Dionyſius quidem, quibus *Apoſtolorum canonibus plurimos* ſcribit *conſenſum non præbuiſſe facilem,* eos non neſcio quos Priſcillianiſtarum, aut aliorum hæreticorum, ſed hos ipſos, quos *de græco ipſe tranſtulit,* canones intelligit; hoc eſt Turrianicos. Et Criſconianus Baronii, & Vigornienſis Uſſerii codex illos plane eoſdem exhibent; quibus *quamplurimos* nequaquam aſſenſos eſſe confitentur. Neque de Priſcillianiſtis, quos Turrianus, (ut Sabini ſolebant) ex ſua libidine ſomniavit, ſed

de

de ipſis Græcorum, quos ille defendit canonibus Apoſtolicis accipit Humbertus eos Apoſtolorum canonas, quos *Patres inter Apocrypha numeraverant*. Id enim teſte ac judice Turriano, ad Gelaſianum de libro Apoſtolicorum Canonum decretum pertinet. Ergo ſi is ſibi conſtare velit, agnoſcat neceſſe eſt Humbertum quos vocat *apocryphos libros & canones pari ſententia Sanctorum Patrum repudiatos*, eos ipſos intelligere, qui à Gelaſio damnati erant. Jam vero clarum eſt, Humbertum loqui de canonibus, non Priſcillianiſtarum de quibus ne per ſomnium quidem unquam cogitavit, ſed Græcorum. Hos enim objiciebat Nicetas; ut apparet, tum ex eo, quod cum eſſet Græcus, non alios cognitos habuit Apoſtolorum canones, quam quos Trullana Synodus, cujus & ipſe meminit, confirmaverat; tum ex eo ipſo canone, quem nominatim affert *a*. Is enim ille ipſe eſt, qui etiam hodie in Græco Apoſtolicorum canonum codice ſexageſimus quintus, aliis 64. (ut numerat Nicetas) his verbis expreſſus legitur; εἴτις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. *Si quis inventus fuerit, Dominicam diem jejunans, aut Sabbatum, præter unum ſolum, deponatur.*

Si

a *Contr. Lat. part.* 2. *T.* 4. *Bibl. PP. p.* 236. *a.*

Si autem laïcus, ſequeſtretur. Ad hanc objectionem reſpondens Humbertus a, *Hoc* (inquit, id eſt Sabbato nunquam jejunandum) *aſſerere conaris ex apocryphis libris, & Canonibus pari ſententia Sanctorum Patrum repudiatis.* Ergo ex Humberto, Patrum (id eſt, aſſentiente Turriano, Gelaſii & Synodi Romanæ) *ſententia repudiati erant* Apoſtolici, non Priſcillianiſtarum, ſed Græcorum, adeoque ipſius Turriani canones. Et quod mox addit Humbertus, *Canones Apoſtolorum numerari* (à Gelaſio ſcilicet & Synodo Romana) *inter apocrypha*, id pariter de Græcorum, adeoque & Turriani canonibus, neceſſario intelligendum eſt; *exceptis tantum quinquaginta illis capitulis*, quæ ait Patres *decreviſſe regulis orthodoxis adjungenda.* Neque de aliis ſumpſit juris Pontificii interpres, ac collector Gratianus. Audi quæſo, Turriane. *Apoſtolorum* (inquit b) *Canones, qui per Clementem P. R. (ſicut quidam aſſerunt) dicuntur eſſe tranſlati, ſunt quinquaginta. Hos non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos ſcribit Iſidorus, dicens; Canones qui dicuntur Apoſtolorum*; & cætera nuper à nobis deſcripta. Qui per Clementem tranſlati dicuntur, & ſub quinquaginta nnmeris diſpoſiti apud Latinos habentur, Apoſtolorum canones, ii non *Priſcillia-*

a Ibid. p. 243. a.

b d. 16. c. 1.

Priſcillianiſtici, ſed ipſi illi ſunt canones, quos & Trullana Synodus conſecravit, & Turrianus nunc defendit. Atqui Gratiano quidem authore, ac interprete quos Iſidorus ſcribit non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos eſſe, hi ipſi ſunt Apoſtolorum canones quinquaginta, per Clementem (ut creditur) tranſlati; Ergo quos Iſidorus, adeoque & Gelaſius, inter apocrypha deputant, ii canones, non Priſcillianiſtici ſunt, aut ulli alii imaginarii, ſed ipſi illi, quos Turrianus nunc defendit, olim à Patribus Trullanis receptos ac confirmatos. Idem eſt, quod paulo ante exhibuimus, eruditiſſimi, ac in his litteris facile principis viri Antonii Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi judicium; qui quos Canonas Iſidorus Mercator probat eoſdem Hiſpalenſem Iſidorum rejeciſſe affirmat. Non autem *Priſcillianiſticos* opinor, ſed Dionyſiacos, & Turrianicos probavit Mercator; Ergo & hos ipſos, non autem illos, velit nolit Turrianus, rejecerat Hiſpalenſis Iſidorus, judice quidem Antonio Auguſtino, omnibus Jeſuitis in hoc diſciplinarum genere potiori. Sed hic Turriano res ridicula, ac jocoſa accidit. Nam uſque adeo væcors fuit, ut ad eundem lapidem impegerit, ad quem Gratianum impegiſſe notavit Antonius; ſibi nimirum

 perſuaſit

perſuaſit homo omnium qui ſunt, aut fuerunt, ſuo quidem judicio ſapientiſſimus, unum eundemque eſſe Iſidorum, & illum qui probat, & illum, qui rejicit Apoſtolorum canones apud Gratianum. Itaque in Magdeburgenſes vir gravis plenis buccis detonat *a*, quod ſcilicet quem in rejiciendis canonibus ducem ſecuti ſunt Iſidorum, eundem in iis approbandis minime ſequantur, eoſque in ipſum illum, quem ſtrinxerant gladium, ut novos Amalecitas irruere jubet, & ſuo pugione confoſſos perire. Quis non hominis amentiam, ac cęcitatem rideat? Tu vero deliras, vel ut melius dicam, furis, Turriane; qui Mercatoris iſtius tui, hominis nihili, gladium Iſidori Hiſpalenſis eſſe putas. Hic Iſidorus gladium quidem in te, ac in tuos Canones formidabilem ſtringit; nobis nullo mucrone minatur, qui canones una cum ipſo tuos *ab Apoſtolica authoritate ſemovemus*. Mercatori vero tuo nihil præter nomen, cum Iſidoro commune eſt. Tu, ſi lubet, nobilis impoſtoris merces tibi habe. Nos ejus authoritatem, neque pertimeſcimus, neque tibi invidemus. Quanquam ſane neque ille tecum ſtat in hoc quidem articulo. Nam & quinquaginta tantum numerat Canones, non ut tu cum ſchiſmaticis Græcis 85. & hos ipſos, quos numerat, non autem quod tu

a c. 15. extr. p. 51. rect.

tu vis, Priſcillianiſticos, *à quibuſdam apocryphos dici*, confitetur. Ex illis *quibuſdam* unus, ut liquet, fuit Gelaſius; quocum nulla, credo, invidia eſt quemquam eadem de canonibus tuis ſentire. Sed ſatis verborum conſumpſimus in refellendo futili vaniſſimi hominis commento; quod adeo abſurdum omnibus viſum eſt, ut neminem unquam, ne ex ipſis quidem Turriani Symmiſtis Jeſuitis habuerit ſectatorem.

Venio ad alterum, quod Bellarmini eſt, effugium. Is cum quædam partim falſa, partim inania attuliſſet *a*, quibus effici videtur legitimos eſſe Apoſtolorum canones, & ex alia parte Gelaſii decretum objeciſſet, quo *canonum Apoſtolicorum liber pronunciatur apocryphus*; *Hæc* (inquit) *conciliari poſſunt, ſi dicamus Canones legitimos eſſe ſolum quinquaginta priores; reliquos non eſſe legitimos, quamvis à Græcis recipiantur*. Tum multa affert, & quidem ea fere, quæ nos ſupra deſcripſimus, quibus probatur, canones Apoſtolorum eſſe ſolum quinquaginta. Hæc autem iſte ab Humberto Cardinali mutuatus eſt, qui a. D. 1050. eadem his verbis ſcripſerat, quæ nos ſupra jam recitavimus; *Apoſtolorum canones numerant Patres inter apocrypha; exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei tractatores adjungenda.*

a *l. de ſcript. Eccl. in Clem. §. De Canonibus*

jungenda. Ego vero inprimis fateor, quod tanto conatu probare ſtudet Bellarminus, quinquaginta ſolum & in Dionyſii, & in cæterorum antiquis codicibus Latinis canones reperiri. Quid hoc faciat ad ſolvendam difficultatem ex Gelaſii decreto objectam, non video. Non fuerunt (inquis) plures quam quinquaginta Apoſtolorum canones apud veteres Latinos. Eſto, inquam. Quid tum poſtea? Ergo (inquis) hos quinquaginta non tangit Gelaſii fulmen; ſed quoſdam tantum alios, numero triginta quinque, à Græcis vel hæreticis ſuperadditos. Atqui, inquam, Gelaſius decernit *apocryphum eſſe librum Canonum Apoſtolorum.* Tui illi quinquaginta vel eum librum conficiunt, vel certe ejus pars ſunt, & quidem major. Ergo & ipſos apocryphos eſſe decrevit Gelaſius; Qui ſi in animo id, quod tu vis, habuiſſet, triginta tantum & quinque poſtremos à neſcio quibus hęreticis additos ferire, tuis vero, qui ſuperſunt, quinquaginta parcere; alios profecto ab alliis diſtinxiſſet; non, quod fecit, indiſcrete, ac ſimpliciter *librum canonum Apoſtolicorum* ad apocrypha amandaſſet. Humbertus ait, *Patres decreviſſe quinquaginta capitula orthodoxæ fidei adjungenda.* Quæro, qui Patres, & quo loco hoc decreverint! Gelaſius quidem ab Eccleſiaſticis

cleſiaſticis regulis ad apocrypha amandat *canones Apoſtolorum*. Ex his nuſpiam quinquaginta excipit; nuſpiam eos orthodoxis regulis adjungit. Quid ſequentium temporum Patres fecerint, ipſe & Bellarminus viderint. Nos ſcimus, neque Gelaſium, neque ullos ante eum Græcos Latinoſve Patres quicquam hujuſmodi de canonibus iſtis quinquaginta decreviſſe. Quod ii tandem apud Latinos recepti ſint, id una Dionyſii Exigui temeritas fecit, qui primus hoc 50. Canonum auctario Eccleſiaſticarum regularum codicem auxit. Itaque ſomnia ſunt, quæ nobis & Humbertus, & Bellarminus de ſuis illis 50. canonibus narrant; ex ſola eorum libidine, cauſſæque ſtudio orta. Nos vero, ut iſtorum vanitas clarius eluceſcat, veteres interrogemus, quinam ſint ii Apoſtolorum canones, quos multi olim rejecerunt. Primus omnium, ac Gelaſio proximus occurrit ipſe ille Dionyſius, qui ſuæ collectioni 50. Apoſtolorum canones præpoſuit. Ille narrat, *plurimos Apoſtolorum canonibus conſenſum non præbuiſſe facilem*. Quibus? Iis (inquit) *quos de græco tranſtulimus*, quoſque *in principio ante regulas Nicænæ Synodi locavimus*. Atqui nullus illos triginta quinque poſteriores, ſed ſolus quinquaginta priores *tranſtulit*, & in ſuo codice

 recen-

recenſuit. Ergo hos ipſos quinquaginta, *plurimi olim* rejecerunt. Eadem, ut ſupra audivimus, loquuntur veteres canonum præfationes Creſconianæ, & Vigorniensi collectionibus præfixæ. Ipſe quinetiam, peſſimæ alioqui fidei Mercator, fatetur tamen eos ipſos Apoſtolorum Canones, quos ipſe *cæteris conciliis præpoſuit à quibuſdam apocryphos dici*. Atqui non alios ipſe, quam hos ipſos quinquaginta, pro quibus pugnat Bellarminus, Conciliis in ſua collectione præpoſuit, & quidem à Dionyſio Exiguo tranſlatos. Ergo hi ipſi, non alii, à quibuſdam veterum *apocryphi dicti ſunt*. Quod ſi quæras, quibuſ-nam Canones, qui vocantur Apoſtolorum, *apocryphi dicti ſint*, non alios reperies apud veteres illos, qui hoc eos elogio ornarint, quam Gelaſium, & 70. Synodi Romanæ Patres, & ſecundum hos Hiſpalenſem Iſidorum. Ergo iſti cum *librum Canonum Apoſtolorum apocryphum* eſſe pronuntiant, hos ipſos quinquaginta Canones intelligunt. Eadem quoque eſt Hincmari Remenſis ratio. Is docet, & ratione confirmat *a*, quod ſupra demonſtravimus, *Canones, qui vocantur Apoſtolorum*, ab Apoſtolis neque conſcriptos, neque editos ac promulgatos fuiſſe. Ait in iis *quædam eſſe receptibilia, quædam* etiam

a *In op. 55. cap. capite 24. p. 473.*

etiam *non ſervanda*; ideo legendos cum illa Apoſtoli in Apocryphorum lectione ex Gelaſio adhibenda cautela, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*; Deniq; ſcribit Gelaſium *in Catalogo librorum, qui ab Eccleſia Catholica recipiuntur, de his Apoſtolorum Canonibus penitus tacuiſſe.* Si quæris, de quibuſnam Apoſtolorum Canonibus hæc omnia dicat, reſpondet *a* diſertiſſime ſe de iis loqui, *qui ſeorſum ante Concilia in Canonum libris ad inſtructionem, & propter vulgatam eorum famam ponuntur.* Jam ex Dionyſio Exiguo, & Pſeudo-Iſidoro Mercatore patet, non alios illis temporibus in Latinis Canonum libris ante Concilia poſitos fuiſſe Apoſtolorum Canones, quam hos ipſos quinquaginta, de quibus litigat Bellarminus. Ergo hi ipſi ſunt, quos à catalogo receptorum in Eccleſia librorum excluſit Gelaſius; quoſque cum cautela, velut dubios, legendos putat Hincmarus. Neq; Iſidori Hiſpalenſis alia mens fuit; dum *Canones Apoſtolorum* negat *à ſede Apoſtolica receptos*; dum ait eos *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos.* Plane iſtos quinquaginta intelligit; Neque enim alii, quam hi, in Latinis Conciliorum libris habebantur; ad quos in omnibus Hiſpaniæ veteribus codicibus inventum fuiſſe hanc Iſidori annotationem teſtatur vir

a p. 478. extr.

graviſſimus Antonius Auguſtinus. Quod ſi nobis hoc credere nolit Bellarminus, credat ſaltem Gratiano ſuo, cujus hæ ſunt jam à nobis nuper recitatę voces; *Apoſtolorum Canones, &c. ſunt quinquaginta. Hos non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos, Iſidorus ſcribit.* Non potuit diſertius frigidam Bellarmini cavillatiunculam refutare, ad 35. poſtremos Canones torquentis, quæ hic clamat de his ipſis quinquaginta dicta eſſe. Denique idem quoque agnovit ac docuit celeberrimus, ac doctiſſimus Archiepiſcopus Antonius Auguſtinus, dum ſcribit, *Mercatorem probare hos Canones, quos Iſidorus rejecerat.* Probavit autem Mercator quinquaginta Apoſtolorum Canones; Ergo & hos quinquaginta rejecerat Iſidorus. Jam illud clarum atque confeſſum eſt Iſidorum, dum negat *ſedem Apoſtolicam Canones qui dicuntur Apoſtolorum, recepiſſe,* vel *Patres iis aſſenſum præbuiſſe*, Gelaſium Romæ Epiſcopum, & 70. Romanæ Synodi Patres, decretumque ab iis de libro Canonum Apoſtolorum factum in animo habuiſſe. Ergo Iſidoro judice, hos ipſos, quos Latini habent quinquaginta, damnavit Gelaſius. Quod ipſum ex iis omnibus liquido colligitur, quos nuper ſcripſiſſe diximus vel *plurimos*, vel *quampluri-mos his Canonibus Apoſtolorum* (quinquaginta

a d. 16. c. 1.

Digitized by Google

quaginta ſcilicet) *conſenſum non præbuiſſe*, vel *apocryphos eos dixiſſe*, vel *in catalogo librorum Eccleſiaſticorum tacuiſſe*. Rogo, quinam iſti fuerint, qui hos 50. Canones rejecerunt. Nulli alii ex omnibus Latinis ante Iſidorum & Dionyſium reperientur quicquam hujuſmodi de Apoſtolicis Canonibus ſtatuiſſe, præter Gelaſium, Synodique Romanæ 70. Patres. Ergo neceſſe eſt, vel hos, Apoſtolorum quinquaginta Canones damnaſſe, vel certe falſo ac temere Dionyſium & cæteros collectionum authores ſcripſiſſe, Canonibus iſtis quinquaginta vel multos, vel quoſdam interceſſiſſe. Nam ſi, quod vult Bellarminus, Gelaſius triginta quinque poſtremos duntaxat damnavit, falſum eſt, quinquaginta priores à plurimis, vel à quibuſdam damnatos, quos nulli damnaſſe reperiuntur, ſiquidem eos Gelaſius, & 70. Patres Romanæ Synodi intactos reliquerunt. At certum eſt ex Dionyſio & cæteris, hos etiam quinquaginta rejectos fuiſſe & exploſos; Ergo neceſſe eſt eos ipſos Gelaſium damnaſſe, cum librum Canonum Apoſtolorum apocryphum eſſe pronuntiavit. Neque ſine ſumma impudentia hoc à nobis flagitare poteſt Bellarminus, ut ipſi potius, quam Dionyſio, & cæteris collectoribus de rebus, quæ eorum memoria gerebantur, cre-

damus. Itaque claris & invictis rationibus demonſtratum eſt, Gelaſii de Apoſtolorum Canonibus decretum hos ipſos priores quinquaginta canones damnare, ac in apocryphorum cenſum amandare; non autem 35. poſtremos, (quod præter omnem & rerum ipſarum rationem, & veterum Latinæ Eccleſiæ ſcriptorum fidem contendit Bellarminus.) Quinimo recte & accurate rem expendenti omnino apparebit anno illo quinti ſæculi 94. quo Gelaſianum de apocryphis decretum conditum fuiſſe conſtat, ſolos quinquaginta priores Apoſtolorum, qui dicuntur, Canones in rerum natura extitiſſe, necdum iis temporibus conſarcinatos fuiſſe illos 35. Canones, qui paulo poſt Gelaſii fata, emerſiſſe, & à Græcis, harum quiſquiliarum avidis, excepti, & quinquaginta prioribus additi fuiſſe videntur, & à Juſtiniano, & Ioanne ex Scholaſticis in nomocanonem mox relati. Cujus rei hoc clarum, ut mihi quidem videtur, & evidens argumentum habeo, quod Dionyſius Exiguus, qui viginti aut triginta poſt Gelaſium annis Romæ vivebat, non plures quam quinquaginta priores Apoſtolorum Canones in ſuo Codice Conciliis præpoſuerit. Nulla enim ratio eſt, cur hos triginta quinque canones, quibus nunc auctior eſt Græcorum, quam Dionyſii & Latinorum

Digitized by Google

tinorum ex eo codex, prætermiſerit, ſi ii jam tum apud Chriſtianos extabant. Turrianus quidem rotunde alicubi fatetur *a*, exceptis quinquaginta prioribus Apoſtolorum Canonibus, cęteros (id eſt illos 35. reliquos) tardius ad Latinos, quam ad Græcos perveniſſe; hos enim *eos à Clemente Romano græce ſcriptos prius accepiſſe.* Idem alibi ait *illis temporibus* (hoc eſt Gelaſianis & anterioribus etiam ſæculis) *non plura, quam quinquaginta capitula Latinos habuiſſe.* Sed hæc Turriani hypotheſis, ut illius viri pleraque, & abſurdiſſima per ſe eſt, & cauſam Bellarmini jugulat, & ad ſolvendam quam propoſui rationem eſt inutilis. Abſurdiſſima eſt. Fac enim Clementem Romæ Epiſcopum, 85. illos Apoſtolorum canones, jam ab initio Chriſtianis (quod vult Turrianus) conſcripſiſſe, & eo quo nunc habentur, ordine digeſſiſſe, ac edidiſſe; quis crediderit optimum ac ſapientiſſimum epiſcopum hunc, potiſſimum, planeque neceſſarium (ſi qua Turriano fides) theſaurum Græcis quidem procul remotis totum tradidiſſe? Romanis vero, & civibus, & omnibus ſuis invidiſſe; nec niſi mutilum ac magna ſui parte truncatum dediſſe? Tum ſi erant à principio 85. canones, cur quæſo, qui eos Latine vertit, quinqua-

a *Pro canon. cap. 28. p. 101. vers.*

b *Ibid. c. 15. p. 48. verſa.*

quinquaginta duntaxat vertit? cæteros Græcis totos reliquit? Iſta ſane Turriani ſomnia non cohærent. Sed & eadem Bellarminianam conciliationem jugulant. Si enim ſæculo quinto non plures erant apud Latinos, quam quinquaginta Apoſtolorum canones (quod ſtatuit bonus Turrianus) clarum eſt Gelaſium, non illos triginta quinque poſtremos, quod ait Bellarminus, ut pote ſibi, & cæteris Latinis ignotos, ſed hos ipſos priores quinquaginta damnaſſe; niſi (quod ſtultiſſimum eſt) dicamus illum epiſcopum cum Romana Synodo canones quidem ſibi ignotos diſerte damnaſſe; de iis, qui Latini erant, & ſibi cogniti ac familiares, nihil decreviſſe. Neque poſtremo hæc Turriani hypotheſis præſentem nodum ſolvit. Fingamus enim, quod Turrianus ſomniat, nimirum ineunte ſexto ſæculo, quo tempore vixit Dionyſius, jam apud Græcos quidem extitiſſe 35. illos Apoſtolorum canones, Latinis vero eoſdem incognitos fuiſſe; Non ideo confeceris, eos Dionyſio quoque pariter incognitos fuiſſe. Is enim non Latinis tantum, ſed & Græcis litteris apprime fuit excultus, & in omni utriuſque linguæ doctrina Eccleſiaſtica verſatiſſimus; quod ex Caſſiodoro *a*, eorundem temporum ſcriptore, & Beda *b*, & aliis *c* notum eſt; ut tali

a *Divin. lect. c. 23.*
b *De rat. temp. c. 45.*
c *Vid. Baron. a. D. 527. §. 67. & ſeqq. Item a. D. 102. §. 14.*

tali viro ignoti eſſe non potuerint, ſiqui apud Græcos fuiſſent hi 35. Apoſtolorum Canones. Adhæc ipſe teſtatur ſe, quos exhibet Apoſtolorum canones, *de Græco tranſtuliſſe* a. Cum ergo codex, ex quo eos legit & tranſtulit, Græcus eſſet, is omnino ex Turriani hypotheſi 85. canones continebat, non autem 50. duntaxat. Vult enim Turrianus eo jam numero apud Græcos fuiſſe Apoſtolorum Canones. Itaque dici non poteſt Dionyſium illos triginta quinque poſtremos ideo non convertiſſe, quod eos, licet extantes, notos tamen minime habuerit; qui ut ex his liquet, ſi apud Græcos extitiſſent ulli, Dionyſium nequaquam latere potuiſſent. Si dicas Dionyſium, licet probe cognitos, ideo tamen prætermiſiſſe, quod ſciret ipſos à Latinis, quibus hanc operam deſtinabat, non haberi legitimos; primo mirabile eſt, planeque incredibile eum hoc, ſiquid hujuſmodi erat, diſſimulaſſe ac penitus tacuiſſe in præfatione ad Stephanum. Siquid enim hujuſmodi fuiſſet, omnino res ipſa poſcebat, ut lectorem de eo moneret; ne ſcilicet codicis ſui tanta à græco diverſitas quemquam offenderet. Qui Stephanum monendum putavit ſuis illis quinquaginta canonibus plurimos conſenſum non præbuiſſe facilem; quanto magis hoc, ſi verum

a *ep. ad Steph.*

Digitized by Google

rum erat, enarraſſet; Ille vero non fecit. Huc accedit, quod canones illi triginta quinque, Turriano quidem judice, omnes, Baronio *a* vero ac Binio *b* authoribus propemodum omnes legitimi ſunt, ac authentici (Hi enim illos omnes eo loco ac numero habent duobus tantum exceptis, ſcilicet 65. aliis 66. & ultimo) Ergo nihil obſtabat, quominus Dionyſius, vel omnes 35. ex Turriano, vel certe 33. ex Baronio & Binio, duobus (quod facile fuit) vel omiſſis, vel atro carbone notatis, ſuæ collectioni adderet. Atqui ne unum quidem iſtorum 35. poſuit, ſed ſolos quinquaginta priores exhibuit. Ex his ergo concludendum eſt, iſtos triginta quinque poſtremos, nullos adhuc tunc temporis in rerum natura extitiſſe; qui ſi extitiſſent ſcilicet, Dionyſio agniti, etiam in hac collectione inſerti eſſent. Illos Dionyſius quod omittit, eo ſibi fatetur ignotos; Quod autem ignotos ſibi fuiſſe arguit, hoc ipſo ne extitiſſe quidem eos demonſtrat. Idque ipſum vi veritatis victus, haud obſcure prodidit his verbis Baronius *c*; *Qui primus* (inquit) *è Græco ſermone Canones Apoſtolicos in Latinum vertit, accuratiſſimus atque fidiſſimus interpres Dionyſius, Græcus author, & inter Latinos magna cum laude diu verſatus, quinquaginta tantum reperit.* Iam Canones

a *a. D. 102. §. 17.*
b *ann. in tit. can. Ap. T. 2. Conc.*
c *a. D. 102. §. 14.*

Canones Apoſtolorum, cum non plures, quam quinquaginta, Dionyſii tempore extiterint, fieri non poteſt, ut auctiores Gelaſii, qui Dionyſio anterior fuit, ævo fuerint. Unde poſtremo ineluctabili neceſſitate ſequitur, ut quem Gelaſius apocryphum pronunciat Apoſtolicorum canonum librum, is idem ille fuerit canonum quinquaginta codex, quem & Dionyſius olim tranſtulit, & nunc defendit Bellarminus; non autem illa Græcanica triginta quinque canonum lacinia, qui ne Dionyſii quidem tempore ulli extabant, nedum ut Gelaſio cogniti fuerint.

His rationibus ſubactus Baronius, hoc quidem quod nos demonſtravimus confitetur, *librum* ſcilicet *Canonum Apoſtolicorum* à Gelaſio inter *apocryphos* numeratum, ipſum eſſe Dionyſiacum quinquaginta canonum codicem; ſed alio effugio elabi, Gelaſianumque fulmen à ſuo Palladio depellere conatur. Fingit enim hunc librum ideo *apocryphum* à Gelaſio dici, quod non ſit in ſenſu divinorum Novi Teſtamenti librorum; non autem ſic, ut intelligatur ex librorum Eccleſiaſticorum albo excluſus, atque expunctus. Iſti canones *ea* (inquit) *ratione, quod cum Apoſtolorum nomine cenſerentur, non eſſent in canone librorum novi Teſtamenti, merito*

rito ſunt apocryphorum cenſura ſignati; quod vero à Sanctis Patribus privatim, & à ſacris Synodis publice ſunt recepti, merito authentici dici debent. Sed longe ineptiſſimam, ac impudentiſſimam gloſſam refellit ipſe multis modis Gelaſius; ac primo quidem eo quod in ſuo illo Synodico decreto, non ſimpliciter divinorum & *θεοπνεύςων* librorum, ſed eorum etiam, quos Romana Eccleſia *ſuſcipi non prohibebat*, canonem ac breviarium tradit; in quo adeo poſt recenſitas priore (ut decebat) loco ipſas utriuſque fœderis divinas Scripturas, deinceps enumerat cæteras ab Eccleſia, licet non eodem honoris gradu, probatas ac ſuſceptas Conciliorum & virorum Eccleſiaſticorum litteras, ac chartas; ut Nicænæ, CPæ. Epheſinæ, & Chalcedonenſis ſynodorum canones, ut Cypriani, Gregorii, Baſilii, Athanaſii, Cyrilli, Chryſoſtomi, Theophili, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Proſperi, & aliorum opuſcula. His ex adverſo ſubnectit notitiam eorum librorum, qui non recipiuntur; in qua collocat Ariminenſem ſynodum, *Itinerarium Petri, octo Clementis libros*, Actus Andreæ, Thomæ, Petri, & Philippi, Euangelia Thaddæi, Matthiæ, Petri, Jacobi minoris, Barnabæ, Thomæ, Bartholomæi,

Andreæ,

Andreæ, libros de infantia Salvatoris, item de ejus nativitate, & de Maria, & obſtetrice, & cæteros, quos enumerare longum eſt. Itaque tres ſunt, ut quivis videt, in hoc Gelaſiano decreto librorum ordines. Primus, divinos ac θεοπνεύστους complectitur. Alter non divinos quidem, neque proprie θεοπνεύστους, probatos tamen & receptos & laudatos, & in uſu Eccleſiæ poſitos. Tertius vero rejectos ac improbatos continet, & duorum priorum ordinum libris oppoſitos, id eſt, neque divinos, neque Eccleſiaſticos. Jam vel cæcus viderit Gelaſium, Apoſtolorum canones, ſi, quod ſomniat Baronius, de iis ſenſiſſet, debuiſſe in ſecundo ordine, & quidem in ipſis ſtatim principiis collocare; una cum Synodorum probatarum regulis, & orthodoxorum ac Catholicorum hominum litteris; quæ licet non divinæ, neque θεόπνευστοι ſint, ſunt tamen, ac habentur, ut ille ait, authenticæ. Atqui id non fecit Gelaſius. Canonum Apoſtolicorum librum, non in ſecunda claſſe, ubi ex Baronii figmento legitimus erat ejus locus, ſed in tertia cenſuit; quę eorum librorum eſt, qui plane nullam neque divinam, ut Scripturę, neque Eccleſiaſticam, ut Concilia & ſcripta Catholicorum probata, authoritatem habent. Ergo Gelaſius Apo-

lorum Canones decrevit, non modo divinos non eſſe, quod concedit Baronius, ſed ne Eccleſiaſticos quidem vel authenticos haberi, quod iſte pertendit. Sed quid opus eſt argumentis? Ipſe Gelaſius clara voce clamat à mente ſua plane penituſque alienam fuiſſe, quam Baronius comminiſcitur, Gloſſam. Is enim poſtquam ſecundi ordinis opera percenſuit; *Cætera, quæ ab hæreticis* (inquit) *ſiive ſciſmaticis conſcripta, vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda.* Tum continuo ſubdit; *In primis Ariminenſem Synodum, &c. item itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur Sancti Clementis libri octo,* & poſt multa ejuſdem ordinis continenter recenſita, *Liber* (inquit) *Canonum Apoſtolicorum apocryphus.* Ergo etiam hic liber, judice Gelaſio, ab hæreticis, ſive ſciſmaticis conſcriptus eſt; Etiam hic liber à Catholicis vitandus; Etiam hunc librum nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Dic mihi Baroni; etiam-ne ab hæreticis ſive ſciſmaticis conſcriptos libros; etiam-ne à Catholicis vitandos; etiam-ne nullatenus ab Eccleſia Catholica receptos, pro authenticis & Eccleſiaſticis

ſticis habendos putas? Me quidẽ tuæ pudet ac piget inverecundię, qui Canones iſtos talibus ſtigmatis à Gelaſio inuſtos, ac compunctos, ab eodem pro authenticis habitos contendis. Sed nondum finis eſt. Recenſitis enim illis tertii ordinis libris, in quibus eſt, ut diximus, Apoſtolicorum canonum codex, ita tandem concludit Gelaſius; *Hæc* (adeoque & canones Apoſtolorum paulo ante cum cęteris memoratos) *hæc*, inquit, *& cætera his ſimilia, quæ Simon Magus,* &c. *nec non & omnes hæretici eorumque diſcipuli ſive ſciſmatici docuerunt, vel conſcripſerunt, quorum nomina minime retinentur, non ſolum repudiata, verum etiam ab omni Romana Catholico Apoſtolica Eccleſia eliminata, atque cum ſuis authoribus, authorumque ſequacibus ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.* En quales nobis Baronius fingat libros authenticos! *ab hæreticis quidem, vel à ſciſmaticis conſcriptos, ab Eccleſia vero Romana non ſolum repudiatos, verum etiam eliminatos, & in æternum damnatos!* Hæc enim velit nolit Baronius, etiam *in librum Canonum Apoſtolicorum* congerit Gelaſius; qui in *horum*, de quibus iſta dicit, numero diſertiſſime ab ipſo commemoratus legitur. Poſtremo ipſum *apocryphi* voca-

bulum, quo uſus eſt Gelaſius, Baronianum commentum apertiſſime conficit. Hęc ſunt Gelaſii verba, *Liber canonum Apoſtolicorum apocryphus*. Vult Baronius *apocryphum librum* hic dici, qui Apoſtolicum nomen præferens, non eſt tamen certo ab Apoſtolis conſcriptus, neque adeo divinus, tametſi alioqui ſit authenticus, atque Eccleſiaſticus. Concedam; ſi Gelaſius id vocabulum, quod in hoc decreto bis & ſexagies poſuit, vel ſemel eo ſenſu ſumpſerit, Ille vero in tota hac ſententia conſtanter *apocryphum* dicit, id quod à publica Eccleſiaſticæ authoritatis luce remotum inter rejecta, damnataque deliteſcit, neque ab Eccleſia ſuſcipitur, aut probatur. Ita cum in proximo dicit Gelaſius, *Liber, qui appellatur Sortes Apoſtolorum, apocryphus; Liber, qui appellatur Laus Apoſtolorum, apocryphus; Liber Phyſiologus, qui ab hæreticis conſcriptus eſt, & B. Ambroſii nomine ſignatus, apocryphus*; nemo eſt uſque adeo Baronianus, qui iſta non eo ipſo, quem demonſtravimus, ſenſu, *apocrypha* dici fateatur; ac, ut ſemel dicam, nunquã aliter toto hoc opuſculo uſurpatum eſt *apocryphi* vocabulum. Quod uſque adeo manifeſtum eſt, ut etjam à Bellarmino diſerte fuerit obſervatum; ubi ille ediſſerens, quo ſenſu *apo-*

cryphi

cryphi vocabulum uſurpare ſoleant ſcriptores Eccleſiaſtici, *Interdum* (inquit *a*) *vocant apocryphos libros eos, qui errores admixtos habent. Sic utitur hac voce Origenes homilia* 1. *in Cantico, Hieronymus in epiſtola ad Lætam de inſtitutione Filiæ, & Auguſtinus l.* 15. *de Civitate Dei, c.*23. *Quam ſignificationem ſecutus Gelaſius in decreto de libris Eccleſiaſticis, eos libros vocat Apocryphos, qui ſunt editi ab authoribus hæreticis, vel certe ſuſpectis.* Sed & præter ipſum Gelaſium ac Bellarminum, omnes inſuper, de quibus diximus, veteris & Gelaſiana tempora proxime conſecutæ memoriæ ſcriptores, hanc Baronianæ frontis duritiem frangunt. Inprimis Iſidorus docet, quo ſenſu Gelaſius *apocryphum Canonum Apoſtolorum* codicem dixerit, dum ad ejus decretum, ut liquet & Turrianus fatetur, reſpiciens ſcribit, *iſtos canones nec ſedem Apoſtolicam recepiſſe, nec ſanctos Patres illis aſſenſum præbuiſſe, & ab authoritate canonica, atque Apoſtolica removiſſe, atque inter apocrypha deputaſſe, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur.* Obſecro tuam fidem, Baroni; ſiccine excipiuntur libri, qui licet non divini, authentici tamen ſunt, atque Eccleſiaſtici? Neque aliter recentior ψευδώνυμος Iſidorus

a L. 1. *de Verbo Dei c.* 20. §. *Igitur vox*

rus Mercator intellexit, dum profitetur, ſe *Apoſtolorum Canones* in ſua ſylloge deſcripſiſſe, *licet* (inquit) *à quibusdam apocryphi dicantur.* Nemo non videt iſtum ſenſiſſe *apocryphos* ab illis quibuſdam dici, *nullius Eccleſiaſticæ authoritatis.* Si enim iſtos putaſſet *apocryphos canones* eo ſenſu dixiſſe, quem vult Baronius, pro *non divinis*, vel *non canonicis ſcripturæ libris*; nihil erat, quod eorum ſententiam vel ſuo conſilio, vel aliorum plurium, qui eos recipiebant, opinioni opponeret; cum neque vel ipſe, vel hi plures divinam authoritatem Canonibus tribuerent; neque vero illi, ſi nihil aliud quam θεοπνεύστους eſſe eos negaſſent, interceſſuri fuerint, quominus inter alios canones, licet non divinos, Eccleſiaſticos tamen, cenſerentur. Sed & ipſe à Baronio tantopere laudatus Dionyſius, & præfationis author, quam in Creſconiana collectione à ſe viſam deſcribit idem Baronius, eadem quoque docent, dum uterque narrant ſuis iſtis Canonibus *plurimos conſenſum non præbuiſſe facilem*; hoc eſt, ut liquet, aliter de iis, quam ſe, ſenſiſſe. Illi vero non aliter quam ipſi, de Canonibus ſentiebant, ſi eos à Scripturarum divinarum duntaxat, non etiam Eccleſiaſticarum canone rejeciſſent. Nam eos neque qui regulis Eccleſiaſticis accenſent, Dionyſius,

ſius, Creſconius, alii in Scripturarum θεοπνεύςων cenſu habent; à quo uſque adeo abeſt ipſe qui eorum ſententiam ſequitur ac defendit Baronius, ut Damnaſcenum, qui eos libris divinæ Scripturæ Canonicis poſt Apocalypſin accenſet, graviter reprehendat, idque *eum inconſulte nimis feciſſe* dicat. Iam & ipſe quoque Gratianus *a*, hęc eodem modo accepit, dum id quod ait Iſidorus, *inter apocryphos deputari Canones Apoſtolorum*, opponit τῷ *recipi*, ſcilicet inter Eccleſiaſticas regulas, & τῷ *ſervari*, ut apparet ex duobus primis canonibus diſtinctionis decimæ ſextæ. Sed & Humbertus Cardinalis, & qui eum ſequitur, alter Cardinalis Bellarminus, dum ajunt, *Patres Apoſtolorum canones numeraſſe inter apocrypha*, clariſſime ſignificant, iſtos canones, non (quod unus omnibus ſomniavit Baronius) ex Scripturarum divinarum alio, ſed (quod nos volumus) ab Eccleſiaſticorum librorum & canonum cenſu à Patribus remotos fuiſſe; ut; vel hæc exceptio, quam addunt, demonſtrat, *exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei*, vel ut rectius legit Baronius *b*, *regulis orthodoxiæ adjungenda*. Quibuſcum Antonius quoque Auguſtinus à nobis ſupra memoratus indubitato ſentit, dum Iſidorum ſcribit *canones*

a *D.* 102 *§.* 10. *extr.*

b *Append. ad Tom.* 11. *p.* 1004. 2.

 nones

nones rejeciſſe, quos probavit Mercator.
Hinc enim apparet *canones inter apocrypha deputare* (quod Iſidorus & Gelaſius fecerunt) huic nihil aliud eſſe, quam eos ex regularum Eccleſiaſticarum cenſu, in quem à Mercatore admiſſi, receptique ſunt, rejicere ac ſummovere. Sed jam ſatis confutata ſunt tria adverſariorum commenta, Turrianicum, Bellarminianum, & Baronianum; diſſimilia quidem, ſed tamen paria, & quæ cum inter ſeſe pugnent, ejuſdem tamen ſunt amentiæ, atque inverecundiæ; ſic ut difficile ſit definire; cui hæc laurea debeatur; niſi forte quis indignum putet Turriano eam eripi, adeo multarum in hoc genere palmarum gladiatori, ut vix quiſquam cum eo ſive veterum, ſive recentiorum, comparari hac in parte poſſit. Is autem adverſus tantam Gelaſiani decreti lucem quædam offundit, levia quidem illa, ut ſolet, & inania, ſed quæ tamen disjicere ac diſpellere ideo operæpretium eſt, quod ea quoque Baronius non putaverit aſpernanda.

Cap.

Digitized by Google

CAP. IV.

Solvuntur, quæ Turrianus Gelaſianæ ſententiæ objicit, & quibus probare nititur, Gelaſium canones Apoſtolicos pro veris agnoviſſe.

PRincipio ergo objicit, hunc ipſum Gelaſium multa in ſuis epiſtolis, ac decretis ex Apoſtolicorum canonum libro laudare, ac velut Eccleſiaſticas regulas afferre. Quo loco primo hæc recitat *a* ex prima, mihi nona, epiſtola *b*; *De his autem, qui ſe ipſos abſcindunt, paterni canones evidenter ſequenda poſuerunt, quorum tenorem ſufficiat indidiſſe; Dicunt enim talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, à munere clericali debere eos ſecludi; quod modis omnibus cuſtodire nos convenit; quia fas eſſe nulli ſuppeditat, quicquam præter illa, quæ memorabilis forma decrevit, cenſere.* Tum ejuſdem *c* hæc contra Simoniacos deſcribit; *Quos vero conſtiterit ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non ſine periculo talia perpetrantes; Quia dantem & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, involuit.* Tertio & hæc ex eodem Gelaſio recitat; *Quiſquis propriæ deſertor Eccleſiæ nullis extantibus cauſis ad aliam putaverit tranſeundum, temereque ſuſceptus fuerit,*

a *Pro can. cap. 15. p. 49. verſ.*
b *Gel. ep. 9. c. 19.*
c *Ibid. c. 29.*
d *Ibid. c. 25.*

fuerit, & promotus, reverendorum canonum vel ipſe, vel receptor ejus atque provector conſtituta non effugiet, quæ de hujuſmodi præſumptionibus præfixere ſervanda.
a *Ibid. c.* 20. Quarto & iſta ejuſdem Pontificis adjungit; *Majorum veneranda conſtituta pronuntiant hujuſmodi* (peccatores) *etiam ſi forte ſurrepſerint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere repelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos, prævaricatoreſque ſancti propoſiti procul dubio ſubmovendos.* Denique ex alio ejuſdem epiſtola hæc habet; *Sed*
b *Ep. 5. ad epiſcop. per Picen. paulo ante fin.* *quid miremur Eccleſiarum principes iſta negligere, quos ſicut à multis audivimus contra canones omnia gerere, & contra Apoſtolicam diſciplinam paſſim cuncta miſcere, manifeſtum eſt, non ſervatis regulis ordinare.* Hæc ille; in quibus cum ne uno quidem verbo *libri Canonum Apoſtolorum* facta fuerit mentio, equidem frontem hominis mirari ſatis non queo, qui hinc ſe confecturum putavit, ut Gelaſius, quem librum in 70. Epiſcoporum Synodo diſertiſſimo damnavit, eum ipſe pro authentico, vereque Apoſtolico habuerit. Primo locus Gelaſii ſecundus contra Simoniacos nullum omnino canonem laudat, neque Apoſtolicum, neque Ecleſiaſticum. Tantum *Simonis damnationem* memorat, quam *ſacra* (inquit) *lectio* Actuum ſcilicet Apoſtolicorum, ut notum

eſt,

eſt, *teſtatur*. Quintus vero locus *canones* ſimpliciter nominat, Eccleſiaſticos ſcilicet; non ex libro illo canonum Apoſtolicorum petitos. Ait & *contra diſciplinam Apoſtolicam* facere eos, qui *paſſim cuncta miſcent*; quia ſcilicet Paulus Apoſtolus jubet omnia in Eccleſia κατὰ τάξιν *honeſte & ſecundum ordinem geri*; in priore ad Corinthios epiſtola *a*. Fateor primo loco *paternos canones*, & *memorabilem formam* afferri contra eos, qui *ſe ipſos abſcindunt*. Sed nihil neceſſe eſt, ut hoc unde ſumpſerit intelligamus, ad apocryphos canones confugere. Ecce enim in ipſo Nicænæ Synodi limine occurrit canon, hæc de eunuchis, quæ ait Gelaſius, exſerte præcipiens. Sic quæ tertio loco contra clericos proprias Eccleſias deferentes, & alienas invadentes *ex reverendis canonibus* citantur, ea inquam in Nicænis regulis ſub numero 15. & 16. clariſſimis verbis expreſſa leguntur. Denique in eadem auguſtiſſima Synodo reperiuntur numero 9. & 10. quæ quarto loco ex *Venerandis majorum conſtitutis* contra peccatores *ſurrepentes* laudat Gelaſius. Ergo nulla hinc arte confici poteſt Gelaſium librum *Apoſtolicorum Canonum* laudaſſe vel probaſſe. Nullo enim invidia erat hæc eum ex Nicæna Synodo citare, ejuſque decreta vocare *paternos canones*, *memorabilem formam*, *reveren-*

a 1. Cor. 14. 40.

reverendos canones, & veneranda majorum ſtatuta. Quinimo hæc elogia Nicænis, quam Apoſtolicis decretis multo & melius conveniunt & frequentius à Patribus tribuuntur; qui quæ ab Apoſtolis habent *Apoſtolica & divina* oracula ac præcepta potius vocare ſolent, quam *paternos canones,* aut *majorum ſtatuta.* Quod vero Turrianus Nicænos Patres hæc ipſa, quæ eos decernere non neget, contendit ex ſuo Canonum Apoſtolicorum libro habuiſſe, id mox ſuo loco demonſtrabimus futile eſſe, ac ridiculum. Unde liquet, quantopere ſeque & lectores ſuos fallat Baronius, dum ſcribit *facile eſſe pervidere ex compluribus locis à Turriano collectis* (hoc eſt iis ipſis, quos modo repræſentavimus) *Gelaſium ſæpe videri mutuatum teſtimonium & authoritatem ex iis, quæ in Apoſtolorum Canonibus habentur.* Nuſquam id fecit Gelaſius, nuſquam id eum feciſſe probavit Turrianus.

a *a.D.* 102. *§.* 13.*extr.* & *§.*12.

Non ſunt minus vana, quæ idem Jeſuita ſecundo loco objicit, *Gelaſius* (inquit) inter authentica ſcripta retulit, *epiſtolas decretales, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt venerabiliter recipiendas. At* (inquit) *ex iis eſt epiſtola Zephyrini, in qua continetur* 70. *ſententias Apoſtolos cum aliis quamplurimis Epiſcopis præfixiſſe,*

b *Turr. pro. can.c* 15.*p.*50. *verſa.*

fixiſſe, & ſervandas cenſuiſſe. Ergo qui hanc epiſtolam probavit Gelaſius, Apoſtolorum ſententias, quas ille laudat tanquam authenticas, non potuit non probare. Illæ autem ſententiæ, hi ipſi ſunt Apoſtolorum canones, quos exhibet Turrianus; Ergo & eos ipſos velut authenticos probavit Gelaſius. Turrianus quidem ita argumentatur; ſive potius reſtim & arenam nectit; Ego vero fateor, Gelaſium Decretales Romanorum epiſcoporum epiſtolas inter orthodoxorum opuſcula recipere ac recenſere. Zephyrini, quam affert Turrianus epiſtolam, unam ex his epiſtolis, quas Gelaſius recipit, fuiſſe nego. Quæ vero fuerint illæ à Gelaſio probatæ epiſcoporum Romanorum epiſtolæ, non ex meis, aut Turriani ſomniis, ſed ex authentica Leonis quarti epiſtola *a*, qui & ipſe ſummus iſtorum Pontifex fuit, & octingentis annis ante nos vixit, edo ac doceo. Is enim, quod ſupra me jam dixiſſe memini, ad epiſcopos Britanniæ ſcribens, quæ fuerint illæ decretales præſulum Romanorum regulæ; quę apud ſedem Romanam *in Canone habebantur, & quibus in Eccleſiaſticis negotiis utebantur* iſtius ſedis Epiſcopi, diſertiſſime ac nominatim demonſtravit; nempe *Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, & Leonis* epiſtolæ; inter quas cum nullam ponat

a *Ep. 2. c. 6. T. 3. Conc. Gall. p. 73.*

Ze-

Zephyrini decretalem, fruſtra eſt Turrianus, qui eam Gelaſio cognitam & probatam ſomniat. Id ipſum confirmo ex ea collectione, quam Adrianus Romæ itidem epiſcopus a. D. 787. Carolo regi ad uſum Occidentalium Eccleſiarum obtulit; quamque Nicolaus Papa *Codicem Canonum* vocat. Ea enim collectio præter Conciliorum Orientalium & Africanorum canones, non alia Pontificum decreta continebat, quam eorum qui à Siricio ad Gregorium juniorem ſederunt; ut narrat Sirmondus *b*, æq; quidem ac Turrianus Jeſuita, ſed eruditione, candoreque ac fide, non Turriano modo, ſed & quovis ejuſdem ordinis, potior, ac præſtantior. Ergo ex his patet, ne annis quidem Domini 707. & 858. quibus vixerunt Adrianus & Nicolaus, ullam extitiſſe inter Romanorum epiſcoporum decretales Zephyrini epiſtolam; nedum ut ea jam inter eas fuerit, quas habebat ac probabat Gelaſius, annis ante hos trecentis & amplius. Itaq; nihil ad Gelaſium quicquid bonus ille Zephyrinus in ſtraminea ſua epiſtola delirat. Quæcunque vero pro ea conſtituenda in hoc ipſo opere attulit Turrianus *c*, ea accurate diſſolvit doctiſſimus Blondellus noſter; ipſamque & cæteras ejuſdem commatis priorum urbis preſulum ad Siricium uſque Latinas epiſtolas, ita plane, liquidoque

a *d.* 19. *cap. ſi Romanorum.*

b *T.* 2. *Conc. Gall. p.* 317.

c *In epiſt. decret. confutatione. In Zepharin ep. p.* 237.

doque demonſtravit poſt a. D. 800. à nequiſſimo & imperitiſſimo impoſtore fuiſſe confictas; ut ne ex ipſis quidem adverſariis quiſquam in eum totis his viginti annis, à quo ſcilicet ipſius liber lucem vidit, pro epiſtolis certator ſurrexerit. Cum itaque & ex Blondelli demonſtrationibus, & ex multorum celeberrimorum atque præſtantiſſimorum etiam Romanæ communionis virorum teſtimonio conſtet, nihili eſſe etjam Zephyrini, ac fruſtra & malis avibus à Turriano allatam & defenſam epiſtolam, non eſt neceſſe, nos diligentius quærere, quid iſte pſeudo-Zephyrinus ſibi velit, cum ait *ſeptuaginta Apoſtolos ſententias præfixiſſe, cum aliis quamplurimis Epiſcopis ſervandas cenſuiſſe*; & quænam ſint Apoſtolorum ſeptuaginta illæ ſententiæ, quas apud cæteros omnes Chriſtianos inauditas unus hic impoſtor blaterat; quaſque Turrianus *a* hos ſuos Apoſtolorum Canones eſſe vult, triſtique ac ridiculo labore ſudat, ut qui ſunt 85. ii poſſint non plures eſſe quam 70. magno conatu magnas nugas agens. Blondellus quidem noſter *b* vero propius eſſe exiſtimat, impoſtorem ſignificare ſententias quas Adrianus I. R. P. a. D. 785. indict. q. 13. Kal. Oct. in gratiam Ingelramni Melenſium Epiſcopi collegiſſe dicitur ex Græcis & Latinis canonibus

a *Pro can. c. 20. toto.*

b *Ub. ſupr. p. 246.*

nibus & Synodis Romanis, atque decretis præſulum ac principum Romanorum; quod eæ ſcilicet duæ ac ſeptuaginta fuerint, & ab hoc ſpuriarum decretalium parente, plurimum uſurpatæ deprehendantur. Forſe ſimplicius fuerit cum Uſſerio *a* noſtro locum mendoſum pronunciare, & pro *ſeptuaginta ſententiis*, *quinquaginta* ſcribere. In pſeudo-Zephyrini (inquit ille *b*) *commentitia ad Siciliæ epiſcopos epiſtola, & Hincmarus Remenſis olim, & nos hodie legimus*, Septuaginta Apoſtoli ſententias præfixerunt, *vel* ſexaginta, *ut citant Ivo, Decr. p.* 4. *ac.* 107. *author Pannomiæ. l.* 2. *c.* 105. *& Gratianus d.* 16. *c.* 2. *ubi cum non ſine cauſſa ſuſpicatus fuerit Bellarminus* vitio librariorum erratum eſſe in numero, *eum errorem* (*ſi quis tamen authorem tam futilem emendatione dignum cenſuerit*) *non melius quam ex* Gregorii *presbyteri citatione ſanari poſſe cenſuerim, qui in Polycarpi ſui l.* 3. *c.* 20. *neque* ſeptuaginta, *neque* ſexaginta *hic haberi, ſed quinquaginta tantum; quemadmodum ad dictum Gratiani locum Romani correctores annotarunt.* Hæc Uſſerius; quę ſi, ut veriſimillima ſunt, ita eſſe videantur, fatebor equidem *quinquaginta* pſeudo-Zephyrinianas *Apoſtolorum ſententias* ipſiſſimos eſſe Apoſtolorum à Dionyſio primum, Romæ Latine publicatos

a *Diſſert. de Ignat. c.* 6.

b *p.* 39.

c *De ſcript. Eccl. in Clem.*

catos

catos quinquaginta canones; Hinc ſequi, ut Zephyrino vel Gelaſio noti fuerint, nego: quod annis ſcilicet poſt verum Zephyrinum ſexcentis, poſt Gelaſium vero trecentis, vixerit pſeudo-Iſidorus Mercator, Zephyrinianæ epiſtolæ verus ac indubitatus parens. Quin imo non modo rerum veritati, ſed & ipſius Turriani rationibus adverſatur, quod nunc iſte pugnat, Zephyrino cognitos fuiſſe hos 85. Apoſtolorum canones. Nam ipſe *a* quod ſupra diximus, ſtatuit exceptis quinquaginta prioribus Apoſtolorum canonibus, reliquos 35. tardius ad Latinos, quam ad Græcos perveniſſe; neque Latinos plura, quam quinquaginta capitula, diu habuiſſe. At ſi, quod nunc idem, ſuorum immemor, contendit, Zephyrino, qui ab a.D. 197. ad 217. Romæ ſedit, omnes illi 85. canones cogniti fuerunt; concidet, quod idem alibi vult non plura, quam 50. eorum capitula, Latinos initio habuiſſe; quinimo hac ratione fiet, ut Apoſtolorum canones ad Latinos multo ante quam ad Græcos pervenerint; apud quos (ut poſtea demonſtrabitur) plane nulla occurit iſtorum 85. canonum ante ſextum ſæculum adultum mentio. Sed hæc de lata Pſeudo-Zephyrini epiſtola plus ſatis.

a *Pro can p.* 101. *verſa &* *p.* 48. *verſa.*

Jam ergo profligatis quæcunque ad

hunc locum à Turriano, Bellarminoque & Baronio objecta, vel excogitata ſunt, firmum ac verum ſtat Gelaſii in Romana 70. epiſcoporum Synodo decretum, *Liber Canonum Apoſtolicorum apocryphus*. Unde clarum certumque fit primo Dionyſium Exiguum quinquaginta Apoſtolorum Canones à ſe in græcis exemplaribus inventos, temere ac inſcite & præter diſertiſſimam Epiſcopi, Conciliique Romani ſententiam Eccleſiaſtico codici primum omnium inſeruiſſe; multo pejus, atque periculoſius paulo poſt peccaſſe Juſtinianum, & Joannem ex Scholaſticis, qui eundem canonum Apoſtolicorum librum, & quidem triginta quinque capitulis auctiorem, in publicum Nomocanonem retulerunt; graviſſime omnium peccaſſe Damaſcenum, qui non modo falſos ac nuperos, ſed etiam à Papa & Concilio Romano damnatos canones divinis libris per intolerabilem, planeque ſacrilegam audaciam exæquavit; peccaſſe & Trullanos Patres, qui eundem librum firmare & authoritate ſumma donare non dubitarunt, eodemque in flagitio hærere reliquos omnes Græcos, qui hujus Synodi placita ſequuntur; erraſſe poſtremo Leonem I V. & Nicolaum I. & cæteros Latinos, quotquot Dionyſiacæ collectionis ſpecie decepti, adverſus ſacra canitie

veneranda

Digitized by Google

veneranda Gelaſii & majorum ſtatuta, ac contra luculentiſſimam Iſidori Hiſpalenſis admonitionem, damnatos, qui Apoſtolorum dicuntur, canones, inter Eccleſiaſticas regulas habere ac recenſere auſi ſunt. Horum omnium quotcunque, ac quanticunq; de cætero ſint, authoritatem omnem obterit antiquius Gelaſii, Romanæque Synodi decretum; neq; ullis poſterorum ſententiis convaleſcere poſſunt, quæ jam tot ante ſæculis legitimo, ac canonico, non Romani modo Præſulis, & quidem ejus, qui inter ſapientiſſimos habetur, ſed & Romanæ, & quidem LXX. Epiſcoporum Synodi, ſtatuto convulſa & ex Eccleſiæ Catholicæ finibus exterminata fuerunt. Hoc ego Romanæ veteris Eccleſiæ decretum omnibus recentiorum ſcitis, ac diſputationibus oppono; hoc unum pluris facio, quam & Trullanæ Synodi, & Græculorum omnium canones & pſephiſmata. Neq; ſatis mirari poſſum degenerem Turriani & aliorum ignaviam, qui in tota hac cauſa Romani nominis dignitate fœdiſſime prodita, unius Scythæ nugas, & Græcorum levitatem ſui Gelaſii, ſuæque Synodi authoritati anteponunt. Ac illis quidem, ſi moribus, quos jactant, Romanis vere eſſent, hæc ad contemnendos, & ad Apocrypha relegandos *Apoſtolorum*,

quotquot dicuntur, *Canones*, ſatis eſſe deberent. Nobis vero, qui non Paparum, neque omnino ullorum hominum, nominibus vel authoritate, ſed uno vero nitimur, nondum ſunt iſta ſatis. Itaque ne præter noſtrum inſtitutum, moremque ſolam hominis authoritatem ſecuti videamur, oſtendendum eſt, rectum verumque fuiſſe Gelaſii, quod amplectimur, de libro Canonum Apoſtolicorum judicium. Quod ut præſtemus, inprimis amolienda ſunt Bellarmini, ac Turriani Sophiſmata, quibus illi contra ſui ipſorum Pontificis ſententiam conficere conantur, vere Apoſtolicos eſſe; quos ille damnavit, canones; Tum veris, ſolidiſque argumentis demonſtrandum erit, eos, quos ipſi defendunt, quoſque Gelaſius ex Eccleſia proſcripſit, Canones, neque ab Apoſtolis editos, neque à Clemente Romano litteris mandatos, ſed ab impoſtore neſcio quo aliquot poſt Apoſtolorum tempora ſæculis conſarcinatos fuiſſe.

Caput

CAPUT V.

Solvuntur ac refelluntur quæ pro Canonibus Apoſtolicis contra Gelaſii decretum attulit Bellarminus ex Tertulliano, Athanaſio, & Damaſceno.

AC cum Bellarmino quidem res paucis tranſigetur, quod quæ hic pro Canonibus attulit, ea & pauca ſint, & levia, & à Rever. Uſſerio jam luculente confutata. Primo ergo *Tertullianus* (inquit *a*) *in libro adverſus Praxeam ſcribit Canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos.* Id ipſum & ante Bellarminum affirmaverat Sixtus Senenſis *b* libro ſecundo Bibliothecę; & poſt Bellarminum repetivit Poſſevinus *c*; falſo omnes, temereque, ac inverecunde, ut obſervat noſter Uſſerius *d*. Hæc enim Tertullianus, quæ ei nullo pudore affinguntur, neque in libro adverſus Praxeam, neque uſpiam alibi, ſcripſiſſe deprehenditur. Nos vero certis ac indubitatis argumentis paulo poſt demonſtrabimus, Tertulliano plane fuiſſe incognitos illos Apoſtolorum ſive Dionyſiacos, ſive Turrianicos Græcanicoſque canones. Ergo vana eſt prima Bellarmini ratio; quæ non Tertulliani teſtimonio, ſed Sixti Se-

a *Bell. l. de Script. Eccl. in Clemente*

b *Bibl. in Clem. p.* 63.

c *Apparat. Sacr. in Clem.*

d *Diſſert. de Ign. c.* 6. *p.* 35.

ti Senenſis vel mendacio, vel certe ſomnio nititur. Secunda non eſt firmior (quam idem quoque Sixtus Bellarmino, æque ac priorem dictavit) inde ducta, quod *Athanaſius* (ut iſti quidem affirmant) *in Synopſi canones iſtos inter hagiographa numeret.* Reſpondeo, nullam in tota Synopſi *Canonum Apoſtolicorum*, ne leviſſimam quidem, occurrere mentionem. Fateor Athanaſium *a* inter τῶν τῆς νέας διαθήκης ἀντιλεγόμενα *ea novi Teſtamenti* ſcripta, *quibus contradicitur*, una cum *Petri*, *Joanniſque*, & *Thomæ periodis*, ſive *itinerariis*, *Thomæque Euangelio*, τὰ Κλημέντια, *Clementina* quoque reponere. Quod ſi Sixtus & Bellarminus contendant *Clementinorum* nomine Apoſtolorum Canones ſignificare, primo id probare debuerant, non, quod fecerunt, velut certum & indubitatum ſumere. Nos enim negamus τὰ Κλημέντια Athanaſio eſſe Canones Apoſtolorum. Nam iſtos canones à Clemente conſcriptos eſſe non modo clarum certumve non eſt, ſed eſt inſuper evidentiſſime falſum; quod poſtea ſuo loco demonſtrabitur. Si quæras, quid ſint illa τὰ Κλημέντια, nihil mihi quidem veriſimilius occurrit, quam ut hoc nomine ſignificarit Athanaſius, illa Clementis nomine paulo ante Euſebii tempora, conficta ac vul-

a *Syn. T. 2. Ath. p. 154. d.*

vulgata *πολυεπῆ καὶ μακρὰ συγγράμματα*, *Πέτρου δὴ καὶ Ἀππίωνος διαλόγους περιέχοντα*, *verboſa & prolixa ſcripta, Petri & Appionis colloquia, ſermoneſque complectentia*; quæ Euſebius *a*, & ex eo Hieronymus, memorant, ac veluti ſpuria, nuperque nata, explodunt ac refutant. Hujus enim libri argumentum plane cum iis omnibus congruit, quæ eodem ordine ab Athanaſio cenſentur, ac memorantur Petri, Joanniſque itinerariis; & Thomæ Euangelio. Cæterum cave putes iſta, quæcunque tandem ſint, *Κλημέντια*, ab Athanaſio inter libros hagiographos (quod Sixtus & Bellarmiuus inverecundiſſime affirmant) in Synopſi numerari. Nam ſi hagiographa ſunt, quęcunque iſtic Athanaſius nuncupat, *τὰ τῆς νέας διαθήκης ἀντιλεγόμενα*, profecto neceſſe erit pro libris hagiographis haberi *Petri ac Thomæ circuitus*, & *Euangelium ſecundum Thomam*, libros, ut notum eſt, damnatiſſimos, peſſimique ac deterrimi inter ipſos apocryphos furfuris; quod neſcio an Sixtus, & Bellarminus admiſſuri ſint; hoc ſcio, nunquam eos cuiquam cordato perſuaſuros, ut infelices librorum iſtorum quiſquilias inter novi teſtamenti hagiographa cenſeant. Sequeretur tantum eos libros Athanaſium eodem loco, ac numero cenſendos exiſtimaſſe,

a *Euſ. hiſt. l.* 3. *c.* 38. *gr.* 32. *lat.*

quo *Petri & Ioannis & Thomæ circuitus*, & *Euangelium ſecundum Thomam* cenſentur. Atqui hæc inter apocrypha omnis ſemper cenſuit Eccleſia. Ergo & inter apocrypha ablegandos eſſe Apoſtolorum Canones (quod ipſum eſt Gelaſii de iis judicium) ex Athanaſio ſequeretur, ſiquidem is hoc loco eorum (quod nullus fecit) meminiſſet.

Tertia Bellarmini ratio inde ducitur, *quod Synodus Trullana capite ſecundo recipit Canones Apoſtolorum octoginta quinque.* Ego vero fateor id fuiſſe Trullanæ Synodi de his Canonibus judicium. Nego ejus Synodi authoritatem valere. Primo eam ſummis viribus omnes Latini impugnant, ac refutant, intolerabiliſque ſuperbiæ accuſant, quod leges ipſis Romanis dicere auſa ſit; quo nullum apud iſtos eſt dirius, aut capitalius nefas. Tum ipſe, qui eam objicit, Bellarminus & quidem hoc ipſo loco contemnit. Cum enim ea Apoſtolorum canones admittat 85. Bellarminus non plures, quam quinquaginta, habet pro legitimis. Adhæc ſi ratio antiquitatis habenda eſt (& in his præſertim, ubi de facto quæritur, habendam omnes conſentiunt) Trullani Patres annis ducentis Gelaſio recentiores ſunt. Sin authoritas quæritur, quin Roma Conſtantinopoli, Gela-

Gelaſius Romanorumque Patrum Synodus, Græculorum hominum Synodo, nullo præſente, nullo annuente vel probante Papa habitâ, multis partibus major, potiorque ſit, nemo adverſariorum negabit.

Denique affert Bellarminus Damaſcenum. *Sanctus* (inquit) *Ioannes Damaſcenus l. 4. de fide orthodoxa c. 18. videtur Canones Apoſtolorum ponere inter Sacras Scripturas.* Ego vero miror, cur iſte ſcripſerit *videri Damaſcenum* Canones ſacris Scripturis accenſere; quaſi ſcilicet non quidem eos revera ſcripturis annumeret, ſed duntaxat annumerare videatur. Atqui clamant diſerta ipſius verba, quæ nos ſupra deſcripſimus, hanc ejus apertam, liquidamque eſſe ſententiam, ut Canones qui dicuntur Apoſtolorum in divinarum ac θεοπνεύστων Scripturarum canone cenſeantur, atque habeantur; quam hominis cæcitatem, atque temeritatem ne ipſe quidem Baronius potuit vel diſſimulare, vel intactam prætermittere; *inconſulte nimis* ab eo factum dictitans, quod Canones divinæ Scripturæ libris poſt Apocalypſin accenſere non dubitaverit. Deſinat ergo Bellarminus id Damaſceni judicium objicere, quod & ejus collega Baronius improvidum, *inconſultumque* pronuntiat, & ipſe eo ſatis damnat, quod id neque ſequitur aut a D. 102. §. 10.

 probat,

probat, neque integrum vere ac aperte proponere hoc loco auſus eſt. Adhæc quid de his Canonibus ſomniaverit Damaſcenus, nihil ad Gelaſium, qui annis ducentis ante eum vixit. Si viros ſpectes, æquum fuit Damaſcenum Gelaſii, juniorem ſenioris, monachum Epiſcopi, & quidem ſummi, judicio cedere, neque ulla ratione purgari vel excuſari poteſt, quod quos Canones ſapientiſſimus, ut ferunt, Theologus, primæ ſedis Epiſcopus, totiuſque Eccleſiæ, ut volunt, rector una cum ſeptuaginta antiſtitibus ante ducentos annos in apocryphorum claſſem rejecerat, eos ipſos homo novus, nulla in Eccleſia dignitate fungens, novo & hactenus apud Chriſtianos inaudito facinore divinis ſanctiſſimarum Scripturarum libris æquiparare, atque accenſere auſus ſit. Sin res ipſa, cauſſaque ſola ſpectetur, ſole meridiano clarius eſt, rationes fuiſſe & plurimas & graviſſimas, cur iſtos Canones veluti ſpurios, & apocryphos rejecerit Gelaſius; nullas penitus fuiſſe, cur eoſdem in ſacrum τῶν θεοπνεύστων canonem referret Damaſcenus; ut ex iis, quæ poſtea, diſputabimus, apparebit. Atque hæc quidem ad Bellarmini objectiones ſatis.

Cap.

CAP. VI.

Solvuntur quæ Turrianus pro Canonibus ex Paulo Apoſtolo objicit, contra decretum Gelaſii.

TURRIANUS majori mole pro ſuis Canonibus pugnat; omnem antiquitatem jam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ſuis excitam ſedibus advocat; veros, falſoſque, receptos & apocryphos ſcriptores in unum cogit; adhæc ſuis diſſertationibus, vanis plerumque & paralogiſticis, omnia miſcet; denique per fas, & nefas Apoſtolicam canonibus authoritatem vindicare molitur. Piget quidem, ac tædet ineptiſſimam vaniſſimi hominis diſputationem refellere. Sed quid facias? Devorandum eſt hoc tędium; aliter deerunt; qui inania hujus Pyrgopolinicis ſomnia pro invictis demonſtrationibus jactent.

Principio homo ingenioſus ſuos Canones apud ipſum Paulum reperit; Quod enim Apoſtolus alicubi Corinthiis pręcipit *a*, ut *omnia honeſtè, & ſecundum ordinem apud ipſos fiant*; quod idem Timotheum jubet *b recte tractare, ὀρθοτομεῖν verbum veritatis*; & ad eundem ſcribit certo quodam modo *in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, converſandum eſſe*, quod idem nos hortatur, ut *in*

a 1. Cor. 14. 40.

b 2. Tim. 2.

a 1. Tim. 3. Phil. 3. ut *in eadem regula permaneamus* a; quod denique Corinthiis pollicetur, *ſe apud eos omnia, cùm venerit, diſpoſiturum*, ſive *ordinaturum*; ex his, inquam, Turrianus *b* colligit certum quendam *ordinem* jam tum fuiſſe ab Apoſtolis conſtitutum, certam quandam fixam *regulam* ad verbum tractandum; poſitas certas leges, ex quarum præſcripto, & Timotheus & cæteri verſari in Eccleſia debuerint; certum comparatum canonem, in quo conſtanter hærendum, atque decurrendum ſit; certas denique διατάξεις ſive conſtitutiones editas ad regendam Eccleſiam. Jam vero hos ex Paulo exſculptos *ordines*, has Eccleſiaſticæ converſationis, Euangelicæque tractationis normas, hunc noſtri curſus canonem; has denique Diataxes ipſiſſimos eſſe ſuos Apoſtolorum Canones vaticinatur Turrianus. Quin & magno, ac inſano hujus negotii amore incenſus, ac prę nimio animi ardore tantum non furens edicit, omnem nos Apoſtolis ſapientiæ ac caritatis laudem erepturos, niſi hoc ipſi aſſentiamur; quod ſcilicet *negare* c *canones Eccleſiaſticos Sanctorum Apoſtolorum, quos habemus, nihil aliud ſit, quam velle, Sanctos Apoſtolos in nulla, dum viverent, ſollicitudine fuiſſe futuræ poſt obitum ſuum gubernationis, & ſtatus omnium Eccleſiarum*,

b Turr. pro can. c. 16. p. 52. & fuſius c. 26. & c. 21. p. 72.

c c. 26. p. 95. rect.

rum, nullamque eos curam habuiſſe relinquendi Eccleſiis ſanctas inpoſterum conſuetudines. Hæc ille; ad quæ nihil neceſſe eſt, quatuor illa Pauli loca excutere nunc, & interpretari accuratius. Paucis reſpondeo, concedere nos, quod ex iis concludit Turrianus, Apoſtolos Chriſtianis ſanctiſſimum ordinem, abſolutiſſimam normam, regulam certiſſimam, diataxes denique ſapientiſſimas; tum ad totius vitæ, tum ad Eccleſiaſticorum miniſteriorum regimen, ac directionem tradidiſſe. Hunc Apoſtolicum ordinem, hanc regulam ac normam, has denique diataxes ea canonum collectione contineri, quam obtrudit Turrianus, negamus; idque, in quo totius controverſiæ cardo vertitur, probare iſte debuit, non ſumere; quod nihil aliud eſt, quam id ipſum quod eſt ἐν ἀρχῇ, petere, ac poſtulare. Quod vero ait niſi hoc conſtituatur, Apoſtolis ſapientiam, & Eccleſiæ curam, ac ſollicitudinem eripi, id quoque inepte ac ridicule ſumit, quod non neſcit à nobis negari. Quaſi vero Gelaſius eo de Apoſtolis male ſenſiſſe putandus ſit, quod iſtos Apoſtolicos ut falſo dicuntur canones Apoſtolis abjudicatos in apocryphorum cenſum miſit! Certe ipſa hodierna Romæ Eccleſia magnam illam, quam in iis Turrianus contineri putat,

tat,

tat, ſapientiam uſque adeo contemnit, ut pauciſſimos obſervet, teſte Michaële Medina, cujus hæc ſunt verba; *Ex* 84. *Apoſtolicis Canonibus, quos Clemens Romanus Pontifex & eorundem diſcipulus in unum coegit, vix ſex aut octo Latina Eccleſia nunc obſervat.* Apoſtolorum autem veras diataxes, non ex hac ſtraminea collectione, ſed ex divinis ipſorum libris, atque epiſtolis petendas eſſe exiſtimamus; quibus pleniſſime continentur omnia tum ad ſingulorum vitam bene beateque inſtituendam, tum ad Eccleſiam utamque univerſam ſapienter, feliciterque gubernandam neceſſaria.

a De ſacr. Hem. contin. l. 5. c. 105.

CAPUT VII.

Defenditur decretum Gelaſii contra alias Turriani ex Patribus objectiones. Ac primo rejiciuntur, quæ ille ex Apocryphis adduxit, ut ex Anacleti, Alexandri. Julii, &c. urbis epiſcoporum ſtramineis epiſtolis; ex Nicænis Canonibus Arabicis; ex fictitia Hieronymi ad Damaſum epiſtola; & ex Pſeudo-Dionyſio.

SED miſſis Apoſtolorum litteris (in quibus præter hunc Turrianum, nemo hactenus ex omnis memoriæ Chriſtianis iſtos Canones vel reperit, vel quæſivit) cæteros Chriſtia-

Chriſtianæ religionis veteres ſcriprores videamus. Quo loco inprimis ex teſtium legitimorum cenſu expungendi ſunt quotquot Turrianus *a*ſpurios, & falſi nominis authores in hanc cauſam nulla verecundia induxit. Hujus generis ſunt primo omnes vetuſſimi Eccleſiæ Romanæ ante Siricium Epiſcopi Anacletus *b*, Alexander *, Iulius *c*, Eleutherius *d*, Marcellus *e*, Fabianus *f*, Euſebius *g*, Anicetus *h*, Calixtus *i*, Lucius *k*, Eutychianus *l*. Horum enim, quæ à Turriano in Canonum gratiam adducuntur Epiſtolæ Decretales, totis prioribus pene novem Chriſtianiſmi ſæculis, etjam in ipſa urbe Roma, ignotæ, inauditæque, nono demum ſæculo prodierunt, & tam multa, tamque inſignia præferunt falſimoniæ argumenta, ut nemo fere hodie, ne in ipſa quidem Romæ communione paulo eruditior vivat, qui aliquam infauſtis illis & male confictis opuſculis authoritatem tribuat. Neque nos neceſſe eſt in confodiendis iſtis Decretalibus immorari; quas eruditiſſimus Blondellus noſter proprio ac ſingulari opere copioſiſſime atque accuratiſſime impugnavit, ac profligavit, ſigillatim confutatis iis omnibus, quæ pro illis Turrianus totis quatuor verboſiſſimis libris attulerat; clariſſimeque oſtendit

a *Citantur à Turriano* 1. *pro epiſt.*
b *c. 22. p. 76. 73.*
* *c. 22. p. 74. 77.*
c *c. 22. p. 76. 79. 80.*
d *c. 22. p. 78.*
e *c. 23. p. 80.*
f *Ibid.*
g *Ibid.*
h *c. 23. p. 82.*
i *Ibid.*
k *Ibid.*
l *Ibid. p. 83.*

oſtendit, eas omnes epiſtolas ex ejuſdem impoſtoris officina circa noni ſæculi initia prodiiſse; quo tempore cum jam dudum apud Latinos extarent quinto ineunte ſæculo à Dionyſio Exiguo publicati Apoſtolorum Canones, mirum non eſt, quod cogniti fuerint impoſtori ſub primorum urbis epiſcoporum larva deliteſcenti, & ab eo pro conſueta væcordia alienis perſonis inepte, abſurdeque, ac præter temporum genium, aptati ac commodati.

2. Iam everſa illarum epiſtolarum authoritate una quoque corruit fictitius ille B. Petri ad populum in Clementis ordinatione ſermo, unde Turrianus ſuis Canonibus teſtimonium alicubi petivit *a*. Non enim alio fundamento totus hic Petri ſermo nititur, quam Clementinæ ad Iacobum epiſtolæ, in qua is narratur, teſtimonio. Illa vero Clementis epiſtola, licet aliis vetuſtior, una tamen eſt ex iis, quas ſpurias, & primis Romæ epiſcopis affictas atque ſuppoſitas fuiſſe demonſtravit noſter Blondellus *b*, & ex ipſis adverſariis nobiliſſimi, ac eruditiſſimi quique, Turrecremata *c*, Cuſanus *d*, Driedo *e*, Eſpencæus *f*, Baronius *g*, Bellarminus *h*, Perronius *i*, Binius *k*, Poſſevinus *l*, hujus nominatim Clementinæ epiſtolæ fidem, vel plane penituſque negant, vel certe vehementer dubiam

a *c. 21. p. 72. verſa.*
b *edit. & cenſura. epiſt. p. 28. 29.*
c *ſumm. de Eccl. l. 2. c. 101.*
d *concord. cathol. l. 3. c. 2.*
e *de dogm. & ſcript. Eccl. l. 1. c. 2. part. 3.*
f *de contin. l. 1. c. 6.*
g *a. D. 69. §. 43.*
h *de ſcript. Eccl. in Clem.*
i *replic. p. 159.*
k *not. ad ep.*
l *appar. in Clem. Rom.*

biam, ac ſuſpectam habent, ut videre eſt, apud Blondellum *a*. Quamquam ne ſi vera quidem ac legitima eſſet hæc epiſtola, Canonum Apoſtolicorum authoritatem hilum affirmaret. Quid enim Petrum dixiſſe narrat fictitius ille Clemens *b*? *Ipſi* (inquit, id eſt Clementi) *trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi & ſolvendi, ut de omnibus quibuſcunque decreverit in terris, hoc decretum ſit & in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, & ſolvet quod expedit ſolvi, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam noverit.* Obſecro tuam fidem; quid hæc ad Turrianicos canones? Imo, inquit Turrianus, hæc *Eccleſiæ regula* ipſiſſima eſt Canonum 85. ſylloge. Ego vero, mi homo, tibi hoc affirmanti non credo. Clemens quidem nihil ait. Tuum eſt, non Clementis, totum hoc teſtimonium. Sed Turrianum ſuſcepti negotii ſtudium ita dementavit, ut abſque hac ſua Canonum farragine Eccleſiam *regula* carituram, ſublatoque omni ordine ac regimine peſſum ituram non dubitet. Itaque quoties *regulam*, aut *canonem*; aut *diataxin*, aut *normam*, aut *diorthoſin* audit, toties ſuam illam ſapientiſſimam farraginem ſomniat. Nos quibus integri, & ab his præſtigiis liberi ſunt ſenſus, *Eccleſiæ regulam* Dei Scripturam intelligimus, omnium

a p. 26. 27.

b *Clem. ep. 1. paulo poſt init.*

actuum Eccleſiaſticorum abſolutiſſimam normam; qua quæcunque accurate, & pro eo ac decet utetur Eccleſia, nullos profecto deſiderabit Turriani, vel aliorum impoſtorum canones.

a c. 21. p. 65. recta. Turr. c. 13. p. 37. vers.

3 Pertinet etiam ad hoc genus id teſtimonium, quod Turrianus *a* pro Canonibus ex Canone Nicæno 56. affert, quo affirmatur *ſanctos Apoſtolos conſtituiſſe, ne ſacerdos curas ſæculares ſuſcipiat, neque lucris uſuræ ſtudeat, neque ſit ei cum Judæis ſocietas, neque cum eis prandeat, aut potet*. Sane iſtis congruunt quæ in Turrianica ſylloge canonibus ſexto, quadrageſimo quarto, & ſeptuageſimo leguntur: ut eo omnino reſpexiſſe videatur quiſquis eſt illius, qui pro Nicæno obtruditur, canonis author. Sed cum ex perpetuo totius veteris Eccleſiæ conſenſu, omnibuſque Græcorum, & Latinorum qua manuſcriptis, qua excuſis exemplaribus conſtet non plures, quam viginti canones edidiſſe Nicænam Synodum, apparet iſtos, qui nuper ab hoc ipſo Turriano, & ab Alphonſo Piſano Jeſuitis, numero 80. publicati ſunt, & ex Arabico Alexandrini neſcio cujus Patriarchæ ſcrinio in hunc noſtrum orbem primum invecti, nothos eſſe ac ſpurios ab impoſtore aliquo recentioris memoriæ, vel in Arabiæ deſertis, vel in Ægypti latebris

tebris procul Nicæa conditos, ac conſarcinatos. Itaque prohibet natalium obſcuritas, atque infelicitas, quominus iſti canones in hac teſtium quarti, quintique ſæculi luce conſiſtere vel poſſint, vel debeant.

4. Sed & in hoc apocryphorum teſtium cenſu merito collocanda eſt illa jam olim à Gratiano inauſpicata laudata Hieronymi ad Damaſum epiſtola, ex qua hæc pro ſuis Canonibus recitat Turrianus *a*; *Quod autem beatitudo tua quæſivit, utrum uſus decimarum & oblationum ſæcularibus provenire poſſit, novit tua ſanctitas omnino non licere, proteſtantibus hoc divinis authoritatibus paternorum Canonum.* Hactenus Gratianus. Sed hæc epiſtola ſpuria eſt, & ab Hieronymi ingenio plane aliena; neque ulla earum epiſtolarum, quæ ab eo ad Damaſum ſcriptæ extant, aut uſpiam alibi in omnibus, quæ habemus, Hieronymi operibus hæc verba leguntur; quod & ipſi Gregoriani Gratianei decreti correctores ad hunc ejus locum annotarunt, *Pars* (inquit) *hujus capitis citatur ex B. Hieronymo, in cujus quæ extant, ſcriptis nihil hujuſmodi inventum eſt.* Sane eam, quæ circumfertur Hieronymi ad Damaſum de oblationibus altaris epiſtolam, ex qua hæc verba deſumpta eſſe probabile eſt (tametſi hodie nulla in ea legantur) notham

a c. 16. q. 1. extr. Turr. c. 21. v. 65. recta.

 eſſe,

eſſe, & indignam, quæ tanto viro tribuatur, monuit, & probavit Bellarminus *a*; idemque de illa judicium eſt & Mariani Victoris, & Eraſini. Quamquam ne illud quidem liquet, quod audacter de more fingit Turrianus, hunc quiquis fuit, ſcriptorem per *paternos canones* Apoſtolicos ſignificaſſe. Veriſimilius eſt Epiſcoporum & Synodorum veterum canones eo nomine intellexiſſe, quorum authoritatem *divinam* dixit, quod ea eximia ſit, & maximi in rebus hujuſmodi ponderis. Nam ne ipſe quidem Turrianus ſuorum Canonum authoritatem divinam, proprie, ſtrictéque ſumpto vocabulo eſſe dixerit, quos θεοπνεύςους non eſſe confitetur; neque in divinarum litterarum canone cenſendos contendit.

a *De ſcript. Eccl. in Gratiano. §. Quarto.*

5. Denique in eandem ſpuriorum & apocryphorum ſcriptorum claſſem relegandus quoque eſt Dionyſius Pſeud-Areopagites, cujus quædam ex epiſtola ad Demophilum deſcribit Turrianus *b*. Quamquam ne illa quidem, quæ illinc citat, quicquam ejus cauſam juvant. Is enim ſcriptor ὅρους καὶ θεσμοὺς, *definitiones & conſtitutiones* memorat quidem, & νομοθεσίαν ἱεραρχικὴν, hoc eſt *hierarchicam legum conſtitutionem*; unde merito concludas, Eccleſiam regula aliqua fuiſſe gubernatam, ejuſque res certo ordine,

b *c. 21. p. 71. vers.*

Digitized by Google

ordine, certaque lege adminiſtratas; (quod nemo negat.) Editam vero fuiſſe vel ab Apoſtolis, vel à Clemente Romano hanc, quam obtrudit Turrianus. 85. vel ut alii malunt, 50. duntaxat canonum farraginem, neque hic, neque uſpiam alibi dicit fictus ille Dionyſius. Sed nihil opus eſt ejus authoris verba accuratius expendere, quem multa clariſſima argumenta aliquot ſæculis vero Dionyſio recentiorem eſſe coarguunt, quemque anno Domini 532. ab hæreticis objectum Catholici apertiſſime rejecerunt, atque exploſerunt, ut teſtatur Innocentius Maroniæ Epiſcopus, epiſtola ad Thomam presbyterum *a*, in qua illam Catholicorum cum Severianis hęreticis Conſtantinopoli, habitam collationem narrat.

a Vide T. 3. Conc. p. 855. col. 1. D.

CAP. VIII.

Quam ſtulta atque abſurda ſit omnis Turriani ex veteribus hac in cauſſa diſputatio. Expenduntur ac refelluntur ſigillatim, quæ ille ex Origene, & Cypriano, & ex Synodis Nicæna, Antiochena, & Gangrenſi attulit; & oſtenditur quis verus ſit locorum ſenſus.

HIs ergo ex legitimo teſtium cenſu rejectis nothis, & falſi nominis authoribus, ad veros, ſinceroſque veniamus; quos Turria-

nus nullo, quod quidem aſſequi potuerim ordine, credo prout ſinguli in buccam, vel in mentem veniebant, perturbatiſſime in hanc cauſſam induxit. Nos à vetuſtioribus exorſi omnes pro ſuorum quemque temporum ratione audiemus. Quamquam ſane audiri eos vix operæpretium eſt; adeo ſunt ab hac cauſa aliena, quæcunque iſti loquuntur. Hoc enim inprimis de univerſis, qui quidem ante Gelaſium vixerunt, confirmare poſſum, neminem eſſe eorum, qui iſtius, quam Turrianus probandam ſuſcipit, Apoſtolicorum canonum farraginis mentionem diſerte, liquidoque fecerit. Sed ſiquis veterum vel Apoſtolos ex certo canone Eccleſiam rexiſſe, regendamve tradidiſſe dixerit, ſiquis Apoſtolorum decreto, vel regulas nominaverit, ſiquis eorum aliquid, quæ in Pſeud-Apoſtolicis canonibus continentur, memoraverit, noſter in iſta ſtatim involat, & inani rerum ſpecie deceptus, ſtimulante, judiciumque, quod per ſe alioqui exiguum fuiſſe videtur, perturbante nimio cauſæ ſtudio, ea ſuis iſtis Canonibus accipit. Hæ omnino ſunt Turriani in hac diſputatione artes; hæc μεθοδεία, quæ tam multis authoribus pro peſſima, ac complorata cauſſa, teſtimonium extorſit. Sed hæc quidem diſputandi ratio, quam futilis ſit, quamque

que

Digitized by Google

que inepta, omnes vident. Quis enim negat, vel Apoſtolos certa quadam regula Eccleſiam adminiſtraſſe? vel ex iis, quæ in pſeudo-apoſtolicis canonibus habentur, non pauca jam quidem in Eccleſiæ uſu fuiſſe? Apoſtolos quidem ſapienter, ac ſumma cum ratione omnia gubernaſſe & ipſi eorum divini libri clamant, & omnes Chriſtiani confitentur. Planum vero iſtum, quem Turrianicam hanc canonum 85. ſyllogen ſub quinti ſæculi finem, ſextique initia conſarcinaſſe putamus, nemo uſque adeo bardum, aut ſtupidum fuiſſe cenſet, ut non multa ex iis, quæ ſuo tempore in Eccleſia obſervabantur, ſuæ iſti farragini ad fucum faciendum immiſcere vel noluerit, vel non potuerit. Itaque non ſiquid Apoſtolos in Eccleſia conſtituiſſe, aut à veteribus olim ſervatum fuiſſe demonſtretur, eo probatum quoque fuerit veram eſſe ac genuinam quam defendit Turrianus, Canonum Apoſtolicorum Syllogen. Sed jam ſingula teſtimonia, hæc in genere prefati, audiamus, ac expendamus.

Primum eſto Origenis; ex quo Turrianus *a*, quædam citat, in quibus ille ait *Chriſtianos à muneribus reipublicæ gerendis abſtinere, non quod communis vitæ miniſteria fugiant, ſed quod ſervent ſe divinio-* *ri,*

a c p. 67. verſa 68. recta. L. 8. *contr. Celſ. extr.*

ri, ac magis neceſſario miniſterio Eccleſiæ Dei ad ſalutem hominum. Sed ex eodem *a* refert, fideles lapſos peracta legitima pœnitentia in Eccleſiæ quidem communionem admiſſos fuiſſe; non tamen ad ſacrum miniſterium promotos. Tum canones Apoſtolorum recitat ſextum, ſexageſimum primum, & octogeſimum primum, quibus cavetur, ne Eccleſiæ miniſtri curas mundi, vel populares adminiſtrationes ſuſcipiant; item canonem quinquageſimum primum, & octogeſimum, quibus edicitur, ut lapſi pœnitentes recipiantur, ita tamen, ne ad Epiſcopatum promoveantur, priuſquam documentum vitæ ſuæ præbeant. Hæc ille; quibus ſuccinens Binius pari inverecundia ſcribit *b* canonem Apoſtolorum 51. ab Origene l. 3. contra Celſum, citatum eſſe. Ego reſpondeo ex Origenis dictis recte concludi, triplicem illum morem in Eccleſiæ uſu jam fuiſſe Origenis temporibus, id eſt tertio Chriſtianiſmi ſæculo jam adulto. Ideo in uſu fuiſſe, quod Turrianica Apoſtolicorum canonum ſylloge, (cujus Origenes non magis, quam regulæ Loyoliticæ meminit) aliquod hujuſmodi præcepiſſet, vel Origenicæ memoriæ Chriſtianis nota eſſet, nulla eſt Dialectica, quæ hinc extundere poſſit. Verius eſt, cum hæc eſſet antiqua

a L. 3. contr. Celſ.

b in c. 51. Ap. T. 1. Conc.

tiqua Eccleſiæ Chriſtianæ conſuetudo, ex ea impoſtorem ſuos illos à Turriano commemoratos Canones effinxiſſe, callideque Apoſtolis ſuppoſuiſſe; ratum ſe hac antiquitatis objecta ſpecie facilius latere, atque incautis hominibus imponere poſſe.

Ejuſdem farinæ eſt, quod Turrianus *a* ex Cypriano, Origenis fere æquali, huc torquendum putavit. Laudat Cornelium Cyprianus *b*, quod Fœliciſſimum à ſe & aliis Africæ epiſcopis abſtentum & condemnatum ipſe quoque rejeciſſet. Item ibidem Pſeudo-epiſcopos narrat *foris ſibi conventicula conſtituiſſe*. Ergo (inquit Turrianus) jam tum erat hæc in Eccleſia regula, ne vel ab uno epiſcopo rejecti ab aliis ſuſciperentur, vel cuiquam liceret ſeorſim, ſive ſeparatim ab Eccleſia collectas facere, quod utrumque eſt Apoſtolorum canone 32. & 31. vetitum. Reſpondeo, utrumque verum eſſe; ſed ex utroque nequaquam ſequi, ut vel Cypriano cognita fuerit, vel jam tum extiterit à Gelaſio damnata, à Turriano defenſa Apoſtolicorum canonum ſylloge. Quaſi vero nemo præter fictitios iſtos Apoſtolos Eccleſiam id docere potuerit, quod & rectæ rationi, & Scripturis divinis conſentaneum eſt; ut ſcilicet fraterna inter ſe

a c. 21. p. 65. rect.

b L. 1. Ep.

concordia in Eccleſiaſtica adminiſtratione omnes Chriſti Miniſtri conſpirent; neve extra legitimorum Paſtorum caulam, quiſquam Dominicas oves colligat. Non hoc à tuis Apoſtolis, Turriane, Cornelius, Cyprianuſque didicerant; ſed ab ipſis potius tui illi poſt eos jam dudum mortuos nati Apoſtoli id hauſerunt atque expreſſerunt.

a c.13. p. 35. rect. Idem eſt Jeſuitę a luſus in iis, quæ ex Synodis quarto ſæculo habitis adfert. Patres (inquit) Nicæni ſtatuunt, ſiquis ſe ipſum exciderit, ne in clerum admittatur. Nic. c.1. *Quos vero barbari, aut Domini caſtraverunt, ſi inveniuntur alias digni, tales ad clerum τὸν κανόνα regulam ſuſcipere.* Idem autem in Canonum Apoſtolicorum ſylloge decernitur; canonibus 20. 21. & 22. Ergo cognita fuit Nicænis Patribus hæc ſylloge; & quam memorant *regulam*, ea nihil aliud ſignificat, quam ipſos illos Apoſtolorum canones. Ego vero hoc ex illo ſequi nego. Illud quidem hinc haberi fateor, fuiſſe jam ante Nicęnæ Synodi tempora aliquam in Eccleſia regulam; ex qua hæc ita adminiſtrarentur; Eam regulam ab ipſis Apoſtolis ita diſerte conſtitutam fuiſſe, vel a Clemente litteris mandatam, & in iſtam, quam Turrianus defendit, ſyllogen relatam; nego hinc, nego ex ullo

veteri

veteri quatuor priorum ſęculorum ſcriptore, confici, vel colligi poſſe. Certe ex iis quę de Origene narrat Euſebius *a* apparet iſtud ſui ipſius exſecandi facinus jam tum apud Chriſtianos invidioſum fuiſſe. Refert enim Demetrium Alexandriæ Epiſcopum, *id Origeni objectaſſe, eoſque ſimul, qui illum presbyterum creaviſſent, criminibus involvere conatum eſſe*. De tribus illis Canonibus Apoſtolicis nihil dicit; quos ſiqui tunc hujuſmodi extitisſent, non eſt veriſimile vel Origenem tam abſurdo facinore violaturum, vel Demetrium in tali cauſſa prætermiſſurum fuisſe. Vero proprius videtur ex ea Origenici facti occaſione vetitum ab Eccleſiaſticis præpoſitis, nequis tale quid pietatis ſpecie, vel illius viri exemplo, auderet; & ſiquis auderet, is à ſacris ſubmoveretur; eamque deinceps regulam & apud Eccleſias obtinuiſſe, & à Nicænis Patribus hoc loco intelligi. Cum enim & à præcepta in divinis litteris humanitate, & ſanctimonia & ab ipſo communi naturæ ſenſu plurimum abhorreat hæc in ſeipſum ſævities; non facile crediderim ullam latam in eos, qui tale quid audent, legem ante editum ab aliquo talis ſævitiæ exemplum. Nam cur quæſo divinaſſent Apoſtoli futuros olim, qui ſuis ipſi genitalibus manus violentas inferrent? Id autem Apoſto-

a *Hiſt. l. 6. c. 8. gr. (lat. 7.)*

poſtolicis temporibus quemquam Chriſtianum deſignasſe, nulla tradidit Eccleſiæ hiſtoria. Non ergo Apoſtolorum temporibus, ſed ſecutis ſæculis, ex Origenici facti occaſione, decreta, conſtitutaque, & inde ad Nicænos Patres propagata videtur illa regula, quam ipſi hoc loco memorant.

Eadem fere cæterorum ratio eſt, quæ ex Nicæna Synodo colligit Turrianus. Ait Synodus *a* multa facta eſſe adverſus Eccleſiaſticam regulam; verbi gratia, quod homines ex Gentili vita nuper accedentes ad fidem, brevique tempore inſtructi, mox ad lavacrum ſpirituale perducerentur, ſimulque ad Epiſcopatum, vel ad presbyterium promoverentur. Regulam Eccleſiæ, præter quam iſta fierent, Turrianus decernit canonem eſſe ſuæ collectionis 80. quo iſta à Synodo commemorata vetantur. Sed hoc non jubendum erat, ſed probandum. Ego vero multo (ut mihi quidem videtur) probabilius non ſignificari à Patribus Apoſtolicam regulam ex eo argumentor, quod hanc *Eccleſiæ* ſimpliciter vocant. Cur enim Apoſtolicæ nomen ei regulæ invidiſſent, quam Apoſtolicam ſciviſſent? Quamquam & *Apoſtolicam* dici eam regulam, quam violatam conqueruntur Patres, nihil ſane vetabat, etiamſi nullam tum extitiſſe Turrianicam ſyllogen, quod verum eſt, ſtatuamus.

a *Nic.* c. 2.

tuamus. Imo ipſi Patres Apoſtolicam eſſe diſerte probant; ex Apoſtolicorum dogmatum codice, non Turrianico, ſed noſtro, *Tempore* (inquiunt) *opus eſt ei, qui baptizatur, & poſt baptiſmum probatione quamplurima. Manifeſta eſt enim Apoſtolica Scriptura, quæ dicit* a; Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum Diaboli. Cur non potius Turriane tuum illum 80. canonem, qui diſertiſſimus eſt, & totidem verbis conceptus, non laudarunt Patres; Nimirum eum illi nondum cognitum habebant.

a 1. Tim. 3. 6.

Sequitur ſextus ejuſdem Synodi canon; quo præcipitur, ut *antiqua conſuetudines* vigeant, τὰ ἀρχαῖα ἔτη κρατείτω. *Antiquas conſuetudines* Turrianus contendit b canones eſſe ſuorum Apoſtolorum triceſimum quartum & triceſimum quintum. Quo argumento? *Quia* (inquit) *Synodus Conſtantinopolitana*, quæ Nicæna hic ſtatuit, repetens jubet c, *ſecundum canones Epiſcopum Alexandriæ, quæ in Ægypto ſunt gubernare, & Epiſcopum Orientis quæ ſunt in Oriente.* Sed Turrianus ſolens delirat. Nicæni Patres diſtinctionem diœceſeon, & ſingulorum in ſuos metropolitarum jus conſuetudinem vocant, quia nimirum tacito hominum uſu, atque conſenſu id totum, quantumcunque, eſt jus in Eccleſia paula-

b *Turr. ibid. p. 35. vers.*

c c. 2.

paulatim obtinuerat; nullo diſerto vel Apoſtolorum, vel Synodorum præcedentium præcepto (quo ipſo plane evertuntur duo illi Turrianici Apoſtolorum canones) Conſtantinopolitani vero Patres idem illud jus, non jam ex *conſuetudine* duntaxat, ſed *ſecundum Canones* valere ajunt; quia ſcilicet ad *conſuetudinem* acceſſerat Nicænorum Patrum canon; quo antiquæ illæ conſuetudines confirmatæ, publicaque veluti lege ſancitæ erant. Synodus enim C P. (quod omnes norunt) a. D. 381. hoc eſt annis 56. poſt Nicænam habita eſt.

a Turr. ibid. p. 76. verſ.

Sed affert etiam Turrianus *a*, quod in eodem Nicænæ Synodi ſexto canone habetur de electionis decreto κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, *ſecundum Eccleſiaſticam regulam comprobato.* Hic & quidem vehementer nos urget, rogans identidem, quæ ſit illa *Eccleſiaſtica regula*, jam ante Nicænæ Synodi tempora in electionibus Epiſcoporum obſervari ſolita? Et quia nos putat nihil habere, quod reſpondeamus; ait ipſe eam haberi in octavo libro Conſtitutionum capite quarto. Verum nos de canonibus nunc quidem agimus. Conſtitutiones Apoſtolorum Turrianicas nullas Nicænæ Synodi temporibus extitiſſe, abunde ſuperiori diſputatione probavimus.

Neque

Neque nos ſane ut vel ad eas, vel ad Canones Apoſtolorum confugiamus, cogunt Turriani acres licet, ac vehementes interrogationes. Satis eſt ad Nicænorum Patrum ſententiam explicandam ſtatuere, jam tum fuiſſe certum aliquem ac legitimum morem, quo miniſtrorum electiones rite inſtituerentur, partim ex Sacræ Scripturæ, partim ex rectæ rationis luce hauſtum; ab omnibus approbatum & uſurpatum; hunc fuiſſe Eccleſiaſticum electionum canonem. An is autem lege aliqua ſcripta explicatus, litteriſque mandatus, an vero communi, publicoque tametſi tacito, omnium uſu, ac conſenſu receptus fuerit, nihil ad Synodi mentem intereſt; nedum ut à Clemente Turrianico in Conſtitutionibus traditum fuiſſe neceſſe ſit.

Atque hic ipſe publicus Eccleſiæ illorum temporum uſus, apud omnes receptus, *canon eſt, præter quem* paulo poſt queruntur Patres *in quibuſdam partibus conſuetudinem hanc inveniri*, ut de civitate ad civitatem *transferantur epiſcopi, presbyterique, ac diaconi*. Fateor ſimilia præcipere Turrianicos Apoſtolos canone 14. Nicænos ab iſtis Apoſtolis ſua ſumpſiſſe Zonaras homo Græcus, putat; Putat & Græcorum Schiſmaticorum hac in Nic.c.15.

parte

parte ſectator Turrianus. Ego rectius puto, ut planus Turrianicorum Apoſtolorum parens, ſua à Nicænis ſumſerit, poſt quos eum vixiſſe & cenſeo, & poſt hoc, ſi Deus dederit, demonſtrabo. Nunc ſatis eſt oſtendiſſe, nihil eſſe in his Nicænorum Patrum verbis, quod Zonaræ & Turriani opinioni faveat.

Ad eundem denique publici Eccleſiæ moris, uſuſque canonem pertinet, quod a c. 15. ajunt iidem Patres *a*, *τὸν κανόνα διαγορεύειν τοὺς ὑφ᾽ ἑτέρων ἀποβληθέντας ὑφ᾽ ἑτέρων μὴ προσίεσθαι*, *canonem vetare, ne ab his abjecti ab aliis recipiantur.* Quanquam & hujus moris, abſque quo conſiſtere nequit Eccleſiæ pax, atque concordia, in vetuſtiorum etiam Patrum ſcriptis documentis extabant veſtigia; qualia ſunt, quæ nuper ex B. Cypriano à Turriano allata audivimus; ut nihil neceſſe ſit ad 12. & 32. Turrianicorum Apoſtolorum canones confugere, qui quæ iſtic præcipiunt huic Nicæno decreto ſimilia, ex Nicæna ſcilicet & Antiochena Synodis furati ſunt, ſuiſque ſtramineis Apoſtolis aptarunt.

Eodem quoque modo intelligenda ſunt multa illa, quæ Turrianus *b* ex Antiochena Synodo huc convaſanda putavit. Ait Synodus *c*, *quiſquis ex clero cum excommunicatis communicat, eum Eccle-*

ſia

b *Turrian.c.14.p.38.verſa.*
c *Can. 2.*

ſia regulam confundere. Eadem Epiſcopum, qui alterius parœciæ clericum à ſuo Epiſcopo *depoſitum receperit*, affirmat παραλύειν τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς, *conſtituta* ſive *jura Eccleſiaſtica diſſolvere.* Iubet eadem Synodus *a Metropolitam honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam* (inquit *b*) *à Patribus noſtris regulam conſtitutam.* Eadem memorat τὸν θεσμὸν τὸν ἐκκλησιαστικὸν, *conſtitutum*, ſive *jus Eccleſiaſticum*, quo continetur *c*, *oportere non aliter fieri* Epiſcopi cujuſque Eccleſiæ electionem, & ordinationem, *niſi cum Synodo & judicio Epiſcoporum* provinciæ. Alibi quoque ſciſcit *d*, epiſcopum *manere in Eccleſia quam à Deo ſortitus eſt ſecundum* ὅρον *decretum*, ſive *terminum prius ea de re editum.* Et quod eadem mox ait *e*, καλῶς ἔχειν *recte habere, ut quæ ſunt Eccleſiæ, debeant cum omni bona conſcientia ſervari.* Turrianus iſta accipit, ac ſi dictum eſſet, recte conſtitutum eſſe aliquo majorum decreto. Jam quæ Antiocheni Patres ad regulam Eccleſiæ, ad *conſtituta Eccleſiaſtica, ad regulam antiquam à Patribus conſtitutam, ad decretum prius ea de re editum*, referunt, ea inquam decreta, ſancitaque in iis Apoſtolorum canonibus reperiuntur, quos exhibent Græci, quoſ-

a Can. 3.
b c. 9.
c. c. 23.
d c. 21.
e c. 24.

que defendit Turrianus; ut deprehendet quiſquis iſta comparaverit cum canonibus 9. 15. 17. 34. 74. 14. 41. Græcanicæ Turrianicæque collectionis. Ergo liquere putat Turrianus, ſuam hanc collectionem jam tum fuiſſe Eccleſiæ cognitam; imo regulam ipſam Eccleſiæ fuiſſe. Ego reſpondeo, ut ſupra, ex his tantum legitime concludi poſſe, ea, quæ ſex iſtis à Turriano citatis Antiochenis canonibus continentur, jam ante illam Synodum in uſu Eccleſiaſtico fuiſſe, à ſuperioris memoriæ ſive ſynodis, ſive Epiſcopis conſtituta. Non fieri, ut iſta Turrianica velut Apoſtolicorum canonum collectio tunc extiterit; quæ ſi vel Antiochenis, vel aliis ejuſdem ſæculi Patribus cognita fuiſſet, cauſa dici non poteſt, cur non interdum eam, ubi occaſio incidebat, vel Apoſtolorum, vel certe Clementis nomine, vel ſub numeris, quibus ea diſtinguitur, diſerte laudaverint; quod neque hi, neque alii iſtorum temporum feciſſe uſpiam deprehenduntur. Sed urget nos more ſuo homo acutiſſimus, *Dicant nobis* (inquit) *qui hic Canones Apoſtolorum citari negant, cujus Synodi antegreſſæ, aut quorum Patrum canones* antiqui *hic vocentur, aut vocari poſſint? Si nullos alios reperire poſſunt, annon convincuntur citari hic Canones Apoſtolorum?* Mihi vero, ut ſemel

ſemel oſtendam puerilis paralogiſmi, in quo iſte tantopere ſe jactat, vanitatem, ipſe nunc viciſſim conveniendus quoque eſt, & interrogandus Turrianus. Synodi Nicænæ Canone XIII. hęc ſunt verba; *De his qui ad* exitum veniunt, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος, *lex antiqua, regulariſque* ſive *canonica ſervabitur, ita ut ſiquis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minime privetur.* Hæc Nicæni Patres. Nunc te, Turriane, appello, Dic nobis, ſodes, quo loco *antiqua illa, regulariſque lex* in Apoſtolicis tuis Canonibus habeatur? Recita eam, quæſo, ex tuo codice. Numerum ede, ſub quo diſpoſita eſt. At non facies; niſi Apoſtolicum codicem nobis ex alicujus Arabiæ angulis hoc tuo, noſtroque auctiorem ac locupletiorem promas. In hoc enim certe, quem tu Latinis repudiatis à Græcis magiſtris accepiſti, 85. canonum codice, nulla plane extat illa Nicænis memorata *vetus, ac canonica Eccleſiæ lex.* Sed neque ex omni hac quę ad nos pervenit, veterum monimentorum copia, ullum vel Concilium, vel Patrum proferre potes, à quo hæc lex ante Nicænam Synodum lata fuerit. Ergo tibi, velis nolis, confitendum eſt, aliquam etiam *legem veterem, & canonicam*, Nicænorum tempore Patrum fuiſſe, quæ tamen

men neque in tuo Apoſtolico codice, neque in ullo alio vetuſtiori Nicæna Synodo monumento monſtrari poſſit. Adhæc eadem Nicæna Synodus negat vel *regulam vel conſuetudinem tradidiſſe, ut quod in quibuſdam locis fiebat, presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigerent.* Ergo inquam, etiam ante Nicænam Synodum extabat *regula*, obtinebat *conſuetudo,* ne diaconi id facerent. Hic rurſus Turrianum convenio; Eam regulam nobis ille vel in ſuo Apoſtolico codice, vel apud aliquam Synodum Nicæna vetuſtiorem legat; vel ſi nullam invenit, illud certe confiteatur, quod nos volumus, fuiſſe etiam ante illa tempora, quaſdam in Eccleſia regulas, ac conſuetudines, quæ neque in ſuo codice, neque in aliis, quæ extant, Nicæna Synodo anterioribus monumentis
a c.21. leguntur. Jam Ancyrani Patres *a* τὸν πρότερον ὅρον, *antiquam*, interprete Dionyſio, *definitionem*, ſive *regulam prohibuiſſe* ajunt, ne mulieres, quæ fornicatæ fœtus in utero perimerent, ante vitæ exitum communionem acciperent. Et Neocæſa-
b c.15. rienſis Synodus affirmat *b, ſeptem eſſe debere diaconos* in unaquaque Eccleſia κατὰ τὸν κανόνα, *juxta regulam.* Oſtendat nobis Turrianus vel in Apoſtolico ſuo codice, vel in aliquo duobus iſtis Synodis vetuſtiori mo-

ri monumento, utramque hanc regulam. Atqui neutram uſpiam reperiet. Ergo neceſſario confitendum, etiam ante utriuſque Synodi tempora, id eſt ante a. D. 314. extitiſſe aliquas in Eccleſia regulas; quarum nulla invenitur in iis, quæ eorum temporum ſuperſunt, monumentis mentio. Atque ex his jam ut opinor, omnes vident, quam fruſtra nos Turrianus ſuis interrogationibus urgeat. Iubet nos edere vel Concilia, vel Patres, quorum eæ regulæ fuerint, quæ vel à Nicænis, vel ab Antiochenis Patribus memorantur, & *antiquæ* interdum appellantur. Confitemur, nulla nunc extare anteriora iſtis Synodis monumenta, in quibus hæ regulæ appareant. Ille concludit, eas ergo ex ſuo Apoſtolicorum Canonum codice fuiſſe à Synodis citatas. Negamus eum bene ac legitime concludere; cum ex iis quæ nuper diximus, appareat & à Nicænis, & ab Ancyranis, & à Neocæſarienſibus Patribus *leges*, ac *regulas antiquas* commemorari, quę cum in nullo vetuſtiorum temporum monumento nunc cernantur, non tamen à Patribus ex codice Apoſtolicorum canonum citatæ ſunt, vel citari potuerunt, in quo ſcilicet nullæ ſunt. Res vero clara eſt & expedita; quamque ipſe Turrianus, niſi eum cauſſæ ſtudium excæ-

caſſet, facile videre potuit. Non omnia quæ in uſu fuerunt antiquę illius Eccleſię, Apoſtoli nominatim, diſerteque vel in aliquo codice, vel etiam una voce tradiderant. Multa ipſa rerum, temporumque, & cauſarum emergentium ratio ſuggeſſit, & perſuaſit, longo poſt uſu confirmata; Non pauca invexit, vel Synodorum, vel etiam ſingulorum Epiſcoporum ſententia, atque authoritas, quæ ex una vel provincia, vel parœcia, in qua primum orta erant, in vicinas poſtea, inde in alias, aliaſque latius ſeſe paulatim effuderunt; quod eorum inſtitutio rationi conſentanea videretur. Nam & iis quæ Nicænam Synodum antecesserunt temporibus multas apud Chriſtianos habitas fuiſſe locales Synodos, multa à Synodis, multa à ſingulis Epiſcopis de diſciplina, ac vitibus Eccleſiæ decreta, ac conſtituta fuiſſe, nemo adeo ſtultus eſt, vel rerum antiquarum imperitus, qui neſciat. Extat adhuc multarum hujuſmodi Synodorum clara memoria; ut Orientalium, & Aſiaticarum de Paſchatis controverſia, Africanarum & Romanarum de hæreticorum baptiſmo, Antiochenæ contra Paulum Samoſatenum. Nonnullarum etiam canones extant, ut Eliberitanæ in Hiſpania, ut Ancyranæ in Galatia, quas conſtat ante Nicænam habitas

bitas eſſe : idemque de Laodicena (ſed falſo, ac temere) ſibi perſuadent Baronius, & Binius. Jam & Epiſcoporum quorundam itidem quoque ſuperſunt canones, ac decreta, ut Gregorii Thaumaturgi (ſi tamen vera ſunt, quæ ejus nomine circumferuntur) ut Dionyſii, ut Petri, utriuſque Alexandrini; qui omnes longe ante Nicænam Synodum vixerunt. Zephyrini quidem Romani Epiſcopi, quin canon fuerit de admittendis ad pœnitentiam fornicatoribus, nemo dubitat; tametſi ipſe canon interciderit. Cætera de hoc genere mitto. Res enim apud omnes in confeſſo eſt. Quas ergo nobis leges, regulas, Definitiones, conſtitutiones Patrum, vel Eccleſiæ memorat Nicæna, & Antiochena, & ſiqua alia Synodus, eæ erant, quæ tum in Eccleſiæ regimine obtinebant, vel tacito (ut dixi) omnium conſenſu receptæ, quales eas præſertim fuiſſe credibile eſt, quas ἔθη conſuetudines vocant; vel quæ alicujus ſive Synodi, ſive etiam Epiſcopi, decreto præceptæ, ac ſancitæ, vel in una provincia, vel in pluribus, vel etjam in omnibus obſervabantur. Quod ſi extarent omnia veterum ante Nicænam Synodum vel Conciliorum, vel Epiſcoporum decreta, ac conſtituta, facilius

 nobis

nobis eſſet ſingularum iſtarum regularum origines, authoreſque demonſtrare. Nunc cum veterum iſtorum monumentorum pars longe maxima, partim temporum, partim etiam hominum injuria abolita interciderit, plane inique nobiſcum agit Turrianus, dum hanc nobis legem dicit, atque ſtatuit, ut niſi Synodum, aut Epiſcopum nominatim edamus, cujus authoritate decretæ, conſtitutæque fuerunt iſtæ à Nicænis & Antiochenis commemoratæ regulæ, eas cogamur confiteri è ſuo illo Apoſtolicorum ſcilicet canonum codice fuiſſe citatas. Facile enim, ut quivis videt, fieri poteſt, ut his idem, quod illis aliis, quas ex Nicæno, Ancyranoque & Neocæſarienſi, Conciliis attulimus, acciderit; nimirum ut ea perierint vel Synodorum, vel Patrum acta, atque codices, ex quibus à veteribus citabantur; ut jam luce meridiana clarius ſit, nullam Turrianicas eroteſes vim habere ad id, quod nos negamus, probandum, ſcilicet fuiſſe jam tum in Eccleſia hunc, qui nunc obtruditur, Canonum Apoſtolicorum codicem.

a *Turr. c. 14. p. 42. verſa.*

Atque idem quoque dictum velim ad ea, quæ Turrianus plane ejuſdem generis ex Synodo Gangrenſi laudat *a*, τὰς

ἐκκλησια-

ἐκκλησιαςικὺς κανόνας, *Eccleſiaſticas regulas*, commendante a, *ſanctas ſcripturas*, a Can. 21.
& Apoſtolicas traditiones. Fuiſſe jam ante Gangrenſem Synodum ſuas Eccleſiæ regulas, ſuas Scripturas, Apoſtolicaſque traditiones, apud omnes in confeſſo eſt. Quæritur, num ex Eccleſiæ regulæ ab Apoſtolis traditæ, à Clemente ſcriptæ & in codicem relatæ eſſent, hunc ipſum pro quo nunc pugnat Turrianus. Ea vero de re ne γρῦ quidem dicunt Patres Gangrenſes.

CAPUT IX.

Diluuntur, quæ Turrianus ex Africanis Synodis, item ex Athanaſio, Baſilio, & Epiphanio pro ſuis Canonibus ſtulte & inverecunde obtrudit.

SED & Africanarum Synodorum eadem mens eſt, dum *diſciplinam Eccleſiaſticam* b, *ordinem & à Patribus & à majoribus ſervatum* c, *formam antiquam* d, *ſtatuta ex antiquorum ſententia* e, memorant, ac commendant, obſervarique præcipiunt. His enim nominibus, quæ apud ſuam Eccleſiam in uſu erant, vel à vetuſtis Synodis conſtituta, vel à majoribus nuda, & ſimplici traditione accepta,

b *Conc. Carthag.* 2. *c.* 8. (*cod. c.* 10.) & *Syn. Afric. c.* 53. *cod. c.* 86.
c *cod. Afr. c.* 86.
d *Conc. Afr. c.* 16. (*codicis c.* 49.)
e *cod. Afr. c.* 86.

pta, ſignificant. Hæc ipſa in Apoſtolicorum canonum eo, qui nunc circumfertur, codice digeſta fuiſſe, & ex eo citata, Turriani ſomnium *a* eſt, cujus neque vota, neque veſtigium in Africanorum Patrum Synodis cernitur. Fateor, unum extare, & à Turriano objici locum, cujus alia ratio eſt, quo Afri ſancientes Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum ab omni mulierum, etiam conjugum, uſu continentiam, ajunt *b*, *id Apoſtolos docuiſſe, & ipſam ſervaviſſe antiquitatem.* Apparet enim iſtos putaſſe, non majores, vel Epiſcoporum ſynodos duntaxat, ſed ipſos etiam Chriſti Apoſtolos hanc ſacrorum hominum continentiam præcepiſſe. Nimirum ſibi perſuaſerant, vel extare in divinis novi fœderis libris antiqua hujus legis documenta, eoque fortaſſe numero habebant illum Pauli locum *c*, ut quo tradit, Epiſcopum inter cæteras dotes *continentem* eſſe decere; vel Apoſtolos κατὰ παράδοσιν, viva voce, extra Scripturas hoc præceptum ſuis diſcipulis dediſſe. Non jam diſputo, jure-ne ita ſenſerint (aliò pertinet iſta diſputatio) certè ita eos ſenſiſſe fateri videtur hæc ipſorum oratio. Nam quod vult eos Turrianus *d* ad quintum ſuæ farraginis canonem reſpexiſſe, id ab omni veri ſpecie alienum, quin & pene ridi-

a *c.* 14. *p.* 43. 44.

b *Conc. Carth.* 2. *c.* 2. (*cod. Afr. c.* 3.)

c *Tit.* 1. 8.

d *c.* 14. *p.* 43. *rect.*

ne ridiculum eſt. Canon ſic habet, *Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus uxorem ſuam ne ejiciat religionis prætextu.* Obſecro tuam fidem, nonne ludibrium debebit ſiquis iſto canone doceri, ac præcipi contenderit, ut Epiſcopus, & presbyter, & diaconus ab uxorum uſu abſtineant? Atqui plane contra is videtur vetare, atque interdicere, ne eas à ſua conſuetudine ſemoveant. Sed eſto; ne jubeat canon homines ſacros uxoribus ſuis conjugalis thori fidem ac conſortium ſervare; Illud quidem certum, planumque eſt, non interdicere iis uxorum uſum. Quid enim ſtultius dici poteſt, aut infantius, quam ei, quem omni uxoris uſu arcere, atque ſemovere vis, edicere, gravibuſq; verbis interminari, *ne ullius rei obtentu uxorē ejiciat?* Fruſtra rogat Turrianus, cur hoc magis ſacris hominibus vetetur, quam laicis. Nam & laicis eandem eſſe latam legem, quis dubitet: quod autem *clerici* (ut vocant) de hoc in uxores officio proprie moneantur, ratio in promptu eſt, & ea quidem à Canone expreſſa. His nimirum religionis & rerum ſacrarum miniſterium ſpeciem aliquam præbet, quam ſuo ab uxoribus ſeceſſui obtendant? Laicis vero non ſuppetit idem color. Innocentius certa, Afrorum iſtorum æqualis, hunc Turrianicum canonem, vel Apoſto- a *Ep. 2. ad Exper. c. 1. T. 1. Conc. Gall. p. 35.*

Apoſtolicum neſciebat, vel epiſcoporum & presbyterorum ab uxoribus continentiam jubere non putabat; qui hanc cauſam agens *divinarum litterarum diſciplinam*, hoc eſt Levitici quædam loca, Pauli item ex epiſtolis quædam teſtimonia, ac in primis Siricii anteceſſoris ſui monita ad eam confirmandam citati hujus Turrianici canonis non meminit. Quin & eos clericos, ad quos Siricii epiſtola non pervenerat, venia dignos pronunciat; quam nulli meriti eſſent, ſi Apoſtolicus jam tum * extitiſſet in univerſali Eccleſia de ſacerdotum continentia canon.

* *a. D.* 405.

Atque hæc de quarti ſæculi Synodis. Ex Patribus eorundem temporum non argumentatur felicius Turrianus *a*. Athanaſium *b* inprimis laudat quod Georgius Cappadox juſſu Comitis per vim in Alexandrinam Eccleſiam epiſcopus immiſſus eſſet, *id contra priſcos canones Eccleſiaſticos* factum fuiſſe affirmantem, eoſque canones *non nunc datos Eccleſiis* ſcribentem, quin *potius pulcre ac firme à Patribus noſtris traditos*. Vides, quos canones dicat; à Patribus ſcilicet, hoc eſt ab Epiſcopis, vel Synodis conſtitutos, non ab *Apoſtolis*, quod vult Turrianus. Nam *à Domini quidem diſcipulis*, non hos canones, ſed *fidem* ait in nos derivatam eſſe. Iam ve-

a *c.* 21. *p.* 65. *verſ.*
b *Ep. ad Orthodoxos.*

ro

ro non de *fide*, ſed de *canonibus* quæritur.

a Baſilii eadem eſt ratio, qui antiquum canonem eſſe ait b, *ut lapſi ex gradu, ex miniſterio quidem ſacro ejiciantur; communione vero nequaquam priventur.* Concedo hunc canonem antiquum fuiſſe. A Clemente ſcriptum, & in Turrianicum codicem relatum, hinc ulla machina confici poſſe nego. Imo de canone Turrianicæ ſylloges 24. (Dionyſio 25.) quo hæc refert Turrianus, non cogitaſſe Baſilium manifeſtum eſt. Sic enim ille; *Arbitror ſecutos eſſe illos primos legem illam*, Non vindicabis bis id in ipſum: quæ omnino frigide, ac inepte diceret, ſi de canonis Turrianici authoribus diceret. Hi enim ſuo illi canoni diſerte ac nominatim hanc rationem addunt, *Dicit enim Scriptura*, Non vindicabis bis in ipſum. Magnam Turriani inverecundiam fuiſſe neceſſe eſt, qui illa Baſilii ad ſuos canones torquere auſus eſt. Ejuſdem eſt amentiæ, quod idem c ex ſuæ sylloges canone 49. Baſilium hauſiſſe vult illam, quam memorat, de *trina in baptiſmo merſione* traditionem. Nihil hujuſmodi Baſilius; Contra de iis, quas iſto loco recenſet, traditionibus quærit d, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; *Quis Sanctorum ſcripto nobis eas reliquit?* Stulte pro-

a *Turr. p. 66. vers.*
b *Baſ. can. 3.*
c *Turr. p. 67.*
d *Bas. de Sp. ſ. c. 27.*

te profecto (ut quivis videt) & impudenter, ſi eas Clemens vir ſanctiſſimus, & Apoſtolorum æqualis litteris mandatas in publicum, & authenticum codicem retulerat. Jam quod Turrianus addit, ſuæ farraginis Canones alibi à Baſilio in primo ſuo de hereticorum, & ſchiſmaticorum canone, item in canone. 12. de digamis, citari, id quam falſo, ac inverecunde dictum ſit, vel inſpectus Baſilii codex docet; in quo neque Apoſtolorum, neque Clementis, neque ullius omnino ſylloges ulla vel tenuiſſima occurrit mentio. Tantum *canones* nominantur, qui ſcilicet in Eccleſiæ illius uſu erant. Quod vero quæ iſtic decernit Baſilius ex Eccleſiæ ſuæ inſtituto in Turrianicæ farraginis canonibus 40. 50. & 17. propemodum eadem præcipiuntur; hoc inquam, non magis probat Eccleſiam ſua à Turrianico legiſlatore accepiſſe, quam hunc ſua ab illa eſſe furatum; quod nos verum eſſe defendimus.

a p. 69. recto. *b Epiph. l. 3. hær. Audian.*

Denique quod poſtremo loco adfert *a* Turrianus Epiphanii *b* teſtimonium, id pluribus perſequi aut explicare nihil neceſſe eſt; quod de eo ſatis multa in ſuperiori diſputatione, ad quam pertinet, dixerimus. Eſt enim de *Conſtitutionibus*, non autem de *Canonibus* Apoſtolorum. Conſtitutiones porro Apoſtolorum Epiphanianas à

noſtris

noſtris, id eſt Turrianicis, alias fuiſſe, & rebus ipſis, & adverſariorum eruditiſſimorum teſtimonio, demonſtravimus. Quod vero in ſuis illis Epiphanius ait, *πᾶσαν κανονικὴν τάξιν*, *omnem canonicum ordinem* contineri, id ſignificat, non, quod velle videtur Turrianus, 85. canonum ſyllogen in ultima operis parte haberi, ſed, ut liquet, eum ipſum ordinem, quo canonice tunc adminiſtrabatur Eccleſia, in iis libris traditum, atque expreſſum fuiſſe. Hæc omnino ſunt, quæ ex quatuor prioribus Chriſtianiſmi ſeculis attulit Turrianus; ex quibus jam conſtare arbitror, nullum toto illo tempore ſcriptorem occurrere, qui teſtetur, quod iſte defendit, fuiſſe vel ab Apoſtolis conditam, vel à Clemente Romano ſcriptam eam canonum 85. farraginem, quam ipſe à recentioribus Græcis acceptam nobis obtrudit.

CAPUT

CAPUT. X.

Expenduntur quæ non minori impudentia ex quinti ſæculi Patribus, Innocentio, Epheſinæ & Chalcedonenſis Synodorum Patribus; adhæc ex Cyrillo, & Leone, pro ſuis Canonibus furens Turrianus convaſavit.

NUNC ad quintum ſæculum, quo præcipiti vixit, ac floruit Gelaſius, veniamus. Primus, quem ex hoc ſæculo teſtem citat Turrianus *a*, Innocentius eſt Romæ Epiſcopus in Epiſtola ad Victricium Rotomagenſem, a. D. 404. data. Sed in hoc Ieſuita eoſdem, quos in ſuperioribus, ludos facit. Neque enim vel unum extat in tota illa epiſtola vel de *Clementina Sylloge*, vel de *Canonibus Apoſtolicis* verbum. Illud quidem fateor, in tredecim illis capitulis, quæ continet epiſtola, nonnulla eſſe, quæ in Canonibus itidem Apoſtolorum Turrianicis præcipiuntur; quæ ſcilicet quod eſſent in communi Eccleſiarum uſu, impoſtor in ſuam farraginem retulit, ut publica authoritas ſpeciem aliquam mendacio conciliaret. Sed hæc Innocentius nuſquam dicit, vel *in libro Apoſtolicorum Canonum* extare, vel inde à ſe deſcripta eſſe; quod non erat ille prętermiſſurus, ſiquem Cle-

a *Turr. c. 12. p. 31. verſa. 32. 33.*

mentinum

mentinum agnoviſſet codicem, in quo iſta haberentur. Hoc enim imprimis pertinebat ad authoritatem iis apud Victricium, & cæteros conciliandam; quibus hunc ſuum librum *inſinuari* cupiebat Innocentius. Certe cum capite primo decernit, *Epiſcopum extra Metropolitani conſcientiam non eſſe ordinandum*, Synodum Nicænam, quæ illud idem canone quarto præcipit, nequaquam putavit omittendam; *Hoc enim* (inquit a) *& in Synodo Nicæna conſtitutum eſt, atque definitum.* Quo loco ridiculus eſt Turrianus, particulam *&* vexans, quaſi ſignificet præter Apoſtolos, hoc etiam Patres Nicænos definiviſſe. Atqui Apoſtolorum nullus meminerat Innocentius. Manifeſtum eſt quid velit; non ſe ſolum ita decernere, vel ſui temporis Eccleſias, vel ſingulos Epiſcopos; Synodum etiam Nicænam, cujus maxima erat apud omnes authoritas, idem conſtituiſſe. Capite ſecundo Nicænam itidem Synodum nominatim laudat Innocentius; & quidem ſemel, atque iterum. Idem facit capite ſeptimo. Qui Nicænos canones tam diligenter, ubi incidit occaſio, citat, cur is, quæſo, nuſquam nominat *Apoſtolicos*, multo majoris (ſi ulli erant vere Apoſtolici) & authoritatis & antiquitatis, cum ea ipſa commemorat ac

a p. 31. vers.

decernit, quæ erant in illis definita, ut verbi gratia capitibus primo, ſecundo, tertio, quinto, ſexto, &c. quibus eadem definit, quæ jam erant in Apoſtolicis canonibus, primo, ſexageſimo primo, triceſimo quarto, triceſimo ſexto, duodecimo, &c. ſi Turriano quidem credimus definita? Ratio in promptu eſt; Nimirum canones Nicænos, quos citaret, cognitos habuit Innocentius; Apoſtolicos, quos laudaret, nullos plane norat; quos, ſiquos, noviſſet, non minus, quam Nicænos, nominatim laudaturus erat. Sed Turrianus tamen
a *p.* 31. contra calcitrat *a*; & præter manifeſtam rerum rationem contendit, Innocentium hæc, quæ in illa epiſtola decernit, ex ſua Apoſtolicorum canonum Sylloge deſumpſiſſe. Quod ut probet, hæc recitat, quæ præfatur Innocentius; *Non quo nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus; quæ tamen Apoſtolica, & Patrum traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt enim namque ad Theſſalonicenſes,*
b *Theſſ.* 2. 14. *Paulo monente* b, State ac tenete traditiones noſtras, quas tradidi vobis, ſive per verbum, ſive per epiſtolam. Hactenus Innocentius; ex quibus, quod primo colligit Turrianus, ego id equidem libens concedo, putaſſe nimirum Innocentium,
iſta

iſta quæ deinceps in hac epiſtola decernit, fuiſſe jam ab ipſis Apoſtolis, ſive viva voce, ſive etiam ſcripto Chriſtianis tradita. Et ipſe ſane iſtorum quædam ex divinis Scripturis confirmare conatur; ut ex Levitico, quod capite quarto de uxore clerici virgine decernit; ex Paulo, quod capite ſexto, de digamis à ſacris ordinibus arcendis; ex Moyſe & ex Paulo, quæ capite nono de ſacerdotum & diaconorum ab uxoribus continentia præcipit; ex eodem denique Paulo, quæ capite decimo tertio ſtatuit de virginibus non velatis, quæ neglecto propoſito nubunt. Cætera, quæ nullo allato Scripturarum teſtimonio definit, omnino videtur cenſuiſſe ipſa quoque ab Apoſtolis tradita; ſed viva voce. Quod vero ex his concludit Turrianus, nos recte concludi negamus; *Cum partim iſtorum* (inquit) *in Canonibus Apoſtolorum contineantur, qui ſunt traditiones eorum per ſermonem, conſequens eſt, non ignoraſſe eum hos Apoſtolorum Canones, id eſt has eorum traditiones, tametſi in ipſis capitulis iſtos ipſos Canones Apoſtolorum non ſemper citet, neque nominet, nec enim opus erat.* Reſpondeo, Turrianum vel in ambiguo ludere, vel nihil concludere. Si enim intelligit, *non ignoraſſe Innocentium*, id eſt exiſtimaſſe hæc ab Apoſtolis fuiſſe viva voce tradita,

id quidem concedo. Sed iſte nos ludit; neque id quod quæritur, concludit. Non enim ſimpliciter quæritur, an iſta Innocentius aliqua in genere ratione ab Apoſtolis tradita fuiſſe putaverit. Quæritur, an iſta in Clementina Apoſtolicorum canonum ſylloge, in Eccleſia tunc nota, ſcripta fuiſſe ſciverit; quod, ut liquet, minime concludit Turrianus. Finge enim animo, Turriane, quod nos quidem veriſſimum eſſe & credimus, & poſtea demonſtrabimus, nullam quinto ineunte ſæculo extitiſſe. Clementinam illam, tuam ſcilicet 85. Apoſtolicorum canonum ſyllogen; An ideo putabis, Innocentium non potuiſſe aliunde diſcere iſta pauca quæ commemorat ac decernit ab Apoſtolis fuiſſe tradita? Nulla-ne extabant ſuperiorum vel Synodorum, vel Patrum monumenta, ex quibus id ipſum accipere, atque haurire potuerit? Ipſe Eccleſiæ uſus, quem, quod ejus initia nulla videbat, antiquiſſimum fuiſſe ſuſpicabatur, nonne ei perſuadere potuit hæc fuiſſe Apoſtolica? Tui quidem ita tradunt a, *vulgatam hanc eſſe Sanctorum Patrum regulam, quorum author alius ignoratur, ea Apoſtolica traditione ad nos dimanaſſe, recte credi.* Ergo etiamſi nulla extitiſſet Innocentianis temporibus Clementina Canonum ſylloge (& ſane nulla

a *Binius annot. in titul. Can. Ap. T. I. Conc. p. 17. A.*

nulla extitit) etiamſi omnia alia ante a-ẽti temporis monumenta plane penituſque intercidiſſent, potuit tamen Innocentius ex aurea illa ſcilicet tuorum regula recte credere, *quorum alium authorem ignorabat, ea ad ſe, ſuoſque Apoſtolica traditione dimanaſſe.* Quid? quod Hieronyinus *a*, eorundem homo temporum, hanc omnibus provincialibus poteſtatem concedit, ut quod à ſuis parentibus apud ſe quiſque conſtitutum reperiunt, id pro Apoſtolico habeant? *Unaquæque provincia* (inquit) *abundet in ſenſu ſuo, & præcepta majorum leges APOSTOLICAS arbitretur.* Hac quidem lege licuit Innocentio iſta omnia, quæ decernit, eo ipſo pro Apoſtolicis traditionibus cenſere, quod ea Romæ uſitata, & à majoribus præcepta reperiret. Huc accedebat, quæ Romanis jam olim penitus animo infixa eſt, de ſuæ ſedis, ac diſciplinæ excellentia opinio; ut nihil apud ſe quantumvis leve ſit, quod non jactent *Apoſtolicum* eſſe; utque Romanum & Apoſtolicum æquipollere exiſtiment. Non jam diſputo, recte ne, an ſecus, ita inſtituant; neque diſcutio quæ Apoſtolica traditione haberi ſcribit Innocentius, ea ne vere ſint Apoſtolica; Hoc unum obiter dicam, qui Nicænæ ſynodo ſive imprudens, ſive et-

a *Ep. 28. ad Lucin T. 1. Hier.*

Digitized by Google

jam ſciens, volenſque, hoc decretum affingit *majores cauſas ad ſedem Apoſtolicam*, (id eſt Romanam) *poſt epiſcopale* (id eſt metropoliticum) *judicium eſſe referendas* (quod nuſquam à Nicæna Synodo factum conſtat) qui hoc inquam Nicænis tribuit, eum profecto nequaquam abſurdum eſt, quædam Apoſtolis itidem vel per errorem, vel etiam ex ſuæ ſedis, ſuarumque rerum ſtudio tribuiſſe, quæ vere non ſunt Apoſtolorum. Sed hoc inquam nos nunc quidem minime agimus. Id unum nobis in præſentia ſatis eſt, quod cum tam multæ aliæ ſint rationes quibus Innocentius eo induci potuerit, ut iſta, quæ in hac epiſtola decernit, *Apoſtolica traditione conſtituta* fuiſſe ſcripſerit, fruſtra, inepteque argumentari Turrianum, qui quod ille iſta *Apoſtolica traditione conſtituta* eſſe ſcripſerit, eo conficit, Clementinam illam ſuam Apoſtolicorum Canonum Syllogen jam tum extitiſſe, ipſique Innocentio probe cognitam fuiſſe. Quod poſtremo idem negat *opus fuiſſe* citari iſtos Apoſtolorum canones, miror equidem cur id neget. Quæſo enim annon opus erat Innocentium, quæ Victricio, quæ cæteris Gallis Victricio vicinis Epiſcopis perſuadere, atque utenda tradere cupiebat, ea diligenter confirmare?

Digitized by Google

re? Si hoc nihil neceſſe fuiſſe putavit, cur ergo tam ſtudioſe è Scripturis, Nicæniſque canonibus arripit, quæcunque ad rem ſuam facere exiſtimavit? At ſi jam tum in publicæ Eccleſiæ luce ab omnibus receptus extabat Clementinus iſte 85. Canonum codex, apparet, nihil omnino ad iſta, quæ decernit Innocentius, commendanda, nihil ad Apoſtolicam originem atque inſtitutionem iis vindicandam aptius, atque efficacius afferri potuiſſe, quam hujus codicis authoritatem. Ergo niſi quæ ſunt ad cauſam probandam omnium aptiſſima, maximeque neceſſaria, ea ipſa afferre nihil opus eſſe ſtatuat Turrianus, non video cur iſtos canones ab Innocentio citari neget opus fuiſſe. Nullus tamen eos citavit, vir alioqui frugi, & rerum ſuarum inprimis diligens, ac ſtudioſus. Ergo ex hac ejus epiſtola, non modo non ſequitur, quod ſtulte nullaque ratione vult Turrianus, cognitam ipſi fuiſſe Clementinam canonum ſyllogen; ſed plane contra, quod nos defendimus, evidenter conficitur, nullum ei hujus furſuris notum fuiſſe Clementis, vel Apoſtolorum librum.

Pertinet ad ejuſdem quinti ſæculi annum 31. Epheſinæ Synodi laudatum à Turriano *a* teſtimonium. Ajunt (inquit) Epheſini Patres *præter canones Apoſtolorum eſſe,*

a *c.* 13. *p.* 36. *recta.* & *c.* 14. *p.* 39. *verſa.*

 quod

quod Epiſcopus Antiochiæ in provinciis Cypri ordinationes faciebat a. Ergo jam tum notus erat Apoſtolicorum Canonum Clementinus codex; in quo ſcilicet diſerte vetitum legimus *b*, *ne Epiſcopus audeat extra ſuos fines facere ordinationes in urbibus & pagis non ei ſubjectis.* Ego vero reſpondeo, Latinam Epheſinæ Synodi editionem loco illo citato nihil *de Apoſtolis* habere: *Rem hanc* (inquit) *quæ præter Eccleſiaſticas Conſtitutiones, & Sanctorum Patrum canones innovatur, & omnium libertatem attingit, annunciavit piiſſimus Epiſcopus Rheginus*; & quæ ſequuntur. Non *Apoſtolorum*, ut callide, temereque & falſo ſupponit Turrianus, ſed *Sanctorum Patrum canones* dicit. Græcus codex vetus Canonum univerſalis Eccleſiæ Lutetiæ a. D. 1610. editus, eandem lectionem exhibet *c*; πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων καινοτομούμενον, καὶ τῆς πάντων ἐλευθερίας ἁπτόμενον προσήγγειλεν ὁ θεοφιλέστατος συνεπίσκοπος Ῥηγῖνος. Eandem exhibent Romana Conciliorum a. 1608. Colonienſis a. 1618. Pariſienſis denique a. 1636. græcolatinæ editiones *d*. Itaque nihil ad Apoſtolicos canones hæc Epheſinorum Patrum verba: *Patrum canones* dicunt; hoc eſt Epiſcoporum & Synodorum ſuperiorum decreta, ac con-

a *Syn. Eph. act.* 7.

b *Can. Apoſt.* 34. (*Dion.* 36.

c *Can.* 178.

d *T.* 2. *Concil. ed. Par. p.* 425. *e. Eph. Conc. part.* 2. *act.* 7.

conſtitutiones; Videntur autem ad Antiochenum Canonem 13. digitum intendere; Μηδένα ἐπίσκοπον τολμᾷν ἀφ᾽ ἑτέρας ἐπαρχίας εἰς ἑτέραν μεταβαίνειν, καὶ χειροτονεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ τινὰς εἰς προαγωγὴν λειτουργίας. Eum Dionyſius in codice numero 91. his verbis expreſſum repræſentat; *Nullus Epiſcopus ex alia provincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterii aliquos in Eccleſiis ordinare.* Sed & ſimilia decernuntur à Patribus Conſtantinopolitanis canone ſecundo; quorum Synodus hanc Epheſinam annis propemodum quinquaginta antecesserat. Nihil ergo neceſſe eſt ad ullos Apoſtolorum Canones, nedum ad Turrianicos, confugere, ut hæc Epheſinæ Synodi verba intelligamus. Quam vero eorum lectionem Turrianus obtrudit, ſubſtituto ἀποστόλων, pro Πατέρων, nomine; quamq; nuper commemoratę Conciliorum græco-latinæ editiones exhibent quidem, ſed in margine duntaxat, non autem in ipſo Synodi corpore, ea inquam à Græcis ſuæ Apoſtolicorum canonum farragini faventibus efficta, & excogitata videtur; quorum nos fraudibus non tenemur, & in veteri Latina verſione, publiciſque Conciliorum codicibus libentes conquieſcimus.

Cyrilli vero nomen, qui in Epheſina

Synodo præfuit, fruſtra quoque hic miſcet Turrianus *a*. *Cyrillus* (inquit) 10. homilia ἑορταστικῇ, *celebrationem Paſcha, ut nunc celebrat Eccleſia, ſecundum traditionem Apoſtolicam fieri dicit*. Ille vero in illa quidem decima homilia, nihil hujuſmodi dicit, neque aliud de feſto Paſchæ habet, quam hęc *b* (quę quam ſint ab iſtis Turrianicis aliena, omnes vident) ἐπὶ τούτοις ἅπασι λαμπρὰν οὕτως ἐπιτελοῦμεν τὴν ἑορτήν, *Ob hæc omnia merito feſtivitatis tam inſignis ſolennia celebramus, non nobis ipſis adhuc viventes, ut habetur in ſacris litteris, ſed ei à quo omnes redempti ſumus, Chriſto*. Tum etiamſi *Paſcha ſecundum traditionem Apoſtolicam fieri* diceret Cyrillus; quid hoc ad Clementinam Canonum collectionem? Certe eorum verborum non alius eſſet, vel eſſe poſſet ſenſus, niſi hic unus, *tradidiſſe* ſcilicet *Apoſtolos, id quod Chriſtiani celebrant, Paſchæ feſtum*. Id vero *tradere* Apoſtoli annon aliter vel alibi potuerunt, quam in Clementino codice? Quot vero, quamque multæ ſunt pro *Apoſtolicis* habitæ traditiones, quarum nulla extat in iſtis fictitiis Canonibus mentio? Etiam tradidiſſe Apoſtoli dicuntur, quæcunque Chriſtianis viva voce obſervanda mandarunt, etiamſi nulla de iis littera, vel in Clementino,

a *Turr. c. 21. p. 69. recta.*

b *Hom. 10. Paſch. T. 5. Cyr. parte a. p. 140. e.*

tino, vel in ullo alio codice ſcripta ſit.

Ex quinto ſæculo præter hos, de quibus diximus teſtes citat Turrianus *a* Patres Chalcedonenſes *b*, & Leonem, qui ad a. D. 451. pertinent. Ex Chalcedonenſi Concilio refert παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς id eſt (Dionyſio interprete) *præter Eccleſiaſtica ſtatuta* facere eos Epiſcopos, qui Principum authoritate interpoſita ſedibus ſuis metropoleων honorem quærebant. Turrianus hariolatur illa *ſtatuta Eccleſiaſtica* eſſe ſuorum Apoſtolorum canones 30um. & 34um. Ego quod iſte nullo argumento pronuntiat, pari facilitate rejicio. *Statuta Eccleſiaſtica* quid ſint, nemo neſcit. An illa Eccleſiæ ſtatuta ex canonibus Clementinis habuerint Patres ex eorum verbis non liquet, & fruſtra vaticinatur Turrianus; cum illi Clementini Canones apud omnem antiquitatem ſint inauditi. Balſamo *c* quidem ad hunc Chalcedonenſem canonem adire nos jubet, non Apoſtolicos, ſed Nicænos Conſtantinopolitanoſque canones; id eſt canones primæ Synodi ſextum, ſeptimumque, & ſecundæ ſecundum. Sed & ad Apoſtolorum ſuorum canonem 40. trahit Turrianus *d* ejuſdem ſynodi Chalcedonenſis canonem 22. quo vetatur, ne Clerici in res mortui Epiſcopi involent; quia ſcilicet eadem quoque ille alter decernit. Ego ad ſynodi

a *Turr. c.* 14. *p.* 40.
b *Chalc. c.* 2.
c *In c.* 12. *Chalced.*
d *Turr. p.* 40.

nodi Antiochenæ canonem 24. referendum ajo, quem Turrianus ipſe fatetur, paria præcipere. Ratio manifeſta eſt; quod iſtius quidem Turrianici Apoſtolorum codicis nulla neque in Chalcedonenſi Synodo, neque in ſuperioribus retro monumentis ulla extat mentio; Antiochenæ regulæ & omnibus notiſſimæ erant, & ſunt ab ipſis Chalcedonenſibus Patribus diſertiſſime, neque ſemel ex codice Eccleſiæ univerſalis citatæ *a*. Neq; valet, quod objicit Turrianus, τὺς πάλαι κανόνας *antiquos canones* eos à Chalcedonenſibus dici, à quibus id, quod ipſi ſtatuunt, decretum erat. Quę enim, quæſo, invidia erat canones Synodi ante 110. annos Antiochiæ habitæ τὺς πάλαι veteres, ſive antiquos dici?

a *Act.*4. & 11.

Neque firmiora ſunt, quæ Turrianus *b* ex Leone pro Clementinis canonibus objicit; quale illud eſt, quod Leo *ſine dubio* ait *ex Apoſtolica traditione deſcendere* eam Eccleſiæ conſuetudinem, qua presbyteri, & diaconi, criminis alicujus rei citra impoſitionem manuum, privata ſeorſim peracta pœnitentia Deo reconciliarentur. Id Turrianus ad canonem ſuorum Apoſtolorum 22. refert; Fruſtra. Nam Leo ipſe rationem, cur id ſentiat, *ex Apoſtolica traditione deſcendere*, ediſſerens, non illum Clementini codicis canonem 22. adfert, quod & de-

b *Turr. c.* 21 *p.* 66. *verſ.*

& decebat, & facillimum erat, ſi eo reſpexiſſet; ſed locum quemdam è divinis ſcripturis, hunc nimirum a, *Sacerdos, ſi peccaverit, quis orabit pro eo?* Verba Leonis ſunt; *quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt;* Sacerdos, ſi peccaverit, quis orabit pro eo? *Unde hujuſmodi lapſis ad promerendum miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Hæc Leo; hunc ab Apoſtolis unum eſſe inde argumentaris, quod divinis litteris eſſet conſentaneus. Quid vero iſtis ambagibus opus fuit, ſi à Clemente, viro Apoſtolico, litteris mandatæ Apoſtolorum voces, in eam rem diſertiſſimæ, ab omnibus in publico Eccleſiæ codice legebantur? Itaque docet allatus Leonis locus, Clementinum codicem nullum illis temporibus potius, quam aliquem extitiſſe.

a 1. Reg. 2.

Alter Leonis locus extat epiſtola prima, in qua præfatus *nos & Apoſtolo docente & divina præceptione didiciſſe, & canonum regulis, qualis unicuique* ſacerdotum & diaconorum *natalium honeſtas, & morum eſſe debeat;* ſubjungit; *Conſtat ad ſacerdotium perveniſſe viduarum maritos, quoſdam etiam, quibus fuerint numeroſa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior,*

ad

ad Sacrum ordinem paſſim patefactis aditibus fuiſſe permiſſos, contra illam B. Apoſtoli a *vocem, qua talibus reclamat, dicens*, Unius uxoris virum : *Et contra illud antiquæ legis præceptum* b, *quo dicitur*, & *cavetur*, Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam. Turrianus *c* iſtas *canonum* à Leone tertio loco memoratas *regulas* dejerat eſſe ſuos Clementini codicis canones 17. & 18. Quî pote, inquam? Leo tria proponit diverſa documenta, è quibus diſcimus, qualis eſſe debeat ſacerdotibus & diaconis natalium & morum honeſtas. Ad primum caput Apoſtoli locum refert, ex c. 3. prioris ad Timotheum epiſtolæ : ad ſecundum, deſcriptum è Levitico locum : ad tertium pertinent canones Eccleſiaſtici, quos quia omnibus notos ſciebat, ideo nullos citat, ſed tacite tantum *præſupponit* (ut vulgo loquimur) Ergo *Apoſtolicam doctrinam*, qua primum probationum caput continetur, clare & enucleate à *canonum regulis*, quæ tertium probationum caput complectuntur, diſtinguit, perperam, ac ſtulte, ut quivis videt, ſi & canonum regulæ Apoſtolica doctrina ſunt. Nam ſi ita eſt, quod in iſtis regulis diſcimus, *Apoſtolo docente* diſcimus. Ergo ſi ſapit Turrianus, deliravit Leo. Sed cui uterque

a 1. *Tim.* 3.

b *Levitici* 21.

c *Turr. c.* 21. *p.* 81. *recta.*

terque notus fuerit, illum potius deſipuiſſe cenſebit; qui tamen, qua eſt pectoris fœcunditate, hanc fuiſſe Leonis mentem (quæ ſi fuit, Leo deliraverit) ita probare inſtituit, *Leo* (inquit *a*) *alibi rem eandem agens, ſcribit eos, qui ſecundas nuptias inierunt, vel viduarum ſe conjugio ſociarunt, nec Apoſtolicam, neq; legalem authoritatem ſacerdotium obtinere præcipere.* Quam hic (inquit Turrianus) *Apoſtolicã authoritatem* dicit, in loco ſuperiori *regulas canonum* dixerat. Hoc quidem jubet Turrianus. Nos, quia nulla ratione jubet, non aſſentimur. *Apoſtolicam authoritatem* idem eſſe Leoni, quod in ſuperiori loco *Apoſtolum docentem*, & res & oratio, & Leo ipſe loquitur, qui eandem Pauli ſententiam, quam in prima epiſtola laudaverat; hic quoque deſcribit *b* ex priore ad Timotheum epiſtola petitam, & ex ea conficit *c*, neque qui plures uxores, neque qui unam, ſed viduam, duxerit, epiſcopum fieri licere; eodemque, ut ſupra, torquet Leviticum decretum, ut virginem ſacerdos accipiat. Ergo *Apoſtolica*, quæ Leoni dicitur, *authoritas*, ea Pauli eſt in priore ad Timotheum ſententia, ipſo teſte Leone; nihil adeo commune habet cum Clementino canonum codice.

a *Epiſt. 87. ad Epiſc. Afric. c. 1 p. 459. d.*

b *Ibid. p. 457. d.*

c *Ibid. p. 458. A.*

Tertio Leonis iſta *d* deſcribit Turrianus,

d *Ep. 84. c. 2.*

in quibus is *metropolitanos decernit ſecundum ſanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere.* Turrianus ſuos Clementinos canones hic, ut ubique ſomniat; ſtulte quidem ille, & abſque ratione, ut ſolet. Qui enim *mundi reverentia conſecratos* Leo diceret, quos ne uni quidem ex mundo Chriſtiano ante Leonem & ipſius Leonis tempore, cognitos fuiſſe probari poteſt? Hoc elogium Nicænis Canonibus convenit; iiſque à Leone hic tribui nemo, quod reor, ante vatem Turrianum dubitavit. Ipſa Nicænæ Synodi verba ſe à Leone reſpici clamant in 6. canone, quo conſtituuntur metropolitanorum jura, & *privilegia Eccleſiarum* nominantur, quæ hic Leo optime interpretatur *jura tradita antiquitus dignitatis.* Ergo neque in hoc Leonis loco quicquam Clementinis Turriani canonibus vel ſeritur, vel metitur.

a Ibid. c. 7. Ad eandem Nicænam Synodum pertinet quartus locus, in quo Leo ſcribit a, *Sanctos Patres ſalubriter ordinaſſe, ut bini conventus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci adſolent, judicetur.* Diſertus eſt Nicænorum Patrum in

in eam rem & notiſſimus canon quintus *a*. Turrianus mavult de Clementino 37. accipi. Non miror. Sed hic, non quid velit, ſed quid probet, ſpectamus. Hinc autem nullus probat, Clementinum codicem Leoni fuiſſe cognitum; imo ne hoc quidem hactenus demonſtravit, Leonis temporibus extitiſſe illum codicem. Quî ergo nos credere vult, Leonem ex eo codice hæc ſua ſumpſiſſe, quem ne nunc quidem nos docuit Leone vivo, in rerum natura extitiſſe? Sed etſi jam tunc extitiſſet, Leonique cognitus fuiſſet, non ideo tamen crederem, ad eum hoc loco reſpexiſſe Leonem: qui, ſi eum in animo habuiſſet, omnino dicturus erat vel *Apoſtolos*, vel certe *Clementem* id ordinaſſe, quod ipſe decernit. Nunc *Sanctos Patres* cum dicat, verbis eo ſenſu paſſim obviis, clarum eſt non Apoſtolos, ſed Nicænæ Synodi Epiſcopos ſignificari. Nam ut *Sanctos Patres* id *ordinaſſe* dicas, quod *Domini Apoſtolos ordinaſſe* ſignificare vis, non concedit communis Eccleſiæ loquendi uſus; quæ ſolet in re hujuſmodi *Patres* Apoſtolis tacite opponere; ut Patres fere ſemper intelligantur, cæteri, præter Apoſtolos, veteris Eccleſię Chriſtianæ doctores. At (inquit Turrianus *b*) ſunt & Apoſtoli, patres; Fateor; ſed tamen qui *Patres* ſunt

a *Vb. ſupr. p. 82. verſ.*

b *Ibid. p. 83. recta.*

Digitized by Google

Apoſtoli, ſimpliciter *Patres* dici non ſolent; ſed honorificentiori vocabulo, vel *Apoſtoli*, vel, quod addit Turrianus, *Patres Patrum*, diſtinctionis gratia. Non ſunt nauci, quæ idem blaterat, vt ſuos Apoſtolos hic à Leone intelligi vincat. *Non Nicæna* (inquit) *Synodus hoc ipſa primum ordinavit*, ut Concilia bis in anno fierent; *ſed jam olim antiquo canone, id eſt Apoſtolico ſalutariter ordinatum roboravit.* Imo inquam, neque id ullo ante Nicænum decretum canone conſtitutum fuiſſe apparet, neque ſi antiquiori canone decretum fuiſſe conſtaret, ideo conſtaret id decretum antiquius fuiſſe Apoſtolicum; neque denique ſi vel hoc Apoſtolicum fuiſſet, eo fieret, ut Turrianico canonum ſylloge, *Apoſtolica* vel *Clementina* cenſenda eſſet. Nam neque ad Clementinam hanc ſyllogen pertinere ſtatim neceſſe eſt, quæcunque à veteribus habita ſunt pro Apoſtolicis, neque *Apoſtolica* fuiſſe, quæcunque de rebus Eccleſiaſticis ante Synodum Nicænam conſtituta ſunt in Eccleſia; neque, quod primum erat, aliquem de Synodis bis in anno habendis Nicæno anterius decretum feciſſe demonſtratur. Futile enim eſt quod argutatur Turrianus, Nicænos Patres his verbis, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους

Digitized by Google

ἔτους συνόδους γίνεσθαι, *ſignificare non novum eſſe, ſed antiquum hoc decretum.* Iſte vero de more ſuo nobis narrat ſomnia, Nicæni Patres nullum veterem canonem vel nominant, vel innuunt. Tantum ſtatuunt, ut bis in anno provinciales habeantur Synodi; *bene habere viſum eſt*, hoc eſt, *placuit, ut quotannis in ſingulis provinciis bis fiant Synodi.* Et rationem, cur id placuiſſet, dixerant, ut de ſingulorum epiſcoporum latis in ſubditos ſententiis *decenter inquiratur.* Neque alia Patrum Antiochenorum mens, quos huc advocat Turrianus; ἃ καλῶς ἔχειν ἔδοξε (inquiunt *a*) μετὰ πλείονος σκέψεως καὶ ἐπικρίσεως ὁμοῦ πάντων ἡμῶν τῶν ἐπισκόπων, κατὰ τὸ αὐτὸ συγκροτηθέντων ἐπὶ τῆς Ἀντιοχείας ἐκ διαφόρων ἐπαρχῶν, ἐπὶ τὴν ὑμετέραν γνῶσιν ἀνηνέγκαμεν. *Quæ bene habere viſa ſunt, cum majore conſideratione, & dijudicatione noſtrûm Epiſcoporum ſimul omnium Antiochiæ ex diverſis provinciis in unum collectorum, in veſtram notitiam retulimus.* Hactenus illi; ſignificantes ſe, quæ ſibi ſingulis *rectè habere videbantur*, hoc eſt, quæ ſibi ſingulis placebant, ea in commune collecta, diligenterque conſiderata, & accuratiori, quam antea judicio, communicatis inter ſe ſententiis, expenſa, atque examinata, edere ac publicare,

a *In præfat. Syn.*

 his

his ſuis ſcilicet canonibus explicata, ac ſancita. An autem iſta, quæ edunt, ab aliis ante ſe decreta ac conſtituta eſſent, nec ne, non definiunt; non ſignificant; nihil denique in alterutram partem ſtatuunt, vel dicunt. Quamquam, ut hoc obiter dicam, neque plane cum illa Antiochenorum oratione convenit ſuperior Nicænorum ſermo. Hi enim ſimpliciter dicunt, καλῶς ἔχειν ἔδοξε συνόδους γίνεσθαι, quod aliud ſignificare non poteſt, niſi *ſibi placuiſſe bene habere viſum eſſe, ut Synodi fiant*; id eſt ſe decernere, & ex animi ſui ſententia conſtituere, ut Synodi fiant. Antiocheni paulo aliter. Non enim hæc ſimpliciter, ut Nicæni, ajunt, *ſibi bene habere videri*, ut hoc vel illud fiat; ſed aliud præterea verbum addunt, nimirum, ἐπὶ τὴν ὑμετέραν γνῶσιν ἀνηνέγκαμεν, *Quæ nobis præclare habere viſa ſunt, ea in veſtram notitiam retulimus*. Si ſic dixiſſent Nicæni, *Quod bene habere viſum eſt*, id *decernimus*, aut *promulgamus*, fortaſſe haberet aliquid coloris Turrianica gloſſa. Nunc cum ſimpliciter dixerint, καλῶς ἔχειν ἔδοξε συνόδους γίνεσθαι, nulla vel rationis umbra eſt, cur iſta verba aliud ſignificare ſuſpiceris, quam quod diximus, nimirum Patres ex animi ſui ſententia decernere, ac conſtituere, ut Synodi bis fiant. Vt jam ſatis

pateat,

pateat, quam vana ridiculaque ſit Turriani jactantia, negantis licere ullo modo dubitare, quin *Leo ſanctos*, quos ait, *Patres Apoſtolos intelligi voluerit*.

Hactenus Turrianicas pro Clementinis Canonibus hariolationes verius, quàm argumentationes, excuſſimus; pauculis quibuſdam de quadrageſimæ ritu exceptis, quæ in ſequenti diſputationis parte refellentur opportunius. Atque ex his liquet, in omnibus, quæ extant, priorum quinque Chriſtianiſmi ſæculorum monumentis nullum plane locum occurrere, in quo vel Clementinæ iſtius Canonum (ut appellantur) Apoſtolicorum Sylloges diſerta fiat mentio, vel aliquid contineatur, ex quo validè, ac legitime demonſtrari poſſit, eam jam tum extitiſſe, & illorum temporum Chriſtianis cognitam fuiſſe. Vnde & illud clarum, certumque fit, quod demonſtrandum ſuceperamus, nihil cauſſæ fuiſſe, cur dubitaret Gelaſius, illum *Canonum Apoſtolicorum librum* in apocryphorum cenſum (quod fecit) rejicere atque amandare. Cætera, quæ magno, ſed vano labore Turrianus ex poſterioribus Gelaſii ſæculo temporibus, plurima congerit, mittimus; qualia ſunt quæ ex quiniſexta *a*, ſeptimaque *b*, & octava *b*, imo & Tridentina *b* Synodis deſcribit; item ex

a *Turr. c.* 15.
b *c.* 14. *p.* 45. 46.

Pariſienſi Concilio *a*, & Romano *b* ſub Gregorio VII. & Triburienſi *c*; denique ex Iuſtiniano *d*, Damaſceno *e*, Taraſio *f*, Photio *g*, Bonifacio Moguntino *g*, Nicolao I. Gregorio 9. Leone 4. Ioanne 8. & Nicephoro Multa quidem & in his peccavit; quæ ſi in hominem ſtylum ſtrinxiſſem, arguerem. Nunc cum non proprie in Turrianum, ſed de *Canonibus* illis *Apoſtolicis* diſputemus, nihil neceſſe eſt, ea perſequi, quæ ad hanc, quam agimus, cauſam non pertinent. Iam illa omnia quæ modo memoravimus, cum authorum ſint Gelaſio recentiorum, nullum operæpretium fecerit, qui ea ad Clementinam canonum ſyllogen referenda vel eſſe, vel non eſſe probaverit. Nos enim jam in priori operis parte confeſſi ſumus, ſecutis poſt Gelaſium temporibus Canonum Apoſtolicorum farraginem, & apud Latinos emerſiſſe à Dionyſio publicatam, & apud Græcos in Nomocanonem relatam eſſe, 35. canonibus, quam apud Latinos, auctiorem; deinceps apud Græcos maturius, Trullanæ Synodi authoritate confirmatam fuiſſe; ſed & apud Latinos, licet ſerius, in uſum tamen ac notitiam omnium paulatim tandem veniſſe; quo loco ex his ipſis, quæ Turrianus affert, nonnulla, quantum inſtituto noſtro ſatis eſſe videbatur, nos quoque

a *Ibid. p.* 45. *verſ.* 46. *verſa*
b *c.* 21. *p.* 64.
c *ibid. p.* 69.
d *ibid. p.* 69. *verſa*
e *ibid p.* 71. *recta & verſa.*
f *c.* 23. *p.* 83. *verſ. p.* 84. *recta.*
g *ibid. p.* 84. *verſ.*

que attulimus. Horum vero omnium, utpote recentiorum; ſententia nihil decreto Gelaſii præjudicii afferre poteſt; qui & ipſe judicandi authoritatem, & quidem, ſi adverſariis credimus, ſummam, atque ἀνυπεύθυνον habuit, & fuit ſapientiſſimus, & iſtis univerſis antiquior, neque ſolus ſed ex 70. Patrum in Synodum, cui ipſe præerat, collectorum, ſententiâ ita judicavit.

CAP. XI.

Aſſeritur & conſtituitur Gelaſii de Apoſt. Canon. decretum. Diſputationis ordo proponitur, quæ in partes tres diſtribuitur. I Pars, qua demonſtratur ſyllogen 35. canonum ex 85. poſtremorum, neque Apoſtolorum, neque Clementis, neque vetuſtiſſimorum poſt Apoſtolos Patrum eſſe. I. Arg. ſumptum ex teſtimonio omnium (præter unum Turrianum) Latinorum.

SED ut Gelaſium recte & ex vero, illos alios Gelaſio poſteriores ſive Græcos, ſive Latinos homines, perperam, falſoque, ac inſcite judicaſſe appareat, jam poſtremo, non ex noſtris ſomniis, aut hariolationibus, ſed ex certis, atque evidentibus argumentis demonſtrandum eſt, illam Apoſtolicorum canonum farraginem, quam ille apocrypham hi authenticam eſſe decre-

verunt, revera falſam, ac fictitiam eſſe, neque ab Apoſtolis editam, neque à Clemente, ſapientiſſimo eorum diſcipulo collectam, ſed ab ignoto tenebrione multis poſt Apoſtolorum & Clementis mortem temporibus conſarcinatam, & impudenter Apoſtolis affictam fuiſſe. Ac quoniam non una eſt adverſariorum ſententia; aliis quinquaginta duntaxat, aliis vero 85. canonibus conſtare eam, cui Apoſtolicam authoritatem aſſerunt, collectionem defendentibus; nos primo loco ea explicabimus, quibus triginta quinque poſtremorum canonum refellitur authoritas, quos Turrianus, & pauci ex Latinis una cum omnibus Græcis probant; ſecundo loco prioris quinquaginta canones, quos utraque pars Apoſtolicos eſſe reconciliatis animis affirmant, confutabimus propriis ac peculiaribus argumentis: tertio denique, eoque poſtremo loco ea exſequemur, quæ utramque in commune opinionem ſimul, ac ſemel labefactant, totumque ſive 85. ſive 50. tantum Canonum Apoſtolicorum codicem, nullo diſcrimine pulſant, atque evertunt. Cæterum, quod quibus oſtenditur *Apoſtolicæ* Canonum ſylloges novitas, pleraque eadem ſint cum iis, quæ ſupra ad *Conſtitutionum* authoritatem confodiendam attulimus, nobis

Digitized by Google

nobis in tota hac diſputationis parte brevioribus eſſe licebit; quod plurima eorum, ex quibus ſententia noſtra demonſtratur, jam ante ſatis confirmata, atque explicata fuerint.

I. Ut ergo ab eo, quod primo loco conſtituimus, ordiamur, non fuiſſe vel ab Apoſtolis editam, vel à B. Clemente litteris mandatam, & in unum cum reliquis Apoſtolicis (quos vocant) canonibus corpus relatam horum 35. poſtremorum canonum ſyllogen, teſtantur primo contra Turrianum & Græcos viri ex ipſa Latinorum Eccleſia celeberrimi, tum recentes, tum veteres non pauci: Recentes Bellarminus, ac Baronius, maximæ inter adverſarios dignitatis, ac famæ, Turriano nullo non nomine anteponendi, quorum extant hanc in rem diſertæ ſupra à nobis laudatæ ſententiæ, atque diſputationes ex profeſſo contra Turrianicum errorem ſuſceptæ; eorumque tanto major hac in parte ratio habenda eſt, quod cum poſt Turrianum ſcripſerint, hominis, cui alioqui plurimum favebant, cujuſque *fortiſſimam* pro Canonibus *defenſionem* vocant, opinionem deſerere, etiam poſt lectas & excuſſas eas omnes rationes, quibus ille nititur, & in contrariam partem concedere, vi veritatis victi, coacti

 ſint.

ſint. Sed & eandem fuiſſe veterum Latinorum, quotquot canones Apoſtolorum aliquos admiſerunt, de his poſtremis 35. ſententiam, ex iis, quę nuper diſputavimus, ita clarum certumque eſt, ut ne ipſe quidem Turrianus contra hiſcere poſſit. Nam, ut à noviſſimis incipiam, Romanorum Canoniſtarum, qui his quadringentis proximis retro annis vixerunt, omnis ſchola non plures, quam quinquaginta Apoſtolorum canones agnovit; quique ad hunc numerum adjicerentur, eos Gratiano duce ac authore, conſtantiſſime exploſit, veluti à Leone IX. Romæ Epiſcopo, ex ſua, & antiquorum Patrum authoritate damnatos; ut ex ea ſententia apparet, quam illius Pontificis nomine laudatam & à Gratiano in jus Pontificium relatam, ſupra exhibuimus, diſertiſſime affirmantem, *canones Apoſtolorum (exceptis capitulis quinquaginta) Patres inter apocrypha numerare* a. Idem quoque haud dubie ſenſit is ipſe Humbertus, cujus hæc revera verba ſunt, quę à Gratiano, Leoni IX. velut authentica, & publicam Romanæ Eccleſiæ ſententiam continentia, tribuuntur; ut ſupra diximus. Is autem Humbertus a. D. 1050. floruit, inter principes Eccleſiaſticæ dignitatis viros clarus, Sylvæ candidæ Card. Epiſcopus, tanti

a *d. 16. c. Clementis.*

apud

apud Baronium pretii, ut totam ejus contra Græcos diſputationem ab ipſo ſcriptam, cum Conſtantinopolim ad Imperatorem Orientis miſſus esſet legatus, XI. tomo Annotatis ſubjiciendam in operis Appendice exiſtimaverit. Neque contra hunc valet putidum Turriani effugium, ignotos ei fuiſſe hos, quos ipſe defendit, 35. græcorum canones. Hi enim ipſi (quod ſupra demonſtravimus) ei à Niceta objecti erant: quos tamen rotunde ac ſine ambagibus inter *apocrypha* à Patribus numeratos eſſe reſpondet. Cum autem Humbertus talis, tantuſque vir fuerit, ad hæc Romanæ ſedi in omnibus addictiſſimus, nulli dubium eſſe debet, quin Latinæ totius Eccleſiæ fuerit ea, quam ipſe de Canonibus ſequitur, ſententia. Id ipſum Bellarminus *a* Urbani 2. P. R. teſtimonio, quod ſupra exhibuimus, confirmat, quem ait *dicere Canones Apoſtolorum ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi*. Iam & Iſodorus Mercator, cujus nono ſeculo facta collectio apud Latinos obtinuit, diuque regnavit, idem quoque ſenſiſſe ex eo apertiſſime deprehenditur, quod non plures, quam 50 Apoſtolorum canones memoraverit; cæteros 35. utique non omiſſurus, ſi putaſſet legitimos. Sed quid alios memoro? Antiquiſſimus ipſe, celeberrimuſque juris Eccleſiaſtici apud

a L. *de Script. Eccl. in Clem.*

pud Latinos rhapſodus Dionyſius, ſexti vir ſæculi, quos primus omnium in Eccleſia publicavit Apoſtolorum cananes, eos quinquaginta, non plures, edidit: ut ex ejus etiamnum ſuperſtite codice, conſtat. Ille ergo reliquos 35. (ſiquidem ii jam tum extabant, quod non eſt veriſimile) reprobavit, & à cenſu Apoſtolicorum canonum alienos eſſe judicavit; idque viri judicium, ut cæteros taceam, ſecuti ſunt & Creſconius Afer, qui neque ipſe plures quam quinquaginta Apoſtolorum Canones in ſua Canonum Concordia novit, & Adrianus primus urbis Epiſcopus a. D. 787. qui cum Carolo Magno ad uſum Eccleſiarum Occidentaliũ codicem donavit, in quo hi ipſi Dionyſiaci 50. Apoſtolorum canones, non plures, continebantur, ut ex iis conficitur, quæ Ieſuitarum erudititiſſimus, ac candidiſſimus Sirmondus Notis in Galliæ noſtræ Concilia narrat ad a D. 787 *a*. Quibus Leonem quoque adjungi decet *b*, hujus nominis Romæ Epiſcopum; qui cum codicem, quem deſcriberet, Eccleſiaſticum Dionyſiacum clariſſime intelligat, quos in eo collocat Apoſtolorum canones, non alios profecto quam Dionyſiacos, id eſt quinquaginta, non plures, ſignificaſſe putandus eſt. Denique, ut rem in pauca contraham, ex omnibus Latinis, qui ab a. D. 525. quo facta

a *T. 2. p. 117.*
b *Ep. 2. ad Epipe. Brit. c. 6. T, 3. conc. Gall. p. 73.*

Digitized by Google

ƈa fuiſſe creditur Dionyſiaca collectio, ad Turriani tempora, id eſt ad a. D. 1573. vixerunt, ne unus quidem fuit, qui illos triginta quinque canones Græcanicos, probaverit, & qui authenticam eorum ſyllogen cenſuerit. Si vel unum protulerit Turrianus, non recuſo, quin cauſam vincat. Quo major atque inexcuſabilior cenſenda eſt audaciſſimi hominis temeritas, qui Latinus Latinorum unus omnium, recentiſſimus antiquiſſimorum, monachus Epiſcoporum & Paparum ſententiam deſerere, atque infeſtis ſiquis palam aggredi, atque impugnare non dubitavit; effecturumque, ſe ſperavit, ut quæ jam undecim totis ſæculis apud ſuos ſteterat, ea pro unius Jeſuitæ libidine caderet.

CAPUT XII.

Arg. II. contra Syllogen 35. canonum, ex I. ejuſdem canone ductum. Arg. III. IV. & V. ex can. 9. 12. & 15. ducta explicantur, & à Turrriani ſtrophis vindicantur.

II. SED res ipſæ Latinorum à Turriani furore ſententiam ſatis defendunt, veriorem que eſſe oſtendunt. Nam ipſa 35. canonum ſylloge ſi paulo accuratius interrogetur, reſpondebit ſe neque

que ab Apoſtolis editam, neque a Clemente Romano litteris mandatam fuiſſe.

Primo reclamat, qui in ipſo limine occurrit primus horum triginta quinque (hoc eſt Græcanicorum quinquageſimus primus) canon. εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν ἐπιστρέφοντα ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω, ὅτι λυπεῖ χριστὸν τὸν εἰπόντα, χαρὰ γίνεται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι. *Siquis Epiſcopus, vel presbyter (vel Diaconus) eum, qui à peccatis convertitur, non recipit, ſed ejicit, deponatur, quoniam Chriſtum moleſtiâ afficit, qui dixit*, [a] Gaudium eſt in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem. Cui canoni jungendus quoque eſt ejuſdem ſententiæ ſexageſimus primus, edicens, ut clericus negator, ſi pœnitentiam egerit, recipiatur, ut laïcus. Hunc utrumque merito novum pronunciat Albaſpineus, quod is controverſias dirimat ſequutis poſt Apoſtolos ſæculis natas. *Canon* (inquit [b]) *qui de admittendis ad pœnitentiã lapſis factus eſt, certe ante Cyprianum* (id eſt ante a. D. 250.) *ſancitus eſſe non potuit, cum alius eſſet Eccleſiæ* (antea) *uſus, & illa demum tempeſtate admittendos eſſe lapſos decretum ſit*. Hæc ille vere ſane, ac ſapienter. Primo enim conſtat, idque ab ipſo Albaſpineo

a Luc. 15.

b L. 1. obſerv. c. 13. p. 38. l. 12.

Albaſpineo luculentiſſime demonſtratum eſt, & nuuc apud omnes eruditos receptum, ac confeſſum eſt, quod hic ait Albaſpineus, & nos ſupra fuſius docuimus, olim, hoc eſt ante Tertulliani, & ipſius Cypriani tempora, *alium fuiſſe Eccleſiæ uſum*, quam qui his Canonibus præcipitur. Nam & in ipſa urbe Roma ante Zephyrini decretum, & in Hiſpania etiam diu poſt illa tempora, fuiſſe liquet eum diſciplinæ rigorem, ut lapſis pax & communio negaretur. Sed & poſt admiſſos Zephyrini decreto fornicatores, conſtat tamen ex Tertulliano priſtinam ſeveritatem in idololatras, & homicidas fuiſſe ſervatam, ut ii ab omni ſpe Eccleſiaſticæ reconciliationis excluderentur; & ex Cypriano denique diſcimus, hunc in idololatras rigorem non ante ejus ævum, hoc eſt ante a. D. 254. remiſſum, ac relaxatum fuiſſe; quæ omnia, quod latius in priore hujus operis parte explicata ſint, nihil hic neceſſe eſt diligentius perſequi. Iam vero, quis crediderit, tot ſanctiſſimas Eccleſias, Romanam, Carthaginenſem, Hiſpanicam, alias, hac diſciplinæ ſeveritate uſuras fuiſſe, ut *peccatores converſos non receptura*, ſed (quod fecerunt) *ejectura fuerint*, ſi id ipſum ab Apoſtolis diſertiſſimo canone damnatum fuiſſe

ſe ſciviſſent; hoc certe nemo negare poteſt, Catholicos, cum fornicatores primo, mox & idololatras ad pœnitentiam, indeque ad pacem admitterent, cumque de priori indulgentia à Montaniſtis, de poſteriori à Novatianis pulſarentur, omnino hos Apoſtolorum canones in hac cauſa adhibituros, atque laudaturos inprimis fuiſſe; quibus ſcilicet hæc ipſorum in lapſos levitas contra Montani, & Novatiani inhumanitatem, aperttiſſime conſtituitur. Atqui Catholicos, neque in priori contra Montanum certamine, neque in poſteriori contra Novatianum, canones iſtos uſurpaſſe, vel memoraſſe, conſtat & ex Tertulliani libro de Pudicitia, & ex Cypriani plurimis hac de controverſia ſcriptis opuſculis, maxime vero ex epiſtola ad Antonianum. Sed hæc, quia cum de Conſtitutionibus ageremus, fuſius exſecuti ſumus, nihil neceſſe eſt hoc loco repetere; eadem enim omnino Canonum iſtorum, quæ Conſtitutionum, hac in parte ratio eſt. Hoc tantum obiter moveبo, hinc clariſſime refelli Turriani de Zephyrino Epiſcopo ſomnium; cui ille notiſſimos fuiſſe vult 85. Apoſtolorum canones, & ſub *ſeptuaginta ſententiarum* nomine memoratos, ac commendatos. Nam ſi id verum eſſet, eorum authoritate

Zephyrinus

Zephyrinus ad conſtituendum ſuum illud de mœchis recipiendis decretum uſus eſſet; imo nullum aliud ea de re decretum feciſſet; tantum quod ab Apoſtolis factum, à Clemente ſuo anteceſſore litteris mandatum erat, promulgaſſet ac renovaſſet. Atqui ex Tertulliano conſtat, non modo iſtorum nihil feciſſe Zephyrinum, ſed & inſuper hunc qui ipſi notus fuiſſe fingitur, Apoſtolorum canonem quadamtenus violaſſe: dum idololatras & homicidas ipſe non minus quam Montanus, vel Tertullianus, rejiceret.

III. Sed & canon nonus ſupra quinquageſimum oſtendit hanc ſyllogen poſt Apoſtolorum tempora factam eſſe. Is enim vetat in Eccleſia publicari τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, *falſo inſcriptos impiorum libros*; edita ab hæreticis ſub ementitis Apoſtolorum & diſcipulorum nominibus Euangelia, acta, itineraria & alia ejuſdem farinæ opuſcula clariſſime denotans; quæ nondum ipſis Apoſtolorum temporibus nata, poſtea emerſerunt. Quod enim Binius hæc verba ad eos libros refert, de quibus ψευδοδιαταγεῖς l. 1. Conſt. c. 7. (aliis 6.) id inquam conſiſtere non poteſt. Nam quos ſignificant Διαταγεῖς, ii erant libri Paganorum, τῶν ἐθνικῶν βιβλίων πάντων ἀπέχου (inquit) & quos ſta-

tim memorant *pſeudoprophetas* iidem Ethnicorum vates erant. Quos vero canon vetat libros; ii ſunt hæreticorum; ut apparet, tum ex eo, quod ψευδεπιγράφυς vocat, tum ex eo quod à quibuſdam in Eccleſia publicari eos ſignificat, quorum neutrum Paganorum libris convenit.

IV. Quartò idem demonſtrat allata in 62. canone interdicti ſuffocatorum, & morticinorum eſus ratio; τῦτο γδ (inquit) ὁ νόμος ἀπεῖπεν, *Hoc enim lex prohibuit.* Veri Apoſtoli hujuſmodi rebus veſci Chriſtianos vetuerunt ad vitandum Iudæorum ſcandalum; non ob legis ipſius authoritatem, quam hac in parte à Chriſto Domino abrogatam luculentiſſime paſſim do-
a 1. *Cor.* cent. Tantumque ab eo abeſt Paulus *a*, ut
10. 25. quamquam ob hujuſmodi ſimpliciter eſum
27. vel *deponi* vel *ſegregari* jubeat, (quod inhumanus & vere Iudaïcus canon ſancit) ut ſolo excepto ſcandali caſu, libere quemvis, puraque conſcientia, etiam idolothytis (quorum non minor, quam ſuffocatorum erat religio) veſci poſſe docent. Ergo neque hic Apoſtolicus canon eſt, neque vel Apoſtolica, vel Clementina ea ſylloge, in qua eum inſertum legimus.

V. Sed id ipſum multo etiam clarius evincit, qui paulo poſt ſequitur canon 15. ſupra quinquageſimum; ἔιτις κληρικὸς

ἐυρέθη

εὑρέθη τὴν Κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. *Siquis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare vel ſabbato, præterquam uno ſolo, deponatur; Sin autem laïcus ſegregetur.* Non eſſe hunc canonem Apoſtolicum; ita pugnat Baronius *a*; *Quomodo quæſo* (inquit) *tot tamque* a *a.D.*
diſertos antiquos Patres, qui de jejunio ſab- 102. §.
bati inſtituerunt diſputationem, canon ille 15.
præteriit, ut à nemine citatus reperiatur? Vel quonam pacto obſecro, Romana Eccleſia contra omnium Apoſtolorum canonem ſabbati jejunium ſuſcepiſſet, vel eorum Epiſcopus Clemens, id fieri permiſiſſet, qui quod ſtatuiſſent Apoſtoli, & ipſe ſcripſiſſet, perquam optime ſciret? Vel quomodo ex traditione Petri & Pauli Apoſtolorum Principum, ejuſmodi diei ſabbati jejunii ſibi vendicare eſt ſolita eadem Eccleſia obſervantiam, quam Apoſtolorum canoni penitus adverſari
noſſet? Hactenus Baronius, quocum & Bel- * *De*
larminus *, & Poſſevinus *b*, & Binius *c*, & Pe- *Pont. R. l.2.c.27.*
tavius *d*, & cæteri, ni fallor, omnes, uno ex- b *Appar.*
cepto Turriano, & recentiores & vetuſtiores *verſ.*
Latini conſentiunt. Petavii verba de ſabbati *Clemens.*
jejunio ſupra recitavimus; hunc canonem c *in Not.*
velut ſpurium & alienum diſerte rejicien- *in hunc can.*
tis; negantiſque fieri *potuiſſe, ut is ab A-* d *in Epi-*
poſtolis communi decreto conſtitueretur ex *ph.p.359*

illa, quam Auguſtini eſſe demonſtrat, pręſcriptione, neque *Scripturæ*, *authoritate*, *neque univerſalis Eccleſiæ traditione determinatum eſſe*, ſabbato-ne jejunare deceat, an prandere, *ſed ejus, in qua verſeris Eccleſia, conſuetudini obtemperandum eſſe*. Hæc illi. Sed ut frangatur ſingularis Turriani impudentia, qui ſolus inter ſuos hunc etiam canonem contendit vere eſſe Apoſtolicum, breviter hoc loco repetenda ſunt; quæ de jejuniorum, & dierum certorum natura, atque ingenio, deque ſabbato, & dominico nominatim & ex Apoſtolorum veris libris, & ex veterum monumentis in priori operis parte contra pſeudodiataxes diximus. Primo enim ex Paulo demonſtravimus *de diebus*, nominatim *de ſabbatis* nefas eſſe judicari Chriſtianum. Non eſt ergo iſte Paulus, non eſt Apoſtolorum (qui omnes cum Paulo conſentiebant) quiſquam, qui & clericos & laïcos, id eſt omnes Chriſtianos, *de ſabbato judicat*; Vt illud mittam, quod ex eodem Paulo iſtic quoque attulimus, *nos ſi manducaverimus nequaquam idcirco abundaturos*, hoc eſt nihilo plus conſecuturos, quam ſi abſtinuerimus; quod (ut liquet) recta cum iſto canone pugnat, qui ſabbato vel dominico jejunantem *deponit*, aut *ſegregat*; *manducantem*, Eccleſiæ communione, & gradus

gradus honore frui decernit. Secundo, ibidem ex Tertulliano *a* probavimus, quod *die Dominico jejunare nefas duceretur*, id nulla ſcripta *lege*, *ſolius traditionis titulo*, *& inde conſuetudinis patrocinio* ſtetiſſe; quod liquido falſum eſt, ſi ille ritus facto ab Apoſtolis canone, à Clemente conſcripto ſub graviſſima pœna conſtitutus, ſancituſque erat. Tertio, & illud quoque ex Hieronymo demonſtravimus, conſtare ex Actis & Paulum, & qui cum eo erant, die dominica jejunaſſe. Quis crediderit ſanctiſſimum virum idipſum admiſiſſe, quod & ipſe & cæteri Apoſtoli ſcilicet *depoſitione* in clerico, *ſegregatione* in laïco dignum judicarant? Quarto, ex Auguſtino, Caſſiano, Innocentio & aliis plurimis oſtendimus, omnibus ſabbatis Romæ & paucis aliis Occidentis locis jejunari ſolenne fuiſſe; eumque uſum & Vrbicum quemdam diſputatorem apertiſſime, & Innocentium ipſum haud obſcure neceſſarium exiſtimaſſe. Qui factum, ut homines Catholici tam enormiter ab Apoſtolica lege deſciverint? ut Innocentius Apoſtolicus Apoſtolicum canonem; & quidem à Clemente Romano deſcriptum, ita contumelioſe pulſaverit? Quinto, diximus contra Vrbicum illum ſabbatarium jejunatorem ex profeſſo ſcripſiſſe Auguſtinum,

a *l. de cor. notit. c.* 3.

ac illud jejunium, licet non putaverit neceſſario ſervandum, liberum tamen, & ſi cui libuerit, citra noxam uſurpandum ſiviſſe. Qui factum, ut vir tantus eum innoxium pronuntiet, quem Apoſtoli vel gradu ſuo dejici, vel communione privari juſſerant? Qui factum, ut in tali cauſſa Apoſtolicam hanc ſcilicet regulam, ne ſemel quidem objecerit adverſario, vel omnino memoraverit? Deni-
a Ep. 86. ad Caſulan. que ex eodem Auguſtino *a* recitavimus, *non inveniri definitum præcepto Domini vel Apoſtolorum, quibus diebus non oporteat jejunare*, quo nihil vel ſtultius, vel impudentius dici poteſt, ſi Apoſtolorum vere eſt hic canon, quo diſertiſſime definitur neque ſabbato, neque dominica die jejunandum. Atque ex his patet, Apoſtolicum eſſe non poſſe hunc de ſabbati à jejunio immunitate canonem. Nunc breviter Turriano ſatisfaciamus, qui & ratione & antiquitate & omnibus ſuis invitis Apoſtolicum eſſe pugnat. Primo id probat *c* ex
b Turr. c. 21. p. 96. verſa. libro Conſtitutionum quinto, & ſeptimo. Διαταγέων teſtimonium ſatis ſupra demonſtravimus nullam habere vim; qui & ipſi ſcilicet ſpurii ſunt, & novi, falſique nominis ſcriptores. Secundo Ignatium citat,
c Ep. ad Phil. cujus hæc verba circumferuntur *c*, *εἴτις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει (πλὴν ἑνὸς σαββάτου*

βάτου τοῦ πάσχα) οὗτος χριστοκτόνος ἐστί, *Quicunque Dominicam, aut Sabbatum jejunaverit, (præter unum Sabbatum Paſchæ) ipſe eſt Chriſti interfector.* Nihil hic neceſſe eſt ea perſequi, quæ Petavius, & alii adverſarii ad hanc objectionem ſolvendam afferre ſolent, vana pleraque, & ſola iſtorum ſuſpicione nixa. Breviter reſpondeo hunc Ignatium non magis fide dignum eſſe, quam eos, quorum teſtis adducitur, Apoſtolos. Eſt enim & ipſe ſpurius & fictitius, ac perſonatus Ignatius; ſanctiſſimi Martyris nihil habens præter nudum nomen, quod impoſtor iſtius ad Philippenſes epiſtolæ parens, ad agendam ſuam fabulam impudenter aſſumpſit. Nam nequid jam de cæteris dicam Ignatii nomen præferentibus epiſtolis, quas viri docti veras & genuinas eſſe, ſed fruſtra, ut mihi quidem videtur, contendunt, illam certe quæ ad Philippenſes ſcripta extat, & ea quæ recitavimus verba continet, antiquis Patribus ignotam fuiſſe ex eo ſatis conſtat, quod neque ejus Euſebius, vel Hieronymus, uſpiam meminerunt, qui Ignatii res geſtas & opera diligentiſſime exſequuntur; neque veterum ante ſextum ſæculum, qui Ignatii epiſtolas ſæpe laudant, quiſquam aliquid ex hac citaſſe reperiatur. Ut alia nunc mittam falſimoniæ ex

iis ipſis, quæ epiſtola continet, ducta argumenta (de quibus videat, qui volet Rev. Uſſerium *a*) hoc certe, quod iſte ſcriptor tam, atroci ſententia quaſi Chriſti interfectores, eos percellit, qui vel ſabbato, vel die dominico jejunaverint, hoc inquam unum, etiamſi nihil aliud eſſet, clariſſimis docet, iſtum nihil minus eſſe, quam Ignatium, neque eum veteribus, ut Auguſtino, Innocentio, aliis, pro Ignatio unquam habitum. Sed omnem ſuperat impudentiam, quod Turrianus, non hos modo falſos, & perſonatos ſcriptores, ſed etiam ipſum Auguſtinum ſuo huic Apoſtolico canoni teſtem adducit; *Canonem* (inquit) 64. (aliis 65.) *de non jejunando ſabbato; & dominico, Apoſtolorum eſſe, teſtimonio eſt, non ſolum Ignatius, & Clemens, ſed etiam B. Auguſtinus in Epiſtola, quam ad Caſulanum ſcripſit, contra Urbicum Eccleſias Orientis accuſantem, quæ ſabbato non jejunant.* Hæc ille quæ qua fronte ſcripſerit, vel id ſatis oſtendit, quod à nobis nuper deſcriptum in ipſa illa ad Caſulanum epiſtola profitetur Auguſtinus *ſe quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepta Domini, vel Apoſtolorum, non invenire definitum.* Potuit-ne clarius, vel diſertius teſtari, non eſſe hunc Apoſtolorum, quem Turrianus defen-

a Diſſert. de Ignat. c. 5.

defendit, canonem? Ille quidem, fateor, & Orientis, & alias etiam plurimas Eccleſias, imo omnes (Romana, & paucis aliis exceptis) ſabbatum à jejunio immune ſervantes à ſtultiſſimi Vrbici diſputatoris calumniis defendit; ſed earum morem ab Apoſtolico aliquo decreto fluxiſſe nuſquam dicit; quinimo rem totam liberæ eſſe obſervationis pugnat, varie vel uſurpandam, vel omittendam pro eorum locorum, in quibus degimus, ratione. Atque hoc loco obiter caſtigandus venit Turrianus, qui quod ait Tertullianus de iis, *qui Saturni diem otio & victui decernebant, non Iudaico tamen ritu*, perperam ac inepte de Chriſtianis Orientis accipit die ſabbati non jejunantibus. Totius vero loci genius, ac ſeries oſtendit, Tertullianum non de Chriſtianis, ſed de Paganis quibuſdam intelligere, qui & ipſi, licet à Judaiſmo alieni, ſabbata nihilo ſecius religioſe colebant. *Æque* (inquit a) *ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus alia longe ratione, quam religione ſolis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi ab Iudaico more, quem ignorant*. Eos enim de quibus hæc dicit, non fuiſſe Chriſtianos liquet; plane ut Perſas, quos proxime ſuperioribus verbis memoraverat; *Alii* (inquit; *plane humanius*

a *Apol.c.* 16.

manius, & veriſimilius Solem credunt Deum noſtrum. Ad Perſas ſi forte deputabimur, licet ſolem non in linteo depictum adoremus, habentes ipſum utique in ſuo clypeo, id eſt in ipſo illo orbe, è quo nobis lucet. Sed, ut ad ſabbati à jejunio immunitatem redeamus, Turrianus nequicquam conatus eam Apoſtolico canone decretam aſſerere, poſtremo ad id reſpondet, quod & Baronius, & nos ſupra objecimus; ſcilicet contempti Chriſti, violatæque Apoſtolorum authoritatis manifeſtam eſſe Romam, quæ ſabbatis jejunat, ſi id ab Apoſtolis vere interdictum fuit. *Hanc* (inquit) *conſuetudinem ſabbato non jejunandi Apoſtoli non in commune cunctis fidelibus tradiderunt, ſed Eccleſiis Orientis, non ſolum propter Simonianos inde ortos, qui mundum, à cujus creatione ſabbato Deus requievit, opus ejus eſſe negabant, ſed quod jam per ſpiritum præcognoſcerent, futuros quoque eſſe in illis locis hæreticos alios Manichæos, Euſtathianos, Marcioniſtas, Lampetianos, & Meſſalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt; hos enim ſcribit Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha, ſolitos ſecundum dogma ſuum ſabbato, & die Dominico jejunare*. Sed hæc mera ſunt Turriani commenta, ex cauſſæ ſtudio conficta. Primo enim ipſe Canonis author neque

que hic, neque uſquam alibi prodit hanc fuiſſe inſtitutæ ſabbati à jejunio immunitatis rationem. Secundo, neque quiſquam veterum, (qui multi illius ritus meminerunt) aliquid hujuſmodi de eo tradidiſſe reperitur. Et Diatageis ipſi non alio hoc ſabbati privilegium referunt, quam ad creationis memoriam, ut unam errandi occaſionem habuiſſe videantur Moſaicum de ſabbato feriando præceptum quod cum in Decalogo extare viderent, moralis legis breviario, id quoque ad nos pertinere putaverint. Itaque ſabbato, non ſolum non jejunare, ſed etiam otiari præceperunt. Tertio, ſunt ex veteribus, ut urbicus apud Auguſtinum diſputator, & omnes in genere Romani apud Caſſianum, qui diſerte teſtentur, Apoſtolos nihili feciſſe hanc à Turriano allatam hujus decreti rationem. Ii enim ajebant Petrum, cum ipſo illo Simone, cujus hæreſim Turrianus ſomniat fuiſſe interdicti ſabbatarii jejunii occaſionem; Petrum, inquam, ajebant cum illo Apoſtata certaturum, jejunium in ipſum illum diem & in præſens indixiſſe; & in poſterum ut idem ſervaretur, inſtituiſſe; nedum, ut ob Simonem (quod gratis fingit Turrianus) refugiendum ſabbati jejunium putaverit. Quarto; quamcunque ſtatuas hujus præcepti occaſionem, ipſum

ipſum quidem præceptum à Canonum, & Conſtitutionum authoribus omnibus omnino Christianis poni, & quidem gravi pœna ſancitum, patet. Quod enim ſolis Orientalibus datum vaticinatur Turrianus, id unde quæſo habet? Nullum hujus diſtinctionis vel in Canonibus, vel in Conſtitutionibus apparet veſtigium. Omnia in diverſum eunt. Nam Conſtitutiones (quarum canones Turrianus partem eſſe vult) ad omnes omnino Chriſtianos è Gentibus vocatos diriguntur; *Apoſtoli & presbyteri* (inquiunt *a*) *omnibus, qui è gentibus in Dominum Ieſum crediditis, gratia vobis & pax ab omnipotente Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in agnitione ejus multiplicetur.* Iis canones iſti figunt quos alloquuntur; Omnes de gentibus fideles alloquuntur, Ergo & omnibus fidelibus canones iſtos figunt; adeoque & Romanis, niſi forte ſomniet Turrianus ſolos in Oriente fideles fuiſſe; Romæ & in Occidente nullos fuiſſe fideles, vel nullos ſaltem è Gentibus converſos. Sed & canonum author perorans omnibus Epiſcopis, adeoque & Occidentalibus, ſua decreta commendat; *Hæc vero de regulis* (inquit) *conſtituta ſint vobis per nos, ô Epiſcopi. Vos autem obtemperantes, ſaluabimini & pacem habebitis.* Iſte Romę antiſtitem,

a L. 1. c. 1. init.

tiſtitem, vel Epiſcopum non cenſuit, vel ſi cenſuit, ſuis certe canonibus æque ac cæteros, ſubjecit. Denique nulla ratio eſt, cum cæteri omnes canones omnibus Chriſtianis poſiti ſint, cur hic unus ad ſolos Orientales pertineat; qui una cum cæteris, eodem ordine, eadem ratione, nullo omnino diſcrimine, poſitus legitur. Quod ſi Occidentales ejus jugum à ſe excogitatis neſcio quibus ratiunculis, impune amoliri fas eſt, licebit & Orientalibus, vel Auſtralibus, aut Borealibus Chriſtianis aliorum canonum obſequium, ex cauſſis eadem ratione, eodemque jure excogitatis detrectare. Imo ſolvetur ac ruet omnis omnium divinarum, humanarumque legum authoritas, ſi ſemel admittantur hujuſmodi cavillationes: ut in cauſſas præcipientis inquirant ſubditi, neque ad ſe legem, quantumvis generalem, pertinere putent, niſi & quam commenti ſunt ejus cauſſam, ea ad ſe pertineat. Itaque ſi vere (quod vult Turrianus) *Apoſtolorum* eſt hic canon, cauſa dici non poteſt, cur quæ quod hic decernit, tot jam ſæcula contemnit, ac violat Roma, non gradu, ac communione Eccleſiaſtica excidiſſe, planeque ab Apoſtolicis Chriſtianis aliena & eſſe, & fuiſſe jam olim cenſeatur. Non poteſt minori mercede Turrianus ſuorum

canonum

canonum authoritatem conſtituere. Quod optime viderunt Baronius, & Petavius, qui cum ſimili hujus effugio ad Ignatianam Philippenſibus ſolis ſcriptam epiſtolam (quanquam & hic quoque, temere, ac
*Vid. Uſſer. diſſer. de Ign. c. 13. p. 92. 93. 94.
fruſtra *) uſi ſunt, non ſunt auſi in Apoſtolicum canonem, omnibus, ut liquet, Chriſtianis poſitum idem moliri; omiſſaque frigida cavillatione rotunde, quod res eſt, confeſſi ſunt, nimirum falſum eſſe, & falſo Apoſtolis affictum hunc canonem; ejus adeo authoritate minime teneri Romam. Poſtremo, ut hunc locum concludam, etiamſi id Turriano, quod gratis, ac præter omnem rationem poſtulat, donaverimus; nimirum eam fuiſſe ſuorum Legiſlatorum mentem, ut in iis duntaxat locis vigeret hic eorum canon, in quibus hæretici eſſent qui mundum hunc à vero & ſummo Deo conditum negarent, ne ſic quidem Romam liberaverit. Conſtat enim in ea ipſa urbe & Simonem, & Marcionem, & Manichæos ab eo commemoratos, venena ſua ſparſiſſe ſedeſq; & domicilia quæſiviſſe atq; habuiſſe; omniaque fere tetra, ac ſordida eo confluxiſſe, ut ne hoc quidem cauſſificari poſſit Turrianus, quominus Romam ſuam turpiter in Apoſtolos rebellaſſe fateatur; ſi hic quidem Apoſtolorum eſt, qui ab ea tot jam ſæcula ſecure violatur,

tur,

tur, ac conculcatur canon. Quod cum ne ipſi quidem Græci de antiquioribus Romanis dicturi ſint, neceſſario denique fatendum eſt, quorumvis potius eſſe, quam Apoſtolorum, Turrianicum illum canonem: Sed exploſa, ac confutata Turriani cavillatione, ſupereſt, ut paucis Bellarmini conjecturam *a* refellamus; qui falſatum à Græcis poſterioribus hunc canonem hariolatur, *inſerto ſabbati nomine*, cum initio ſolius diei dominicæ jejunium hoc decreto prohiberetur. Concederem, ſi extaret aliquis vel inter Græcos, vel inter ipſos Latinos codex, in quo hujus diverſitatis aliqua vel umbra cerneretur. Nunc cum omnes & ſcripti & excuſi libri ſummo conſenſu ſabbati æque ac dominici nomen præferant; cum idem omnes Conſtitutionum codices exhibeant; cum Humbertus idem jam a. D. 1050. in hoc ſibi à Niceta totidem, quot nunc legitur verbis objecto canone fuiſſe teſtetur, neque de lectione conqueratur; aut Græcos inſimulet; cum Trullani *b* Patres a. D. 569. de Latinis expoſtulent *ſabbato* jejunantibus παρὰ τὴν παραδοθεῖσαν ἐκκλησιαστικὴν ἀκολουθίαν, *præter traditam Eccleſiaſticam conſequentiam*, quod non poteſt alio, quam ad hunc canonem, ſimilemque Apoſtolicam διάταξιν referri; cum denique Latino-

a *l. 2. de bon. oper. in partic. c. 18.*

b *c. 55.*

Latinorum ante hæc tempora nemo Græcis de vitiata hujus canonis lectione litem intenderit; nemo recentiorum aliam, quam hanc ipſam Græcorum, nemoraverit, apparet ſabbati vocabulum jam inde à principio in hoc canone ſcriptum fuiſſe, neque unquam aliter lectum fuiſſe quam nunc legitur; & hanc Bellarmino conjecturam de uno cauſæ ſtudio, cui plurimum indulget, in mentem veniſſe; cujus licentiæ exemplum ſi cæteri inmitentur, ut nobis quod in veterum monumentis non placet, id velut à Græcis, Latiniſve additum, expungere nulla codicum authoritate, nullaque ratione allata, liceat; nemo non videt, actum eſſe de omni veterum librorum fide. Atque hæc de 65, canone ſatis.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Arg. VI. contra 35. canones, ex iis quæ de quadrageſima & jejuniis decernit canon 18. Turriani objecta & gloſſæ refelluntur. Aperitur inſignis ejus hallucinatio de Pſychicis, & Tertulliano. Arg. VII. VIII. IX. X. ex canonibus 21. 22. 30. 34. ducta. Immanis canonis hujus 34. abſurditas, & par in ea defendenda Turriani impudentia. Concluditur diſputationis prima pars, quæ inſtituta erat contra 35. canones poſtremos.

VI. IAM neque fieri poteſt, ut Apoſtolorum fuerit, qui in proximo ſequitur, decimus octavus ſupra quinquageſimum canon. ἔιτις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ πάσχα, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, οὐ νηστεύοι, καθαιρέισθω, ἐκτὸς ἐι μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο, ἐι δὲ λαϊκὸς ἔιη, ἀφοριζέσθω, *Siquis Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor; ſanctam Paſchæ quadrageſimam non jejunat, vel quartum diem, vel paraſceven (præterquam ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur) deponatur; ſi ſit autem laïcus, ſegregetur.* Hic certe canon Apoſtolorum inquam eſſe non poteſt; qui

quadrageſimæ, quartæque & ſextæ feriæ jejunia ſub graviſſima pœna præcipit, quæ veri Apoſtoli neque præceperunt unquam, neque vero pręcepiſſe à veteribus plerisque Patribus crediti ſunt; quod utrumque, quia in ſuperioribus clariſſime tum ex vera ac indubitata Apoſtolorum doctrina, tum ex certis veterum monumentis demonſtratum ſit, nihil hic repetere neceſſe eſt. Quædam tantum in Turrianum, quæ iſtic omiſimus, ſunt obſervanda; quale illud eſt inprimis, quod *Pſychicos* à Tertulliano oppugnatos vir minime malus *noſtros* fuiſſe ait a; *ſuum* adeo fuiſſe hac in parte fatetur Pſychicorum oppugnatorem Tertullianum. Nos vero, ô bone, *Pſychicorum* iſtorum non pudet, neque ſane Tertullianum, qua adverſus eos pugnat, tibi, ac tuis invidemus. Nam quod tu quidem tantus antiquitatis helluo, neſciiſti, omnes vero etiam hodie pueri ſciunt, & Pſychici illi, quos tu nobis relinquis, ii veri illius ævi *Catholici* fuerunt, & quem tu adoptas Tertullianum, is hac in parte hæreticus Montaniſta fuit. Itaque per te quidem & Catholici nos ſumus; & tui Romani Montaniſtæ in hac cauſa ſunt; quod certe veriſſimum eſt, idque à te, quamvis inſcio ac imprudente, præter animi tui ſententiam dictum, nos libentes accipimus.

a c. 3. p. 9. *verſa.* Veſtri illi Pſychici.

Digitized by Google

accipimus. Quod ſi, ut tu vis, canon ille quem defendis, Tertullianicum dogma decrevit, Pſychicorum ſententiam damnavit; negare profecto non potes, quin ab ipſis Apoſtolis alienus ſit; niſi in canonum tuorum gratiam Chriſti Domini Apoſtolos & Montaniſtas fuiſſe affirmes, & Catholicos fuiſſe neges. Secundo. Quod idem Turrianus *a* ait Hieronymum dicere, *nos quadrageſimam ſecundum Apoſtolorum traditionem jejunare*, in eo obſervandum eſt, iſtum & lectoribus imponere, neque quæſtionem concludere. Non enim, quod iſte fingit, ſimpliciter ait Hieronymus *b*, *nos ſecundum Apoſtolorum traditionem quadrageſimam jejunare*; ſed *unam quadrageſimam. Nos* (inquit) *unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus*; *Illi* (nimirum Montaniſtæ) *tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores.* Non hoc vult, quod putat Turrianus, inſtitutum fuiſſe, & lato canone decretum ab Apoſtolis, ut quadrageſimam Chriſtiani celebrent (quod quam falſum ſit, & non modo à veritate, ſed & ab omnium fere veterum ſententia alienum, & alias fuſe proprio opere, & ſupra nuper, ſatis demonſtravimus) ſed vult, quod unam tantum ſui temporis

a *c, 21. p. 68. verſa.*

b *Ep. ad Marcellam adv. Mont. T. 2. Hier. fol. 36. L.*

poris Chriſtiani in anno quadrageſimam obſervabant, id *Apoſtolorum traditioni* congruere, qui ſcilicet unum tantum Salvatorem pro nobis ſemel paſſum tradant; ab iis Montaniſtarum inſtitutum, qui tres quotannis quadrageſimas faciebant, diſcedere, atque alienum eſſe: quod ſcilicet non tres, ſed unum tantum ſalvatorem ex Apoſtolorum libris paſſum eſſe conſtet. Sed iſta & alia ejuſdem generis nihil nunc quidem neceſſe eſt operoſius explicare. Eſto enim, quod fruſtra contendit Turrianus, Hieronymus, & pauci ſi forte alii veteres quadrageſimam ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe crediderint. Non ideo ſequitur, & hoc quoque eos ſenſiſſe, hunc, quem nunc obtrudit Turrianus, de quadrageſima canonem, ab Apoſtolis editum, à Clemente ſcriptum fuiſſe; cujus neque apud illos, neque apud alios veteres, ulla omnino fit mentio. Quidni potius ſenſiſſe eos dixero, non hoc, vel ullo alio ſcripto canone, ſed viva tantum voce traditam fuiſſe ab Apoſtolis quadrageſimam? Contra vero hunc antiquitati ignotum fuiſſe canonem recte ex eo concluditur, quod & vetuſtiſſimi quadrageſimam minime obſervaverint, tribus prioribus Chriſtianiſmi ſæculis, & qui ſæculorum ſequentium Patres plurimi *quadrageſimam*, licet ſuo ævo uſitatam, ab

ab Apoſtolis tamen inſtitutam negaverint; neque enim horum alterum cum illo canone conſiſtere poteſt. Utrumque autem ſupra ſatis confirmatum eſt. In jejunio vero quartæ feriæ, cujus hic canon eandem eſſe religionem decernit, omnes vident, ab ejus authoritate jamdudum aperte deſciviſſe Romanam ipſam Eccleſiam; quæ facto hoc ſuo palam negat, Apoſtolicum eſſe hoc decretum: quod ſcilicet Apoſtolicum cenſere non poteſt, niſi ſe fateatur non Apoſtolicam; qua de re etiam ſupra, quantum ſatis eſt, ſuo loco ad Conſtitutiones diximus; & frigidam Binii & aliorum exceptionem, confutavimus, qui quartæ feriæ jejunium in ſabbatum tranſlatum eſſe cavillantur.

VII. Ad canones redeo; in quorum 71. quod decernitur, *Segregandum, ſiquis vel clericus, vel laicus ceram, vel oleum à ſancta Eccleſia abſtulerit*: ab Apoſtolicis quoque temporibus abhorret. Neque enim ex omni novi fœderis inſtrumento apparet, aliud in Eccleſia oleum beato illo ſæculo floruiſſe, vel in pretio fuiſſe, præter illud Spiritus ſancti myſticum, quo Deus Chriſtum, & ex eo homines cæleſtis gratiæ conſortes perfundit, atque inungit; vel alias ceras, quam quæ igne ſacro, ac ſpirituali incenſæ tene-

bras hujus ſæculi ſanctorum exemplorum radiis illuminant.

a Can. 72. VIII. Ejuſdem eſt farinæ, quod mox in ſequenti canone in eos decernitur *a*, qui *vas aureum, vel argenteum, vel velum ſantificatum, in ſuum uſum converterint*. Vel hæc loquuntur, iſtos canones ſecutis ſæculis fuiſſe conditos; cum & ædes ſacras, & pretioſam ſupellectilem & reliquam pompam Chriſtianorum copiæ in uſum apud nos invexiſſent. Apoſtolorum ævo tanta erat noſtrorum ſimplicitas, atque parſimonia, & frugalitas, adhæc tenuitas, tantæque à perſecutorum odiis ac furore anguſtiæ, ut iſtis indulgere non licuerit. Certe, quod jam ſupra me dixiſſe memini, ne ædes quidem ſacras in illis initiis habuiſſe Chriſtianos veriſimile eſt; nedum ut velis, aureiſque & argenteis vaſis inſtructas habuiſſe eos crediderim.

IX. Æque abhorret à temporibus Apoſtolorum, quod canone 80. ſtatuitur, ὅτι ού χρὴ ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν ἐις δημοσίας διοικήσεις, *non oportere Epiſcopum vel presbyterium ſe ipſum ad publicas adminiſtrationes demittere*; & quod mox ejuſdem ingenii canone 82. ſubjicitur, ut deponatur Epiſcopus, presbyter, & diaconus ςρατέιᾳ σχολάζων, καὶ βυλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρ-

χὴν

χῶν, καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, exercitui vacans, & utraq; obtinere volens, Romanum ſcilicet magiſtratum, & ſacerdotalem adminiſtrationem. Quaſi vero Apoſtolis verendum fuerit, ne Chriſtiani, quos Pagani vix aëre & luce communi frui patiebantur, nedum ut eos ad publicas dignitates admitterent, ſacerdotium una cum Romano magiſtratu obtinere vellent! Quis non videt hæc ſecutis ſæculis decreta, cum immutatis Principum, & populorum animis, Chriſtianis hominibus & Eccleſiæ, & reipublicæ munera, ac dignitates paterent?

X. Supereſt Canon de ſcripturis 84. ex quo alii duos faciunt, his verbis expreſſus; *Sint vobis omnibus Clericis & laicis libri venerandi & ſancti; Veteris quidem teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Ieſu Nave unus. Iudicum unus. Ruth unus. Regnorum IV. Paralipomenon, id eſt derelictorum libri dierum, duo.* ἐσθὴρ ἓν, *Heſter unus. Maccabæorum tres. Iob unus. Pſalterium unus. Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum. Prophetarum XII. unus. Eſaiæ unus. Ieremiæ unus. Ezechiel unus. Daniel unus. Extrinſecus autem à vobis intelligatur, debere veſtros adoleſcentes diſcere Sapientiam eruditiſſimi Sirach. Noſtra autem, id eſt,*

novi Teſtamenti Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Pauli epiſtolæ quatuordecim. Petri, epiſtolæ duæ. Ioannis, tres. Iacobi, una. Iudæ, una. Clementis Epiſtolæ duæ, & Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris editæ (quæ non ſunt omnibus divulgandæ, propter ea, quæ ſunt in eis myſtica) & Actus noſtri Apoſtolorum. Ille vero canon clara voce clamat ſe nihil minus eſſe, quam Apoſtolicum, dum & in ſacrum veteris Teſtamenti canonem tria Maccabaica volumina, & in novi, Conſtitutionum (ut appellat) Clementinarum libros octo, & alia præter verum, & communem, conſtantemque, qua veteris, qua recentis Eccleſiæ conſenſum, refert. Ac primum quidem, quod Maccabæorum priores duos libros canonicis accenſet, eo, fatente ipſo Turriano *a*, Euſebii, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii Iconienſis, ſed & (quod res ipſa demonſtrat) Cyrilli Hieroſolymitani *b*, Epiphanii *c*, Ioannis Damaſceni *d*, Hilarii *e*, Philaſtrii *f*, Ruffini *g*, Hieronymi *h*, & aliorum ſententiam pulſat, qui totam Maccabæorum ſcripturam vel tacite vel etiam diſerte in apocryphorum numero cenſent. Ergo neceſſe eſt, omnes iſtos veterum ſæculorum homines hunc canonem

vel

a c. 11. p. 29. verſ. extr. 30.
b *cathec. 4.*
c *hær. 8. hær. 76. de menſur. & pond.*
d *l. 4. Orth. fid. c. 18.*
e *præfat. in pſ.*
f *Hær. Apocryph.*
g *expoſit. Symb.*
h *ep. 103. ep. 7. prol. galeato, & prologo in libros Salom. ad Chrom. & Heliod.*

vel omnino neſciviſſe, vel certe non Apoſtolicum, ſed ſpurium; ac fictitium cenſuiſſe. Quis enim credat viros ſapientia & pietate inſignes, quod ab Apoſtolis Domini definitum ſciviſſent, id relicturos fuiſſe, & in diverſa ituros? Secundo, non ab horum modo, ſed & ab omnium omnino Eccleſiaſticorum hominum ſententia abhorret, quod canon præter duo priora (quæ nonnulli admiſerunt) etiam tertium Maccabaicum volumen, quod nemo in divinorum librorum catalogum retulit, pro canonico habendum decernit. Quo loco ſeſe prodit immanis Turriani impudentia; qui contra omnium ſæculorum fidem, contra utriuſque Eccleſiæ veteris, recentiſque, Grecæ, & Romanæ, denique contra ipſam Tridentinæ Synodi authoritatem homo confidentiſſimus hanc iſtius Canonis de Maccabaico tertio volumine ſententiam tueri ac propugnare audet;& ad objectam tot tantorumque teſtium nubem reſpondet, *fieri potuiſſe, ut hic liber à principio quidem canonicus fuerit, dubitatum tamen aliquando de eo ſit, idque in cauſa fuiſſe, & adhuc fortaſſis eſſe, cur inter libros canonicos non numeretur; nam & aliquando dubitatum fuiſſe, utrum Apocalypſis eſſet Ioannis, ac proinde canonicus liber; cum tamen à principio canonicus liber, & ſui* a c. 11. p. 28. verſ.

 authoris,

authoris, id eſt Apoſtoli Ioannis fuiſſet. Sed nihil inter iſta ſimile. Nam de apocalypſi ita aliquando à nonnullis dubitatum eſt, ut fuerint ſemper alii, & quidem complures qui librum Ioannis eſſe confiterentur; ut ex Euſebio *, & aliis patet. Hunc Maccabaicum tertium ex omni Chriſtianiſmi memoria, qui in canonem ſacrum retulerit, nemo præter ſtramineos iſtos Apoſtolos, & Turrianum eorum præconem, repertus eſt. Quod enim Euſebium, & Theodoretum, in ſuas patres trahit Turrianus, id pro ſolita audacia, atque væſania facit. Nimirum quod uterque hiſtorias quaſdam in eo libro contineri dixerit, id homo amens ſic accipit, quaſi librum in θεοπνεύςων canone cenſuiſſent. Itaque ex hujus Theologi novis decretis, hiſtoriarum ſcriptores quiſquis citat, pro divinis habet: & hoc judice Livium, Joſephum, Philonem, Herodotum, Varronem, Sanchoniatonem, & alios innumerabiles ſæcularis vel eruditionis vel antiquitatis authores pro canonicis & divinis ſcriptoribus habuerunt quotquot Patres eorum authoritate in libris ſuis uſi ſunt, Origenes, Tertullianus, Auguſtinus, aliique pæne omnes. Secundo hoc inter duo iſta, quæ homo ſapientiſſimus inter ſe comparat, diſcriminis intercedit, quod

* *l. 4. c. 24. 26. l. 7. c. 23. Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 12. Athanaſ. Synopſi. Epiph. hær. 51. & 76.*

quod de divina Apocalypſeos authoritate nullum veteres in Apoſtolorum veris ac geminis (ſi Turriano credimus) canonibus decretum inveniebant; Maccabaicum tertium diſertiſſime in canonem ſacrum relatum legebant, ut mirandum non ſit, quod de priore nonnulli dubitaverint; de poſteriori non modo mirabile, ſed plane incredibile ſit, quemquam dubitaſſe, ſiquidem hic in Eccleſia Turrianicus canon extabat. Atqui de illo tertio Maccabaico volumine, non modo unus aliquis, quod dixi; non modo aliquot, ut de Apocalypſi, dubitarunt; omnis de eo Eccleſia dubitavit; imo ne dubitavit quidem, ſed ex ſacris divinorum librorum ſcriniis, quo id Turrianicorum Apoſtolorum temeritas magno ſacrilegio intulerat, dereptum in apocryphorum cenſu conſtantiſſime ſemper aut repoſuit, aut reliquit. Itaque neceſſario confitendum eſt, omni antiquæ Eccleſiæ hos Turriani Apoſtolos plane ignotos fuiſſe; quos ſi cognoviſſet, proque veris Apoſtolis habuiſſet, nunquam eorum de Scripturarum canone ſententiam ita aperte abjeciſſet, ac oppugnaſſet. Tertio. Sed & hunc falſo Apoſtolis affictum eſſe canonem inde clariſſime elucet, quod Clementinas Conſtitutiones in divinorum librorum cenſu, per intolerabilem impudentiam

am, collocat; quæ cum novæ ſint, neque ante quartum ſæculum conſarcinatæ, adhæc fictitiæ, & erroribus omne genus ſcatentes, ut ſuperiori diſputatione invictis argumentis demonſtratum eſt, fieri profecto non poteſt, ut vel Apoſtolis cognitæ, vel divinitus traditæ ac inſpiratæ fuerint. Quo accedit conſtans, ac luculentum totius Eccleſiæ teſtimonium, quæ octo illos Διατάξεων libros in Scripturarum canonem, neque olim reperit, neque nunc admittit. Quinimo ne ſuis quidem Græcis hic canon perſuadere potuit, ut eas tali loco, ac numero haberent, ut ex ipſa Trullana Synodo patet; quæ cum Canones authenticos eſſe decernat, Conſtitutionum tamen librum ad ſequiora & apocrypha amandat. Quo ſatis produnt boni illi Trullani Patres, quam vertiginoſus eſſet is, quo ducebantur, ſpiritus, qui eas conſtitutiones rejiciendas putant, quarum ſummam divinamque authoritatem Canones illi ſanciunt, quos ipſi veluti vera, atque authentica Apoſtolorum decreta, amplecti ſe ac venerari ibidem profitentur. Quid eſt ex uno eodemque ore, & frigidum, & calidum flare, ſi hoc non eſt. Sed non eſt hæc una Trullanę Synodi contradictio. Ergo cum omnis Eccleſia hoc Conſtitutionum Clementinarum opus extra Scripturarum

rum divinarum cenſum hactenus habuerit; quod in eo diſerte numerat Turrianicus canon; omnino neceſſe vel non eſſe hunc Apoſtolicum, vel certe nullam ad hæc tempora in terris fuiſſe Chriſtianorum Eccleſiam Apoſtolicam; exceptis ſi forte unis Æthiopibus, qui & hos ipſi libros cum Turrianico canone divinis novi fœderis Scripturis æquiparare atque accenſere feruntur. Quarto. Illud etiam & ab Apoſtolica veritate, & à totius Eccleſiæ fide palam abhorret, quod in eodem canone duæ Clementis epiſtolæ in eodem Scripturarum divini fœderis catalogo recenſentur: quas pro ſacris & θεοπνεύςοις neque vetus neque recentior unquam Eccleſia agnovit. Ac priorem quidem veteris magni faciebant; ut ex Euſebio, & Hieronymo diſcimus; non ſic tamen, ut ab ullo unquam Patre in canone divinorum librorum collocata ſit. Poſteriorem vero, quam & ipſam Apoſtoli ſcilicet, canonicam eſſe decernunt, veteres non modo Scripturis non accenſuerunt, ſed & ſpuriam, fictitiamque eſſe judicarunt *a*, & ipſo Clementis nomine indignam; nedum ut divinitus inſpiratam, cum iſtis Turrianicis, ſane hac in parte mirificis, planeque peregrinis & inuſitatis legiſlatoribus, putaverint. Quinto. Id etiam hujus canonis falſitatem abunde coarguit, quod Scripturarum

a *Euſeb. l. 3. c. 32. Hier. in Catal. in Clem.*

rum

rum noſtrarum catalogum texens, neq; Eſdram in veteri Teſtamento collocat, neque Apocalypſin Græcorum quorundam, qui de ea olim dubitarunt, errorem, ut liquet, ſecutus in novo memorat. Neque valet eorum exceptio, qui reſpondent, ideo omiſſam à canone Apocalypſin, quod, quo tempore ſcriptus eſt à Clemente canon, nondum eſſet edita. Nam Apocalypſin à Ioanne ante Euangelium ſcriptam eſſe, *plurimi, graviſſimique authores teſtantur*, inquit Bellarminus *a*, hanc ipſam iſtorum reſponſionem refellens. At in iſto Canone Ioannis Euangelium nominatim memoratur. Ergo quo tempore canon ſcriptus eſt, jam ſcriptam, editamque fuiſse à Ioanne Apocalypſin neceſse eſt. Itaque qui eam licet extantem, in Scripturarum noſtrarum cenſu omittit, is profecto nullus Apoſtolorum eſſe potuit; quos quæ vere divinæ ſint Scripturæ minime omnium latuit. Sexto. Romanam quidem Eccleſiam jamdudum hunc canonem Apoſtolicum neſcire, præter ſuperiora, id etiam docet, quod & librum Syrachidis, quem canon diſerte ἐν τοῖς ἔξωθεν, in exoticis, ſive iis quæ extra ſcripturas ſunt, cenſet, & libros Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, quos idem canon indictos prętermittit, ipſa jampridem pro canonicis habet; ut patet ex Innocentii *b*, Gelaſiiq; *c* decretis,

a *l. 1. de verbo Dei c. 20. §. Deinde in iſto.*

b *Ep. ad Exuper.*

c *in Syn. Rom.*

decretis, & noviſſimo Tridentinæ Synodi *a* canone *a*. Ergo vel Apoſtolica non eſt Eccleſia Romana, vel Turriano (ſi hoc abominatur) confitendum eſt, non eſſe Apoſtolicum, quem hactenus defendit canonem. Septimo. Hinc etiam liquet omni antiquitati ignotum, adeoque neque Apoſtolicum eſſe hunc canonem, quod eum neque Euſebius *b*, qui ab aliquot Patribus, ut à Melitone Sardenſi & ab Origene traditos divinæ ſcripturæ canones exhibet, neque Athanaſius, neque Hieronymus, neque (ut uno verbo dicam) quiſquam alius veterum memoraſſe deprehenditur, tot, tamque multis ac illuſtribus locis, quibus ſive de univerſæ ſcripturæ libris, ſive de hujus, aut illius ſigillatim authoritate quæritur. Quis enim tales viros talibus locis & cauſſis hunc, ſi notum habuiſſent, Apoſtolicumque cenſuiſſent, canonem prætermiſſuros crediderit, qui ſiquis hujus generis tum fuiſſet, ſolus obtinere, ſolus in tota hac de libris ſacris controverſia normæ, regulæque certiſſimę vicem obtinere debuerat, ut nullum extra eos, quos commemorat libros, divinum haberi, nullum ex iis, quos recenſet, non divinum haberi, nefas eſſet. Octavo denique, pugnant quædam eorum, quæ continet canon, cum Turriani hypotheſibus.

a Seſs. 4.

b l. 4. c. 27. l. 6. c. 25. Hiſt.

Digitized by Google

ſibus. Hic enim (quod ſupra diximus) ſtatuit Apoſtolos Hieroſolymis congregatos ſtatim poſt factum de legalium ceſſatione decretum, id eſt a. D. 45. præclaros iſtos 85. canones conſtituiſſe, atque edidiſſe, à Clemente poſtea conſcribendos. At in hoc ipſo ultimo eorum canone memorat & actus ſuos, id eſt Apoſtolorum, & omnes Pauli Petrique & Jacobi Epiſtolas, & quatuor Euangelia, quorum omnium vix credibile eſt quicquam adhuc eo anno (D. 45,) ſcriptum fuiſſe. Sed ut de cæteris taceam, Euangelium certe Joannis quinquaginta fere annis poſt illud tempus conſcriptum, editumque ſupremis ipſius Joannis temporibus, cum præter eum nemo Apoſtolorum ſupereſſet, conſtans eſt & ab antiquiſſimis temporibus ad nos uſque ducta fama. Quo ergo pudore inducuntur Apoſtoli opus poſt quinquaginta demum annos naſciturum, in canonem Eccleſiæ referentes? Profecto non modo Apoſtolos non fuiſſe, qui iſta ita decreverunt, neceſſe eſt; ſed & inſuper valde bardum, ac craſſum fuiſſe eum, qui Apoſtolos cum ſimulandos asſumpſiſſet, ne eos quidem facere potuerit ad rerum, ac temporum, quæ ſimulat, rationem loquentes. Atque harum quidem rationum tanta, tamque evidens vis eſt,

eſt, ut præter unum Turrianum, cujus invicta eſt, & inexſuperabilis pertinacia, cæteri omnes adverſarii hunc canonem totum apocryphum & ſurreptitium eſſe confiteantur, & iis fere argumentis, quæ nos attulimus, probent Bellarminus *a*, Binius *b*, Baronius *c*, alii *d*. Baronii diſputationem exempli & ſpeciminis cauſa deſcribere ſatis erit; *Quod ad noviſſimum* (inquit) *illum canonem ſpectat, quo libri canonici recenſentur; Ecquis unquam antiquorum Latinorum, atque Græcorum adnumerare inter canonicos libros præſumpſiſſet Apocalypſin, quam ſciſſet in Apoſtolorum canone prætermiſſam, qui vel ſaltem cauſam aliquam ejuſmodi ſilentii non adduxiſſet? Certe quidem ſancto Hieronymo authore ſuperius demonſtratum eſt, à Latinis omnibus & antiquioribus Græcis æque fuiſſe receptam? Vel quid eſt, quod cum de his frequens inter Patres oborta ſit controverſia, nemo penitus reperiatur, qui ejuſmodi Apoſtolorum canonis vel ſaltem obiter meminerit?* Tum illam exceptionem, de Apocalypſi nondum, quo tempore conditus eſt canon, cognita, futilem & inanem tergiverſationem vocat, eamque eadem, qua nos ſupra uſi ex Bellarmino ſumus; ratione refellit; moxque hæc ſubjicit; *Quod item* (inquit) *ad eundem*

a *l.* 1. *de v. D. c.* 20.
b *in c. Ap.* 84. *T.* I. *Conc. p.* 23.
c *a. D.* 102. §. 15. & 16.
d *Lindan. Panopl. l.* 3. *c.* 3.

ſpurium canonem ſpectat, taceo in præſentiarum dicere de ſacris libris veteris Teſtamenti, ut Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, qui omnes in eo canone omittuntur. Cæterum quis æquo animo ferat, ut eodem canone inter canonicos libros octo libri Conſtitutionum Clementis, & duæ ejus epiſtolæ recenſitæ habeantur? Quis unquam tam Græcorum, quam Latinorum Scriptorum, aut quænam ex ſacris Synodis, tam in Oriente, quam in Occidente antiquitus celebratis, quæ texuerunt catalogum canonicorum librorum, inter eos adnumeravit Conſtitutiones Clementis? Noverunt eas quidem, & complures eaſdem ſunt venerati (id quatenus verum ſit, nos ſupra oſtendimus) ſed nequaquam ejus æſtimationis eſſe quiſquam illorum putavit, ut inter canonicas eas Scripturas adnumeraret. Præteriiſſent-ne ſi Apoſtolorum hoc monuiſſet authoritas, & Clementis univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi chirographum conſignaſſet? At qui nomine ſextæ Synodi fertur canon, (quod noſceretur, magni eſſe periculi omnes canones illos 85. æque probari) ſic ſe illos probare * dicit, ut tamen inter libros Canonicos non recipiendas tradat Conſtitutiones Clementis, quod ab hæreticis fuerint adulteratæ. Hactenus de ultimo canone Baronius; idemque

* imo ſimpliciter probat. ſtatimque libros Conſtitutionum rejicit.

que, ut diximus, de eo ſentit, qui numeratur 65. Cæteros, *quod eos Eccleſia probaſſe* (ut quidem affirmat) *noſcatur*, valere quidem & authenticos eſſe cenſet; ſic tamen, ut conſtare neget, an ſint Apoſtolici; quod in aliis antiquitatis monumentis ita poſita reperiantur, quæ ab iis decernuntur, ut in dubium æque revocari poſſit, illa-ne ex his canonibus accepta fuerint, an contra, in eos aliunde tranſlata. Cum ergo tam multa in illis 35. canonibus habeantur, vel ab ævo, vel à diſciplina, vel à fide Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum aliena, concluſum eſto eam, quæ à Græcis, Turrianoque eorum diſcipulo, nobis obtruditur, horum ſyllogen falſam, ſpuriamque eſſe; neque ab Apoſtolis conditam, in Eccleſia promulgatam, neque à Clemente Romano conſcriptam ac digeſtam.

CAP. XIV.

Altera pars diſputationis contra 50. priores Apoſtolicæ ſylloges canones. Demonſtratur, eos quoque falſos, atque apocryphos eſſe. I. arg. ex Iſidori Hiſpalenſis & aliorum Latinorum veterum, & Hincmari nominatim teſtimonio. Arg. II. ex canone de Epiſcopis. Arg. III. ex canone 4. Arg. IV. ex 3. can. de incenſo.

CONTRA Turrrianum & Græcos hactenus pro Latinis pugnavimus. Nunc major ſurgit certaminis moles contra recentiores Latinos, Græcoſque, pro Gelaſio, & Synodo Romana. Illi enim omnes conjunctis in unum viribus, Apoſtolorum eſſe defendunt, quem Gelaſius apocryphum pronunciavit quinquaginta Apoſtolicorum canonum codicem. Nobis præter ipſam rerum veritatem, ac lucem, quę una ſatis eſſe poterat, in hoc certamine adſunt, manuſque amicas conſociant, primo *plurimi illi,* ſexti ineuntis ſæculi homines, quos ipſe Dionyſius ingenue fatetur ſuis iſtis quinquaginta canonibus *conſenſũ non præbuiſſe facilem*; tum ex proximo ſæculo Hiſpalenſis epiſcopus Iſidorus *a*, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, qui, quod in ſuperioribus demonſtratum eſt, hos ipſos canones negat *ab Apoſtolica ſede receptos*; negat

a *Epiſt. ad Steph. epiſc.*

negat *à Sanctis Patribus probatos*; aſt *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos*, adeoque *à canonica, atque Apoſtolica authoritate remotos, & inter Apocrypha deputatos.* Ad hunc talem, tantumque virum accedunt *illi quamplurimi*, quos Greſconiani codicis laudata à Baronio, eademque Vigorienſis libri ab Uſſerio memorata præfatio narrat his ipſis canonibus *conſenſum non præbuiſſe facilem.* Accedit poſtremo & Hincmarus celeberrimus noni ſæculi jam vergentis præſul, cujus illa ſunt *a* ſupra à nobis deſcripta; hos canones *non credi ab Apoſtolis eſſe conſcriptos; quædam in iis eſſe non ſervanda*; eos duntaxat *ad inſtructionem, & propter vulgatam famam ſeorſum ante Concilia in Canonum libris poni*; cæterum ſic legendos, *ut ſequamur cautelam à Gelaſio* de apocryphis *præmonitam, Cum hæc ad catholicorum manus advenerint, B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia, qua dicit*, Omnia probate; quod bonum eſt, retinete.

a *l.* 55. *capit. c.* 24. *p.* 473.

II. Horum ergo, quam ſequimur, ſententiam, allatis certiſſimis rerum ipſarum argumentis, firmemus, ac conſtituamus. Principio, quod in ipſo ſtatim collectionis limine occurrit *b*, ut *epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur*, id inquam ab Apoſtolicis temporibus alienum eſt; quibus

b *c.* 1.

bus ex Paulo conſtat *à presbyteris ſolitas imponi manus*. Quod autem Binius *a* in illo Pauli loco, *presbyterum* vult *intelligi trium, aut plurium Epiſcoporum cœtum, in quo unus, metropolitanus nimirum, ordinat, reliqui duo, aut plures ordinanti aſſiſtunt, ſimulque cum eo ſuper caput ordinandi manus imponunt*, eo inquam, ſplendide nobis illudit, omnem vocabulorum vim ac ſenſum pro ſua libidine ad cauſam, quam agit, contorquens, atq; commutans. Nam *presbyterium*, quod ait Paulus, omnes vident *presbyterorum* eſſe cœtum. *Presbyteri* vocem ita nude poſitam *epiſcoporum*, qui nunc dicuntur, cœtum cum ſuo metropolitano collectum ſignificare, Binianum eſt ſomnium, apud homines hactenus inauditum. Scio, qui ſunt Paulo *presbyteri*, eoſdem ipſi quoque *Epiſcopos* eſſe, ac dici, & viciſſim. An vero Paulino ipſo tempore, iſtorum miniſtrorum, qui nullo diſcrimine *presbyteri epiſcopique* dicebantur, duo diverſi, ut vel nunc apud adverſarios, vel ut olim apud tertii ſæculi Chriſtianos, eſſent gradus atque ordines re ipſa, conſeſſu, authoritate, atque ordinatione inter ſe diſtincti, atque diviſi, ait quidem, ut intelligo, Binius; ſed non probat, neque ſane unquam probabit. Nos de re ipſa nunc dicere ſuperſedemus. Hoc unum dicimus, ipſam

a *ad hunc Can.*

ipſam iſtius, qui hunc canonem ſcripſit, orationem prodere, non fuiſſe eum Apoſtolum. *Epiſcopus* (inquit *a*) *à duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur.* Tum continenter; a *c.* 2.
Presbyter (inquit) *ab uno Epiſcopo ordinetur, & diaconus, & reliqui clerici.* Nemo non videt hunc velle, Epiſcopos ab Epiſcopis, non autem à presbyteris ordinari; presbyteros contra non à presbyteris ſed ab epiſcopis; & quidem hoc diſcrimine, ut *presbiterum* ab uno Epiſcopo, Epiſcopum non niſi à pluribus Epiſcopis, ordinari liceat. Atqui pugnat, etiam fatente Binio, totum hoc orationis genus cum Apoſtolici ſermonis uſu. Nam ſi (quod Binius concedit, quodque certiſſimum ac veriſſimum eſt) in Apoſtolico ſermone *presbyteri* & *epiſcopi* vocabula pro duobus illis miniſtrorum, quos iſti fingunt jam tum extitiſſe, ordinibus nullo diſcrimine ſumebantur, ut *presbyterum* qui diceret, tam primi, id eſt ſummi, quam ſecundi ordinis hominem ſignificaret; & viciſſim, qui *Epiſcopum* nominaret, non minus ſecundi atque inferioris, quam primi ordinis miniſtrum deſignaret; nemo non videt nihil ineptius aut ſtultius dici poſſe, quam quod ait noſter Canoniſta. *Epiſcopus* (inquit) *à duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur.* Hęc verba ex conceſſo at-

que indubitato Apoſtolici ſermonis uſu, tam ſignificant ſecundi ordinis miniſtrum, quem nunc ſolum, *presbyterum* vocant, à duobus aut tribus *epiſcopis ordinari* debere, quam primi ordinis miniſtrum, qui & ipſe *epiſcopus* nunc ſolus dicitur. Item tam ſignificant hæc verba debere iſtum, de quo loquuntur, à duobus, tribuſve ſecundi ordinis ordinari, quam à duobus, tribuſve primi. Sed & illa quæ ſequuntur, *ut presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur*, ex Apoſtolico itidem ſtilo, primi æque ac ſecundi ordinis miniſtros à primi æque ac ſecundi ordinis miniſtro uno ordinari debere ſignificant. Hac vero oratione, quid vel animo fingi poſſit ſtultius, perturbatius, ac inſulſius, equidem non video; quæ nullum ſcilicet proprium, ac genuinum ſenſum habet; omnia de quibus loquitur, in incerto, atque ambiguo relinquit; nihil veri ac certi definit. Plane ac ſiquis nunc canones hos duos his verbis apud adverſarios fingeret; *Eccleſiæ miniſter ordinetur ab Eccleſiæ miniſtris duobus, aut tribus*; *Eccleſiæ vero miniſter ab uno Eccleſiæ miniſtro ordinetur*; quibus, ut omnes vident, nihil poteſt dici putidius. Cum ergo nihil Apoſtoli, niſi ſapientiſſime, divineque locuti ſint; cumque hęc oratio verbis, ex quibus contexitur, ſenſu, quo ea uſurpare ſolebant

ſolebant Apoſtoli, ſumptis, plane delira, & quovis etiam mediocri ingenio indigna ſit; omnino neceſſe eſt, velit nolit Binius, fateri, hunc utrumque canonem, quomodo hic legitur, Apoſtolicum non eſſe. Nimirum res clamat, eum iis temporibus fuiſſe conditum, ac conſcriptum, quibus *presbyteri*, & *epiſcopi* vocabula inter ſe diſtinguebantur, ſuamque alterum ab altero diviſam ſignificationem in vulgari Eccleſiæ uſu habebat. Hunc vero iſtorum vocabulorum proprium ac diviſum uſum Apoſtolicæ Eccleſiæ tempori minime convenire vel ipſe agnoſcit Binius. Non ſunt ergo hi canones Apoſtolico tempore conditi; nedum ut ab ipſis Apoſtolis editi ac promulgati fuerint. Idemque etiam oſtendunt illi clerici quos præter *epiſcopos*, *presbyteros* & *Diaconos* memorat ſecundus canon. Apoſtolis enim non alios legimus cognitos fuiſſe clericos, quam *epiſcopos*, ſive *presbyteros* & Diaconos.

III. Neque cum Apoſtolorum vel dogmate, ævo congruit, quod quarto canone jubentur fructuum primitiæ Epiſcopo & clericis ſolvi, & in eorum ædes comportari. Id enim ad legem Moſaïcam cæremonialem pertinet; quam veri Apoſtoli Dominica morte abrogatam docent; nedum

ut aliquam ejus partem à fidelibus obſervari præcipiant.

a c.3.extr. (Dion. 4.) IV. Sed & ab Apoſtolis alienum eſt quod hic noſter Canoniſta *a* paulo ante ſignificaverit, ſuo tempore offerri ſolitum in Eccleſia *θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς*, *incenſum tempore ſanctæ oblationis.* Atqui ne Tertulliani quidem ævo (hoc eſt anno poſt Apoſtolos minimum centeſimo) uſitatum apud Chriſtianos thymiama fuit in religionis ſacris. Teſtis ipſe, quo loco noſtros purgat à Paganorum criminatione, qui *eos infructuoſos eſſe in negotiis* dictitabant. b Apol.c. 42. *Thura plane* (inquit *b*.) *non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Clare fatetur, nullum apud ſuos, niſi ad mortuos funerandos, uſum aromatum hujuſmodi fuiſſe. Quod ſi & in ſacra thuris, vel odorifieri aliquid expenſum fuiſſet, id ad placandos Sabæos non minus profecto memoraſſet, quam quod ad ſepeliendos mortuos erogabatur.

Cap.

CAP. XV.

Arg. V. ex can. 7. de Paſchate cum Iudæis non celebrando. Arg. VI. ex can 8. de Clericis non communicantibus. Arg. VII. ex can. 9. de fidelibus poſt oblationem non communicantibus. Refelluntur Bellarmini & Binii cavillationes.

V. IAM ex canone ſeptimo *a* res multo etiam clarior eſt: εἴτις ἐπίσκοπος (inquit) ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω. *Siquis Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus ſanctum Paſchæ diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebraverit, abjiciatur, ſive deponatur.* Si fabuloſis niti vellem, objicerem (quod eſt ab Epiphanio traditum) plane contra ſtatuiſſe Apoſtolos, uti cum Judæis paſcha celebraretur. Sed ut fatear quod res eſt, neutrum Apoſtolos decreviſſe reor. Eo certe prodeſt iſta fabulatorum inter ſe diverſitas, ut neutros verum dixiſſe appareat. Nos ſupra abunde demonſtravimus, nunquam hoc, quod præcipit hic canon, decreviſſe veros Chriſti Apoſtolos, nunquam hoc ab Apoſtolis decretum crediſiſſe, vel ſciviſſe veterem Eccleſiam; quippe quæ id ipſum, quod hic ſub

a *Dion.* 8.

ſub depoſitionis pœna vetatur, diu in multis, iiſque ſanctiſſimis parœciis, imo diœceſibus Aſiæ, Orientis, & Syriarum ſervavit. Idemque ex eo etiam docuimus, quod qui aliter Paſcha celebrant, nunquam eos hunc canonem in hac cauſſa protuliſſe, vel leviter commemoraſſe, vel quicquam ea de re à Clemente ſcriptum laudaſſe, legimus. Quæ quoniam fuſiſſime exſecuti ſumus, nihil neceſſe eſt in iis immorari, neque item Turriani *a* vaniſſimam ad hæc, & impudentiſſimam vitilitigationem perſequi, ac refellere; cujus omnia fundamenta ſatis ſuperque ſunt à nobis in illa ſuperiori diſputatione ſubverſa. Addam tantum iis, quæ iſtic dicta ſunt, inſigne unius recentioris Ieſuitæ *b* teſtimonium; diſertiſſime confitentis præter Ioannem & Aſianos, *ipſum etiam Petrum Antiochiæ Paſcha obſervaſſe Luna XIV. & Euodium item ejus ſucceſſorem, & Ignatium, & Heronem, clariſſimos martyres; omneſque alios Epiſcopos iſtorum ſucceſſores, uſque ad Nicænum Concilium per annos circiter trecentos.* Ad id vero, quod contra ex epiſtola Ignatii ad Philippenſes objicitur, à ſanctiſſimo martyre pronuntiari κοινωνὸν τῶν ἀποκτεινάντων τὸν Κύριον καὶ τοὺς Ἀποστόλους αὐτοῦ, *eorum qui Chriſtum & Apoſtolos interfecerunt, communicatorem, ſi quis cum Judæis Paſcha*

a *c.7.p. 19. verſ.*

b *Petr. Halloix. illuſtr. Eccl. Orient. ſcript. T. 2. Notat. ad c. 2. 11. vitæ S. Irenæi & T. 1. in vita Ignat. c. 22. 26.*

Paſcha egerit, aut ſolennia dierum feſtorum eorum ſuſceperit; ad id, inquam, Jeſuita iſte reſpondet his verbis ab Ignatio damnari, non qui Luna 14. eodem, quo Iudæi die paſcha celebrant; *ſed qui in eadem menſa cum Iudæis Judaïce agnum edebant, aut ejus partes ad ſe miſſas manducabant* Hæc ille: inepte quidem, ac inſcite, ut pluribus eſt à R. Uſſerio demonſtratum *a*; ſed tamen ita, ut ſatis oſtendat, quam ſtultum ſit & inverecundum id opinari, quod defendit Turrrianus; nimirum vel Apoſtolos, vel Ignatium, vel Clementem, vel quemquam denique ſanctiſſimorum virorum, qui eo tempore vixerunt, nefas putaſſe paſcha eadem cum Judæis die, id eſt Luna 14. celebrare; *Sane perabſurdum eſſet* (inquit Ieſuita) *tam graviter denotare id quod tam multi ſancti viri ea ipſa in ætate qua hoc proferebat Ignatius (atque inter alios ipſe S. Polycarpus) factitabant. Neutiquam profecto iſtud fecit mitiſſimus Ignatius; neutiquam fecit: imo ne cogitavit, ne ſomniavit quidem*. Si hoc, ut ille veriſsime aſſeverat, non fecit Ignatius; certe neque fecerunt, qui Ignatio haudquaquam inclementiores erant Apoſtoli. Quid ergo eſt? Nimirum, qui ita atrociter in quartadecimanos Paſchæ celebratores detonant, ut eos vel gradu Eccleſiaſti-

a Diſſert. ad Ignat. c. 14. p. 98. & ſeqq.

co dejiciant, vel ad Iudæorum communionem ablegent, ii inquam, neque Apoſtoli ſunt, neque Ignatius; ſed impoſtores poſt Nicænam demum Synodum viventes, qui quod fere apud omnes Chriſtianos ſuo ſæculo obſervari in Paſchæ celebratione videbant, ſemel ſublata per illius Synodi authoritatem priſtina ritus diverſitate, id inquam & Apoſtolis & Ignatio, ut alia paſſim non pauca, non minus ſtulte, quam impudenter more ſuo affinxerunt.

VI. Jam octavum, nonumque canones Romana certe Eccleſia quos abrogavit, Apoſtolicos non eſſe eo ipſo confeſſa eſt. Quis enim eam, quod ab Apoſtolis Domini præceptum, ſancitumque eſſe putaret, neglecturam, violaturamque fuiſſe crediderit? Ac de octavo quidem canone, quo *clerici qui facta oblatione non communicaverint, niſi cauſam rationabilem dixerint, communione privantur*, præter ipſam hodiernam Romanorum praxin, diſerte fatetur Binius a; *Totum hoc decretum* (inquit) *non divino, ſed humano jure conſtitutum, jam contraria conſuetudine eſt abrogatum.*

a in c. 8. Ap. Dion. 9.

VII. De nono vero, qui Dionyſio decimus, multo etiam manifeſtior res eſt. Canon ſic habet, interprete Dionyſio; *Omnes*

Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeverant in Oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari. Hoc quam accurate in Eccleſia Romana obſervetur, nemo non videt; in qua ſacram Euchariſtiam non alius plerumque ſumit, niſi qui confecit. Fideles presbyterum ſacra facientem ſpectare, ſatis habent. Quod ait Bellarminus *a*, jam ipſis *Ambroſii, Chryſoſtomique temporibus*, id eſt 4. ſæculo exeunte, *Græcos non niſi poſt annum communicare ſolitos*; id, inquam, ſi verum eſt (quod nunc non diſcutio) confirmat, Græcam illorum temporum Eccleſiam hos canones vel neſciviſſe penitus, vel eos certe pro Apoſtolicis nequaquam habuiſſe; quam ſcilicet incredibile eſt tam ſecure violaturam fuiſſe ſiquid ab Apoſtolis, & quidem ſub graviſſima pœna decretum, ſancitumque putaſſet. Iam quod Binius & Bellarminus & alii cavillantur, octavum canonem jubere, ut clerici communicent, non quidem ſemper, quoties ſacræ interſunt ſynaxi, ſed *ſolennibus* tantum *diebus, quibus ſacrificanti in miſſa ſolenniter miniſtrant, & altari aſſiſtunt*; id inquam, merum iſtorum commentum eſt, quod cum diſertiſſimis canonis

a l. 3. de Miſs. c. 10. §. Reſpondeo primum.

canonis verbis recta pugnat. *Siquis Epiſcopus* (inquit) *aut presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut cauſam dicat*, &c. *aut communione privetur*. Nihil de *diebus ſolennibus*; nihil de *altaris miniſterio*. In genere quiſquis ex ſacro ordine Synaxi interfuerit, neque communicaverit, *cauſam dicere* jubet; ſi probabilem non dixerit, communione privari. Nihil fictitius Anacletus Binium contra clara diſertaque canonis verba juvat, ut ſi hoc Apoſtolorum decretum eſt, negari non poſſit, quin & excommunicationis rei ſint omnes hodierni Romanarum partium epiſcopi, presbyteri, aut diaconi, & ipſa Eccleſia Romana, quæ hunc tantum Apoſtolicæ authoritatis contemptum fert & probat, *Apoſtolicæ* nomine indigna cenſeatur. Non ſunt meliora quæ de canone 9. (Dion 10) ſubjicit Binius. *Duplex* (inquit) *eſt expoſitio hujus canonis. Prima eſt Concilii Antiocheni capite* 2. *non excommunicari vel damnari eos, qui ſimpliciter & abſolute, extra legitima & conſtituta certa tempora non communicant; ſed eos duntaxat, qui certa de cauſa, nimirum ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem, Scripturas quidem audiunt, ſacram autem communionem averſantur.*

verſentur. Quid iſtis facias, qui quaſi cum ſtipitibus, aut cæcis ſurdiſque ac mutis animalibus agunt, omnia pro libidine immutant, ac pervertunt, noſque vetant ipſa illa ſentire, quæ & videmus, & audimus? Damnat canon πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, *omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt, non autem perſeverant in Oratione, nec ſanctam communionem percipiunt. Non damnantur* (inquit Binius) *qui extra legitima & conſtituta tempora non communicant*; Certe, inquam, ut ſiquis, quo tempore ſacrum non fit, pomeridianis exempli cauſa horis non communicet. Sed hoc non vult Binius. Vult non damnari, niſi qui Paſchæ die, tribuſve aut quatuor ad ſummum toto anno diebus feſtis non communicaverit; Quotquot (his exceptis temporibus) ſacræ ſynaxi adſunt, neque communicant tamen, eos ab hoc canone tangi, vel pulſari negat. Atqui *omnes fideles* ferit canon, *qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt*; neque tamen communicant. Ergo vel tuæ, Bini, *Eccleſiæ* niſi ſtatutis illis tuis temporibus non ſunt, neque fideles tui, niſi hi diebus ſolis, *fideles* ſunt; vel certe etiam iſtos tuos damnat canon, dum quibuſvis temporibus ita ſacris interſunt, ut non communicent. Obſecro tuam fidem; tuam

 frontem

frontem appello. Veſtri illi homines, quos ſacris veſtris intereſſe, inde nulla recepta hoſtia diſcedere quotidie video, ſunt-ne *fideles*? Tu quidem, ut opinor, non negabis. *Sunt-ne ingreſſi Eccleſiam*? Ne hoc quidem abnuere potes. Quid? *Scripturas-ne audierunt?* Certe inquam; niſi tu eos ſurdos fuiſſe finxeris. Ultimum ſupereſt quod ait canon; illi non percepta communione diſceſſerunt? Hoc vero etiam annuis. Ergo velis nolis, confitendum eſt, etiam iſtos tuos Canonem ſegregandos jubere. Par eſt de cauſâ, quam Binius hariolatur, inverecundia. *Non* (inquit) *damnantur, qui ſimpliciter abſtinent, ſed qui ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem, ſcripturas quidem audiunt, ſacram autem communionem averſantur.* Os impudens! Quam vero *ſuperſtitionem*, quam *opinionis pravitatem*, quos *communionem averſantes* narras? Atqui de iſtis ne unum quidem μῦ poſuit Canon. Simpliciter, abſoluteque de his *omnibus fidelibus* loquitur, qui *Eccleſiam ingreſſi, Scripturiſque auditis, non permanent in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt*, quod etiam facere poſſunt, imo quotidie faciunt, qui neque ulla ſuperſtitione, aut prava opinione laborant, neque Chriſti Sacramentum averſantur. Ergo

& hos

& hos percellit canon. Antiochenum canonem fruſtra advocat Binius. Primo enim quis nos ex hoc Apoſtolicum interpretari juſſit? Patres quidem Antiocheni nihil de hoc, nihil de ullo Apoſtolorum canone, memorant; ut ſumma ſit iſtorum inverecundia, qui hanc ſuam ſtultiſſimam atque impudentiſſimam gloſſam, *Concilii Antiocheni expoſitionem* appellare non dubitant: quaſi ſcilicet ea Synodus hunc Apoſtolicum canonem ex profeſſo interpretata ſit, quem ne nominavit quidem. Tum nihil plane Antiocheni de *ſuperſtitione*, aut *prava opinione* (Iſta mera Binii commenta ſunt) Tantum eorum, quos damnant, crimen diſcribentes ajunt, illos *ἀποστρέφεσθαι τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν*, *averſari participationem ſanctæ Euchariſtiæ per quandam inordinationem* (ſi nobis fas ſit ita loqui) id eſt per quendam ordinis vel contemptum, vel certe neglectum. Quod ipſum, aut certe ſimile quid ille noſter Apoſtolicus canon, iis quoque, quos damnat, impingit; Ait enim eos *ἀταξίαν ἐμποιεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ*, *perturbationem*, & *inordinationem*, ſive *confuſionem*, vel (ut ait Dionyſius) *inquietudinem Eccleſiæ commovere.* Ut non tam notet quo animo hi Euchariſtiam vitent, quam quid ex hoc

eorum facto conſequatur; (quæ fortaſſe & ipſa eſt Antiochenæ Synodi mens) Nimirum faciunt *iſti in Eccleſia* ἀταξίαν. Ergo hanc in Eccleſia τάξιν, *hunc ordinem* eſſe volunt, ac decernunt noſtri Canoniſtæ, ut quiſquis ſacræ Euchariſtiæ, dum ea celebratur, intereſt fidelis, is *communionem ſanctam percipiat*. Itaque ſi hi Canoniſtæ vere ſunt Apoſtoli, cauſa dici non poteſt, cur non Romana Eccleſia (quæ totum illum ab his Canoniſtis conſtitutum ordinem, fœdiſſime contemnit, & ab omnibus violari patitur) ab Apoſtolorum regulis diſciviſſe, *Apoſtolicaque* nomen perdidiſſe cenſenda ſit. Altera hujus canonis expoſitio Gentiani Herveti eſt, hic ſegregari fingentis, non qui Eccleſiam ingreſſi ſcripturiſque auditis non communicant, ſed qui ante peractum à miniſtro ſacrum diſcedunt. Sed hanc ipſe Binius vix probare audet. Merito. Nam quod Græce eſt παραμένειν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ παραλήψει, id Latine eſſe *perſeverare in Oratione & ſanctam communionem percipere*, & verba ipſa clamant, & teſtatur Dionyſius, antiquiſſimus & eruditiſſimus interpres, qui hæc verba ita plane, ut diximus, reddidit; & demonſtrat ille ipſe Antiochenus canon, quo veram hujus Apoſtolici expoſitionem contineri affirmabat Binius.

Is

Digitized by Google

Is enim canon ſegregat τὰς μὴ κοινωνοῦντας εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας, *qui non communicant in oratione cum populo, aut averſantur participationem Euchariſtiæ.* Neque aliter acceperunt ipſi Græci Canonum interpretes, Balſamo, & Zonaras; Ac hujus quidem hæc ſunt in hunc locum verba; καὶ οἱ λαϊκοὶ γὰρ συνεχῶς τότε μεταλαμβάνειν ἀπῃτοῦντο. *Siquidem tum temporis etiam à Laicis exigebatur, ut aſſiduè communicarent.* Balſamonis vero illa ibidem leguntur; ὁ τοῦ παρόντος κανόνος διορισμὸς, δριμύτατός ἐστιν· ἀφορίζει γὰρ τοὺς ἐκκλησιάζοντας, καὶ μὴ παραμένοντας μέχρι τέλους, μηδὲ μεταλαμβάνοντας. *Præſentis canonis conſtitutio eſt acerbiſſima: Segregat enim eos, qui in Eccleſiam conveniunt, & non ad finem uſque expectant, nec communicant.* Ergo nulla vi, vel arte effugere poteſt Binius, quin ſit Romæ Eccleſia, non, quod gloriatur, *Apoſtolica*, ſed plane, quod abominatur, *Apotactica*, ſiquidem hi duo vere ſunt Apoſtolorum canones. Hoc vero, prius, quam concedant, iſtos equidem arbitror non ſtramineos modo hos canones, ſed & ipſa Euangelia in dubium revocaturos.

Cap. XVI.

Arg. VIII. ex canone 16. de clerico concubinario. Refelluntur Turriani ineptiæ.

VIII. Itidem ab Eccleſiæ Romanæ uſu & praxi diſcedit, quod Turrianici Apoſtoli decernunt canone 16. (Dionyſio 17.) ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. *Qui poſt ſanctum baptiſmum duobus conjugiis fuit implicitus, vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero ſacerdotali.* Primo, quod concubinarium à ſacro miniſtrorum cenſu arcet, id bona Roma ducit intolerabile; cujus eſt hic (ſane ſanctiſſimus, meritoque inviolabilis) canon, *concubinatum irregularitate non puniri.* Itaque *quod hic dicitur, nunc uſu revocatum, & ſublatum eſſe tradit Covarruvias*, referente Binio *a*. Quamquam ipſe Binius concubinarium, non propter ipſum flagitium, ſed tantum *ratione infamiæ irregularem* hoc canone conſtitui, ac declarari putat; adeoque eum tantum cujus

a Clem. ſi furioſus 1. parte. §. 2. num. 2.

jus publicum eſt, & cum magna infamia conjunctum flagitium. Sed ille quidem nobis ſolens illudit. Canon enim ſacris ordinibus excludit, non qui ex ſtupris & fornicationibus, atque vagis publiciſque flagitiis infamiam collegit, ſed qui concubinam habuerit; ut nihil ſit verius, quam quod rotunde fatetur in Canonicis Binio multo doctior Covarruvias, quod nunc in Romana Eccleſia ſabbatum eſt, id ipſum eſſe, quod in hoc canone dictum erat. Itaque alio confugit Turrianus *a*, & quam canon παλλακὴν vocat, id eſt *pellicem*, vel *concubinam*, eam iſte pro conſueta audacia, non fornicariam, ſed legitimo thori jure ſociatam mulierem accipit, quod interdum *concubinæ* nomen honeſtori illo ſenſu ſumptum reperiatur. Sed ille, ut alias ſolet, ita hic quoque fruſtra inſanit. Nam ut Græcos interpretes mittam, qui hunc τὸν παλλακὴν κτησάμενον, interpretantur *b* τὸν μετὰ τὸ ἅγιον βάπτισμα πορνεύσαντα, *eum qui poſt ſanctum baptiſma fornicatus eſt*; ipſe quid ſit ſequendum, edicit, ac docet canon. Nam quem *concubinam habuiſſe* dicit, eum illi ex adverſo opponit, qui *conjugiis fuerit implicitus*; ſtulte, ut quivis videt, ac præter omnem rationem, ſi is conjugio & ipſe legitimo implicitus fuerit. Tum ſi Canoniſta hoc, quod

a L. 1. c. 13. p. 34. *verſa.*

b *Balſamo in c. Ap. 17. Zonar. ibid.*

quod vult Turrianus, in animo habuiſſet, à ſacris ordinibus arcendum dixiſſet, non *qui concubinam*, ſed *qui duas concubinas habuerit*. Nam ſi (quod unus mortalium delirat Turrianus) *pellex* ſive *concubina* hoc loco eſt *legitima conjux*, apparet non unam, ſed qui duas habuerit concubinas, ſacerdotio arcendum. Alienum enim eſt ab omni Romano Græcoque, ac (ut ſemel dicam) Eccleſiaſtico jure, ut qui unam tantum uxorem habuerit, is ſacris ordinibus excludatur. Itaque, ut *duo conjugia*, ſic & neceſſario *duas concubinas* dicere canon debuit, ſi *concubinæ* nomine legitimam conjugem intellexit. At hoc tamen nequaquam dixit; ſed δυσὶ γάμοις, *duobus conjugiis*, τὴν παλλακὴν *pellicem* ſive *concubinam* oppoſuit. Nimirum ſignificat conjugium rem honeſtam, neminem à ſacris prohibere, niſi iteratum fuerit, quod eo videatur aliqua incontinentiæ ſignificatio contineri. *Concubinatus*, fœdæ & flagitioſæ rei aliam eſſe rationem. Eo enim vel ſemel pollutos, ab Eccleſiaſticis cancellis excludi. Certe hanc fuiſſe veteris Eccleſiæ (ex qua hunc canonem ſumpſit impoſtor) ſententiam, docet Synodus Neocæſarienſis, gravius multans presbyterum fornicantem, quam conjugium contrahentem, Πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ (inquit) τῆς τάξεως

αὐτὸν

Digitized by Google

αὐτὸν μετατίθεσθαι. ἐὰν δὲ πορνεύσῃ ἢ μοιχεύσῃ ἐξωθεῖσθαι αὐτὸν τέλεον, καὶ ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς μετάνοιαν. Deniq; ſi *concubina* hic eſſet, quam vult Turrianus, conjux ſcilicet legitima, omnino ſtultum, ac ſupervacaneum erat hęc in canone verba addere. Satis quippe cautum eſt prioribus verbis, ne quis, qui duobus conjugiis implicitus fuerit, in ſacerdotali catalogo eſſe poſſit. Ergo ſi eſt Apoſtolorum hic canon, Romanam Eccleſiam ab Apoſtolica regula deflectere palam eſt, quæ *Concubinatum* inter cauſſas *irregularitatis* (ut loquuntur) non habet; quem à canone eo loco ac numero haberi clarum, certumque eſt. Sed & eadem jam pridem diſceſſet à priori canonis parte, qua à ſacro catalogo arcetur, *qui duobus poſt baptiſmum conjugiis fuerit implicitus*. Ipſa enim, quod notum eſt, à clericatu excludit quiſquis uxores duas duxerit, ſive poſt, ſive etiam ante baptiſmum. Ridicula eſt Turriani audacia, qui Canonem ſic interpretatur *a*, quaſi *duobus conjugiis implicitus poſt baptiſmum*, is ſit, *qui vel bis duxit uxorem ante baptiſmum, vel ſemel ante baptiſmum, & iterum poſt baptiſmum, vel bis poſt baptiſmum*. Sed ſi iſta Canoniſtæ mens fuiſſet, nihil neceſſe erat *baptiſmi* mentionem facere, cujus ſcilicet ratio nullum hīc locum habet; cum ſacris ordi-

a Ub. ſupr. p. 74. verſ.

nibus ex hac Turrianica hypotheſi tam excludatur, qui ante, quam qui poſt baptiſmum, vel unam è duabus, vel utramque duxerit. Simpliciter dicendum erat, *Qui duobus conjugiis fuerit implicitus*, is ſacerdos eſſe non poteſt; vel ſi metuebat Canoniſta, nequis conjugium baptiſmum antecedens exciperet, plane occurrendum erat exceptioni hoc modo, *Qui duobus conjugiis, etiam ante baptiſmum, vel ſive poſt, ſive ante baptiſmum implicitus fuerit, is ne eſto ſacerdos.* Nunc plane aliter habent Canonis verba; Ita enim poſita ſunt, ut hanc ipſam, quam excludi vult, Turrianus exceptionem conſtituant, ac confirment, ὁ δυσὶ γάμοις ἐμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, is (ut omnes græce periti vident) *eſt duobus conjugiis poſt baptiſmum implicitus*; ut ſi quis bis quidem uxorem duxerit; ſed vel utramque, vel certe priorem, antequam baptizaretur, duxerit, eum præſens canon à ſacro ordine minime arceat, vel excludat. Quo pertinet hujus canonis allata à Zonara ratio; quod *divino ſcilicet lavacro ſancti baptiſmatis abluantur omnes ſordes ipſis baptizatis ante baptiſmum illitæ.* Itaque Innocentius *a* hac, quæ à ſacris ordinibus excludit, digamia etiam id conjugium contineri docens, ac decernens, quod ante baptiſmum contractum fuerat, hunc

a *Ep. ad Victr. Pro tom. c.* 6.

Apoſto-

Apoſtolicum canonem, non ſane interpretatur, quod ſtultiſſime ait Turrianus, ſed plane oppugnat, atque evertit; eoque ipſo teſtatur ſibi quidem Apoſtolicum non fuiſſe; quem, ut liquet, ſi vere Apoſtolicum putaſſet, plane aliter, quam fecit, de toto hoc negotio ſtatuiſſet. Ergo neque Innocentio, neque Eccleſiæ Romanæ, quæ ejus hac de re judicium ſequitur, Apoſtolicus eſſe vel poteſt, vel debet hic Turrianicus canon.

CAP. XVII.

Arg. IX. ex canonibus 21. 22. 23. de iis, qui ſe abſcindunt. Arg. X. ex can. 26. 29. de iis, qui poteſtatis ſæcularis favore Eccleſiæ dignitates invadunt. Arg. XI. ex can. 33. de metropolitanis. Arg. XII. ex can. 49. de trina in baptiſmo merſione. Adverſariorum cavillationes diſcutiuntur.

IX. PERGAMUS. Tres de Eunuchis canones *a* decernunt, ne qui ſe ipſum abſcidit, clericus fiat, & ſi factus ſit, ut deponatur; laïcus verò tribus annis ſegregetur, hac ratione allata, αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός, *Eſt enim ſui homicida, & Dei opificii hoſtis.* Vera quidem ratio, & rectum decretum; ſed tamen hujuſmodi,

a *can.* 21. 22. 23. (*al.* 22. 23. 24.)

di, quod non videtur ab Apoſtolis ipſis conſtitutum. Nam cum è morum vitiis, peccatorumque præcipuæ ſingularium, & quæ rariſſime contingunt, exemplis naſcantur ut plurimum leges; quo factum olim fuiſſe accepimus, ut nullum à ſapientiſſimo licet legiſlatore, in parricidas ſupplicium conſtitutum eſſet; non eſt veriſimile hos in rarum, abſurdumque facinus canones prius in Eccleſia poſitos, ac promulgatos fuiſſe, quam ferendæ hujuſmodi legis occaſionem dediſſet editum ab aliquo hujus facinoris exemplum. Apoſtolicis vero temporibus, & iis, quæ Apoſtolica proxime conſecuta ſunt, hujuſmodi aliquid ab ullo Chriſtiano deſignatum fuiſſe inauditum eſt; cum tamen ipſa rei ſingularitas, ſiquid tale contigiſſet, id ad poſterorum memoriam propagari poſceret, ac pæne flagitaret. Iuſtinus *a* quidem non tacet Chriſtiani adoleſcentis factum, qui à Felice præfecto Auguſtali Alexandriæ oblato libello petivit, ut ſibi liceret medici opera partes illas ſibimet abſcindere, quod tamen non impetravit. Origenis vero, qui poſtea idem in ſe ipſum deſignare auſus eſt, factum quam ſit in omnibus antiquitatis monumentis celebre, nemo neſcit. Cum ergo nulla hujuſmodi apud Chriſtianos ante Iuſtini tempora facino-

a *Apol.* 1. *p.* 55. *l.* 40.

cinoris extet memoria, à veri ſpecie abhorret, ullum ab Apoſtolis contra eos, qui rem adeo abſurdam, & à naturæ, civitatumque, ac Dei denique ipſius legibus alienam auderent, factum unquam decretum. Certe ſi quod factum fuiſſet, Juſtinique temporibus extitiſſet; primo adoleſcens ille Alexandrinus, cujus magna erat pietas, & inſignis in pietatem zelus, non videtur unquam rem ab Apoſtolis diſertiſſime, & quidem ſub triennalis ſegregationis pœna vetitam, aggreſſurus fuiſſe. Quo loco obiter detegenda eſt Baronii fraus, qui hoc iſtius adoleſcentis factum referens *a*, ait eum id propterea tentaſſe, *quo careret omni carnis irrationali motu.* Ea vero annaliſtæ hariolatio eſt; immo merum ſomnium, à monachalis cauſæ ſtudio profectum. Nihil hujuſmodi Juſtinus tradit, à quo uno hanc hiſtoriam habemus. Ille vero longe diverſum adoleſcentis conſilium narrat; quem ait hoc aggreſſum eſſe, ὑπὲρ τοῦ πεῖσαι ὑμᾶς (inquit) ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν μυστήριον ἡ ἀνέδην μίξις, *ut urbis* (id eſt Paganis) *perſuaderet non eſſe nobis myſterium promiſcuam & propatulam miſtionem.* Tum ſiqui hujuſmodi apud Chriſtianos extitiſſent Apoſtolorum canones, aliquam erat eorum hoc loco mentionem facturus Juſtinus. Omnino enim ad ejus

a A. D. 230. §. 4.

ejus conſilium pertinebat, ne ex tali facinore lævum aliquid de noſtræ diſciplinæ inhumanitate ſuſpicarentur Pagani, oſtendere id quidem facinus adoleſcentem juvenili animi ardore aggreſſum eſſe; ſed præter Chriſti & Apoſtolorum inſtitutum, qui tale quid audentes, adeo non laudant, ut etiam veluti ſui ipſorum homicidas graviſſime inſectentur, pœniſque ac cenſuris Eccleſiaſticis ſubjiciant. Hæc omnino commemoraturus hoc loco erat Iuſtinus, ſi fuiſſent à ſecretis Apoſtolis hi Dionyſiaci Turrianicique canones facti, atque traditi. Atqui nihil ille hujuſmodi toto eo loco dicit. Ergo nondum eos extitiſſe patet. Idem ex Origenis facto, qui aliquanto poſt, anno ſcilicet Domini (ut quidem conjicit Baronius) 208. ſe ipſum abſcidit, evidenter apparet. Nam quis credat, ſi canones iſti in publica Eccleſiæ luce extitiſſent, proque legibus Apoſtolicis habiti eſſent, adoleſcentem egregium, tantę jam in illa ætate eruditionis, *ut ſchola Alexandrinæ Eccleſiæ præeſſet* a, id facinus aggreſſurum fuiſſe, quod ſub excommunicationis vel depoſitionis pœna ab Apoſtolis prohibitum eſſe ſcivisset? Demetrius certe Epiſcopus, poſtquam id ejus factum reſcivit, hominem violati Apoſtolici decreti manifeſtum, non ſolum munere illo, quo in Schola fungebatur,

a *Euſeb. l. 6. c. 7.*

tur abdicaſset, ſed etiam Eccleſię communione ad triennium multaſset. Atqui non modo nihil iſtorum fecit Demetrius; ſed & inſuper, teſte Euſebio, *tametſi hoc audax ejus facinus vehementer admiratus eſt, tamen incredibilem animi propenſionem, & ingenuitatem fidei amplexatus, eum illico confidere, & bono animo eſſe jubet; & majore cura ac ſtudio in munus fidei principia inſtituendi incumbere hortatur, impellitque.* Et poſt hæc tempora narrat idem Euſebius *a*, Origenem illud ſuum docendi munus Alexandriæ magna cum laude, & hominum utilitate plures annos geſſiſse, & poſtquam honorifice à Demetrio in Arabiam ad Præſidem ejus colloquium expetentem, miſſus fuiſset, Alexandriam reverſum in eodem honore manſiſse. Sed & poſtea, cum Demetrius mutato animo, viri gloriæ (ut quidem tradit Euſebius *b*) invidens, eum à Theoctiſto Cæſareæ, & Alexandro Hieroſolymorum, Epiſcopis, ſpectatis inprimis, & præſtantibus Palæſtinæ antiſtitibus; ad presbyteri dignitatem evectum indignaretur, & alia criminandi occaſione deſtitutus, *facti illius, quod ab ineunte ætate conſciviſſet, calumniam objectaret, eamque apud epiſcopos totius orbis, tanquam abſurdiſſimi facinoris reum per litteras notaret;* conſtat tamen neq; Theoctiſtum

a *Id. l.6. c. 13.*

b *l.6.c.7.*

octiſtum & Alexandrum de ſuo in illum ſtudio quicquam propterea remiſiſſe, neque vel ipſos, vel alios Epiſcopos re intellecta, hominem de presbyterii gradu dejeciſſe; ut ex omni Euſebiana de Origenis rebus, quæ ampliſſima eſt, narratione intelligimus. At quis laudatiſſimos, juriſque omnis Eccleſiaſtici ſcientiſſimos viros putet hominem in ea dignitate confirmaturos fuiſſe, è qua diſertis Apoſtolorum vocibus deturbari eum ſciviſſent? Quid, quod annis poſt id tempus circiter centum, Athanaſius de Leontio primum presbytero, mox & epiſcopo Antiocheno Arianarum partium, verba faciens, ejuſque ſimile facinus invidioſiſſime exagitans, nullam tamen memorat Apoſtolicam contra iſtos legem; ſed hæc tantum habet, Λεόντιος ὁ ἀπόκοπος (inquit *a*) ὃν οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔχρῆν, διότι ἑαυτὸν ἀπέκοψεν ὑπὲρ τοῦ μετ᾽ ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μετὰ Εὐστολίου τινὸς, γυναικὸς μὲν δὶ αὐτὸν, λεγομένης δὲ παρθένου. *Leontius ille caſtratus, quem ne ut laicum quidem ad communionem admitti oportuit, eo quod ſeipſum abſcidit, ut libere cum Euſtolio dormiret, revera quidem ejus muliere, ſed quæ virgo dicitur.* Nemo non videt multo fortius, ac invidioſius dicturum fuiſſe Athanaſium, ſi ex Apoſtolico canone hanc Leontio ſui facinoris

a *Ep. ad Solit. vit. agent. T. 1. Ath. p. 827. b.*

facinoris mercedem deberi adjeciſſet. Quod non adjecit, eo fatetur, nullum ſibi ea de re Apoſtolorum canonem fuiſſe cognitum. Quo ergo (inquis) canone Leontium decebat presbyterio abdicari, & laïca ipſa communione multari? Nempe inquam, ex Nicæno *a*, annis antequam Leontius presbyter fieret, aliquot condito, & ex aliquo etiam fortaſſe antiquiori ab Alexandrinis ex Origenici facinoris occaſione, ut ſupra diximus, conſtituto. Huc denique accedit, quod Epiphanius *b*, Athanaſio junior, Valeſiorum, qui ſe ipſos abſcindebant, ſectam ac dogma refellens argumentis, tum à re ipſa, rectaque ratione, tum etiam ab Apoſtolorum, Paulique nominatim in epiſtolis doctrina petitis, nullam iſtorum canonum mentionem facit *c*; quos, ſi vere Apoſtolici eſſent, in tali diſputatione omittere flagitium erat; quod nihil ſcilicet afferri poteſt in abſurdum Valeſiorum inſtitutum his diſertius atque potentius. Ergo non fuerunt hi canones illius ſæculi (hoc eſt quarti) Chriſtianis pro Apoſtolicis habiti, neque adeo Apoſtolici revera ſunt; quos haud dubie, ſi ii Apoſtolici vere eſſent, hoc numero ac loco habituri erant & Athanaſius, & Epiphanius.

a *c. I.*

b *Hær. 58. tota.*

c *Ibid. §. 4. p. 492. a. b.*

X. Iam neque Apoſtolicis temporibus

congruunt canones 26. & 29. (aliis 28. & 31.) quorum ille deponi jubet *epiſcopum, presbyterum, & diaconum, verberantem fideles qui peccant, vel infideles, injuriam facientes, & per hujuſmodi perterrefacere volentem*; hic vero eadem pœna Epiſcopum multat, *qui ſæcularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtinet*. Atqui non patitur temporum Apoſtolicorum ingenium, ut vel Chriſtianorum epiſcopos verberibus in quemquam ſæviiſſe (quod diu poſtea, planeque ſero in Eccleſiam, jam corruptis noſtrorum moribus, invectum eſt) vel poteſtates ſæculares, quæ tum erant nobis infertiſſimæ, quemquam ſuo favore ad epiſcopalem dignitatem vel invadendam, vel retinendam adjuviſſe. Cur diſertas leges Apoſtoli in ea peccata tuliſſent, quorum nulla erant, nulla probabiliter metui in eo rerum ſtatu poterant exempla? Nimirum hæ leges poſtea ex occaſione factæ ſunt; cum erumpentem hominum audaciam novis, ac diſertis decretis coerceri ipſa Eccleſiæ ſalus, atque ædificatio depoſceret.

XI. Canone 33. (aliis 35.) Epiſcoporum metropolitanorum jura conſtituuntur, quorum, (præterquam quod nullum in veris, ac indubitatis Apoſtolorum monumentis apparet veſtigium) illud etiam novitatem

vitatem confirmat, quod Nicæna ſynodus hæc iſtorum jura & ad *conſuetudinem* refert, & ſecundum eam conſtituit, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, inquit, *Antiqui mores obtineant*. Nulla *Apoſtolicæ* vel *authoritatis*, vel *legis* meminit. Abſurde profecto & inepte; ſi hæc jura, non mos tantum, & longus uſus, factaque ex eo conſuetudo, invexerat, ſed Apoſtolorum, quæ ſumma eſt in Eccleſia, authoritas jam ab initio fixerat, ac conſtituerat. Nimirum [a] διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν ſυντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, *eo quod in metropolim* (id eſt primam cujuſque provinciæ civitatem) *undequaque concurrunt omnes negotia habentes*, (ut Antiochenorum Patrum in hoc ipſo argumento verba uſurpem) idcirco factum eſt, ut paulatim aliquid Epiſcopo, qui illius civitatis Eccleſiam regebat, plus quam cæteris ejuſdem provinciæ tribueretur; ut exempli cauſſa jus convocandæ ex tota provincia Synodi, & alia hujuſmodi procurandi ad totius provinciæ utilitatem ſpectantia. Inde nata Nicænis judicibus Metropolitanorum in ſuas provincias jura; quę quod ex uſu, & commodo Eccleſiarum eſſe, & ad ordinis decorum pertinere viderentur, ideo ſunt Nicænæ primo, tum & clarius atque enucleatius Antiochenæ

[a] *c. 2. Ant.*

Synodorum authoritate confirmata. Qui vetuſtiora facit, & ab ipſis Apoſtolis conſtitui fingit hujus Dionyſiacæ Sylloges author, is manifeſte impoſtor eſt; rem recentioris ævi inepte atque improbe ſuperioris memoriæ hominibus tribuens.

XII. Denique, ne plura huc conferam, non eſſe hanc vel Apoſtolicam, vel Clementinam Syllogen apertiſſime conficit canon ejus penultimus, hoc eſt quadrageſimus nonus, diſerte præcipiens deponi vel epiſcopum vel presbyterum, qui ſine trina in aquam merſione quemquam baptizaverit. Fateor vetuſtiſſimum fuiſſe apud Chriſtianos hunc morem, ut ter, qui baptizabantur, mergerentur. Sed non fuiſſe tamen id vel ab Apoſtolis traditum, vel à Clemente ſcriptum, luce meridiana clarius eſt. Nam, ut ritus ipſius ineptiam mittam myſteria neſcio quę in ternario numero pueriliter quærentis, quod à divina verorum Apoſtolorum gravitate, ac ſimplicitate longiſſime abeſt; certe ex multis non ſacrarum modo litterarum, ſed & ipſius Eccleſiaſticæ antiquitatis documentis clarum eſt, ad baptiſmum ſatis eſſe unam vel merſionem, vel etiam aſperſionem; quod, quia hac in parte confitentes ipſos adverſarios habemus, nihil neceſſe eſt demonſtrare. Ergo iniquus eſt, Apoſtoliſque

que adeo indignus hic canon, qui baptiſmum, una aut altera tantum merſione celebrantes damnat, omninoque trinam merſionem requirit. Annotatio, quæ in hunc canonem ab aliquo vel Surio, vel Binio, vel alio hujus generis homine ſcripta eſt, ita habet; *In hoc canone* (inquit) *directe damnatur error eorum, qui baptizabant in nomine Chriſti mortui pro nobis, & ad hunc ritum magis introducendum utebantur una merſione tantum. Contra hos ergo docetur invocandam Trinitatem, & additur, ter eſſe mergendum, tum propter conſuetudinem illius temporis, tum in deteſtationem illius erroris.* Ego vero damnari eum hoc canone fateor, qui ſemel tantum mergit in *nomine Domini pro nobis mortui*; Sed & illud contendo, quod dixi, eum quoque hic ſimpliciter damnari, quiſquis ita baptizat, ut non ter mergat, *εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ. Siquis Epiſcopus, aut presbyter, non trinam merſionem unius myſterii celebret*, &c. *deponatur*. Et id ipſum ipſe adverſarius imprudens docet. Fatetur enim id in hoc canone præcipi, quod *illius temporis conſuetudo* ferebat. Ferebat autem antiquiſſimi temporis conſuetudo, ut ter mergerentur quicumque baptizabantur; ut ex Tertulliano *a*, Baſilio,

a *De cor. mil.*

Baſilio *a*, Ambroſio *b*, Hieronymo *c*, Auguſtino *d*, & aliis *e* patet. Ergo & hoc ipſum hoc canone præcipitur. Quod autem addit canon ; ἀλλ' ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον, *ſed unam merſionem* (celebrat) *quæ datur in mortem Domini*, non ideo addit, quaſi alios quoſdam ferendos putet, trinam quidem merſionem minime peragentes ; ſed eam tamen unam, quam peragebant, non una cum iſtis *in mortem Domini* peragentes. (Nihil fingi poteſt ab iſtius canonis mente alienius. Sed hæc, quæ dixi, verba ideo addit canon, quod nulli ſcilicet præter iſtos *in Domini mortem baptizantes* apud Chriſtianos tum reperirentur, qui baptiſmum aliter, quam tribus merſionibus peragerent. Tum velim ſcire, quodnam noſter annotator tempus intelligat, *propter cujus conſuetudinem* hæc de trina merſione addita ait ? Significat-ne ipſorum Apoſtolorum tempus ? Atqui ille, & quidem hoc ipſo loco, aliter tum factum, etiam ex baptiſmo à Petro & Apoſtolis Act. 2. adminiſtrato probat, & profecto res ex Scriptura clariſſima eſt : in qua nuſquam occurrit moroſa illa in ternarium numerum inſtituta baptizatorum merſio. Intelligit-ne aliud, quam Apoſtolorum tempus ? Atqui ſi ita ſentit, hoc

a *de ſp. S. c.* 27.
b *l.* 2. *de Sacr. c.* 7.
c *dial. contra Lucif.*
d *Serm. de temp.* 91. & 201.
e *Cyrill. Hier. cat.* 2. *Athan. q.* 125. *ad Ant.*

hoc ipſum, quod nos volumus, concedere eum neceſſe eſt; nimirum alio quam Apoſtolico tempore, adeoque & ab aliis, quam ab Apoſtolis, conditum fuiſſe hunc canonem. Tum & illud quæro, quinam iſti ſint in canone refutati, ac damnati, qui non trina merſione, ſed unica *in mortem Christi* baptizabant? Profecto non alii in veteri Chriſtianiſmi hiſtoria occurrunt, quam Eunomiani quidam, qui, teſte Socrate *a*, *ὐκ εἰς τὴν τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ θάνατον*, *non in Trinitatem, ſed in Christi mortem baptizabant*, quique (ut Synodus Conſtantinopolitana I. docet) *εἰς μίαν κατάδυσιν ἐβαπτίζοντο*, *una merſione baptizabantur*, quod utrumque ex Theodoreto quoq; diſcimus; qui hoc Eunomii de baptiſmo placitum refert *μὴ χρῆναι τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ*, *non oportere ter illum immergere, qui batizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel immergere in mortem Chriſti.* Ad iſtos totum hunc Dionyſiacę ſive Græcanicæ collectionis canonem 49. reſpicere, ac pertinere qui non intelligit, næ ille nihil intelligit. Itaque cum ii, quos recta ferit, Eunomiani Conſtantii principatu (hoc eſt poſt a. D. 337.) exorti ſint, fieri profe-

a *hiſt. l.* 5. *c.* 24. (23.)

b *l.* 9. *hæret. fab. c.* 3. *T.* 4. *Theod. p.* 236. *d.*

Digitized by Google

ɛto non poteſt, ut non modo Apoſtolis, ſed etiam Clemente duobus totis & amplius ſæculis recentior non fuerit, qui hunc canonem condidit. Sed & aliter ejuſdem novitas deprehenditur. Hanc enim trinam, quam in baptiſmo decernit, merſionem, & Tertullianus, & Baſilius, & Hieronymus, graviſſimi viri, authores ſunt ſola muta, & ἀγράφῳ traditione fuiſſe à majoribus acceptam; nulla ſcripta lege, nullis literarum tabulis expreſſam, ut præceptam. Tertullianus *a* enim inter eas *obſervationes, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicabant*, & hanc nominatim cenſet, *ter mergitamur*; in baptiſmo ſcilicet. Sic Baſilius *b*, τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; *Jam ter immergi hominem, unde eſt?* hoc eſt, (ut ex proximis verbis conſtat) ἐκ τινὸς λόγȣ γεγραμμένȣ; *Ex quo ſermone ſcripto*, vel, *ex quibus litteris?* quod nemo non videt, impudenter queri, ſi extabat publicus in Eccleſia Apoſtolorum à Clemente ſcriptus canon, ex quo is ritus hauſtus eſſet. Hieronymus plane itidem, ut Tertullianus, *Multa alia* (inquit *c*) *quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt; veluti in lavacro ter caput mergitare.* Atqui & hujus ri-

a *De cor. mil. c. 3. p. 121.*

b *l. de Sp. S. c. 27. T. 2. Baſ. p. 352. a.*

c *Dial. adv. Lucifer.*

tus

tus *ſcripta* erat *lex*, ſi Apoſtolicus hic à Clemente ſcilicet ſcriptus canon extabat. Ergo hunc neque Tertulliano, neque Baſilio, neque Hieronymo cognitum fuiſſe, non adeo Apoſtolicum eſſe, neceſſe eſt; qui ſi vere Apoſtolorum eſset, talibus ac tantis viris ignotus eſse non potuiſset. Quę contra hujus demonſtrationis vim nugantur Turrianus & Arcudius, qui quod ſcripta lege præcipitur, idipſum tamen minime ſcriptum eſse volunt, nos in priori contra Diataxes diſputatione ſatis confutavimus, ut eadem hic dicere nihil neceſse ſit. Eſto ergo concluſum, neque hanc priorem Turrianicæ collectionis partem, 50. Dionyſiacis conſtantem canonibus, verius Apoſtolicam eſse, quam poſteriorem 35. Latinis ignotos canones continentem.

CAP. XVIII.

Tertia pars diſputationis, qua communibus argumentis utraque pars Apoſtolicæ Sylloges, id eſt tota canonum 85. Sylloge falſa ac apocrypha eſſe demonſtratur. Arg. I. ex totius ſermonis, quo ſcripti ſunt canones, idea ductum, ab Apoſtolorum oratione aliena. Arg. II. ab Epiſcopi & presbyteri diverſitate, quam ſtatuunt can. Apoſtolis ignota. Arg. III. *à collato ab hæreticis baptiſmo, quem canones reprobant. Binii vitilitigationes profligantur.*

VTRUMQUE præter ſuperiora, cujuſque partis propria, communibus inſuper non paucis, neque contemnendis argumentis confirmatur, quæ jam tertio loco veniunt explicanda.

I. Principio ipſa totius Sylloges oratio authorem prodit, nihilque eum minus, quam ex Chriſti Apoſtolis unum fuiſſe arguit. Nam multa vocabula uſurpat, vel Sanctis Apoſtolis penitus inuſitata, vel non eo certe ſenſu, quo in his Canonibus ſumuntur, uſurpata. Qualia ſunt κληρικὸς, *clericus*, pro homine miniſterium aliquod Eccleſiaſticum exercente; κατάλογος τῶν κληρικῶν, *catalogus clericorum*, ἐπίσκοπος & πρεσβύτερος. *epiſcopus* & *presbyter*, pro miniſtris diverſorum ordinum, ſummi & ſecundi;

a c.4.(5.) 53.*paſſim*
a *c*.14. (15.) *c*. 69.
b *c*.1.2. 51.& *paſſ*.

ſecundi; ἀναγνώστης, καὶ ψάλτης, *lector &
cantor* a; ἱερεὺς, ἱερατικὸς κατάλογος, ἱερα- a c. 25.
τικὴ διοίκησις, *ſacerdos, ſacerdotalis cata-* (al. 27.) 68.
logus, ſacerdotalis adminiſtratio b, pro preſ- b c. 46.
bytero, & eo, quod presbyterorum eſt; (47) c.
λαϊκὸς, *laicus* c, pro eo fideli, qui extra 16. (17.)
cenſum miniſtrorum in Eccleſia eſt; Ejuſ- c. 17.
dem hęc quoque ſunt generis, quæ in (18.) c.
priori ſylloges parte, hoc eſt Dionyſiaca, 62. c. 82.
leguntur, θυσιαστήριον, *altare*, pro *menſa* c c. 12.
Domini d; θυσία, *ſacrificium*, pro Euchari- (13.) 56. 61.
ſtiæ celebratione *e*, & pro eadem προσφορὰ d c. 3. c. 30.
oblatio f; πεντηκοστὴ *Pentecoſte* g, pro toto eo e c. 45.
tempore, quod & à Paſchæ feſto ad pro- (46.) c. 3.
prie dictam Pentecoſten decurrit; πρῶτος f c. 8. (9.)
ἐν ἐπισκόποις, *primus inter Epiſcopos* h, id g c. 38.
eſt Metropoleos in provincia epiſcopus; (36)
τὰ Κυριακὰ, *Dominica* i, pro rebus, quas h c. 33. (35)
poſſidet Eccleſia, quas iidem canones vo- i c. 39.
cant τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα, *Eccleſiæ* (al. 40)
res k; Ὑπερβερεταῖος, *October* l. Hæc & a- k c. 37.
lia fortaſse non pauca ſequentibus Chriſtia- (39.) c. 40.
niſmi ſæculis uſitata in eo, quo canones u- (41)
ſurpant, ſenſu, conſtat in veris, & indu- l c. 38.
bitatis, hoc eſt canonicis Apoſtolorum (36)
ſcripturis, nuſquam ſic poſita occurrere.
Cum ergo nulla ſit ratio, cur Apoſtoli in
canonicis decretis aliter loqui debuerint;
quam in aliis, ſive libris, ſive epiſtolis ſuis,
apparet Apoſtolos non eſſe, qui aliter ſci-
licet

Digitized by Google

licet quam Apoſtoli loquuntur, hujus ſylloges authores; apparet, quicunque de cætero ſint, homines fuiſse ſequentium temporum, adeoque impoſtores, qui ſæculi ſui ſermonem Apoſtolis Domini inverecunde quidem & impudenter, ſed tamen ſtulte ac imperite affinxerunt.

II. Idem quoque id arguit, quod priorem miniſterii Eccleſiaſtici partem, quæ ſupra diaconatum eſt, hi Canones in duos diverſos ordines *epiſcoporum*, & *presbyterorum* perpetuo dividunt, plurimum inter ſe & nomine, & jure, & ſtatu, & authoritate differentes. Nam, quod jam ſupra notavimus, Epiſcopum non aliter, quam à duobus, tribuere Epiſcopis *a*; presbyte-
a c. 1. c. 2. rum non aliter, & ipſum, quam ab Epiſcopo, ſed uno, ordinari ſciſcunt *b*: Tum
b c. 31. (33) jus Epiſcopo tribuunt, presbyterum ſegregandi *c*; Omnium rerum Eccleſiaſtica-
c c. 37. (39) rum curam & præfecturam eidem vindicant *d*; ei omnes presbyteros, & diaconos
d c. 38. (40) ſic ſubjiciunt *e*, ut nihil pertentare abſque i-
e c. 73. pſius ſententia audeant, & alibi in poſteriori ſylloges parte, judicari presbyterum ab Epiſcopis, non à presbyteris, præcipiunt. Nihil eſt quod in re clara, & confeſſa plura afferamus. Iam vero conſtat, neq; Apoſtolos hujuſmodi epiſcopi à presbytero diſcrimen unquam in veris, diviniſque

niſque libris tradere; neque ex Novi Teſtamenti litteris colligi poſſe, quemquam presbyterorum, ſive epiſcoporum eſſe (utrumque enim nomen promiſcue uſurpant divini ſcriptores) cujus aliquod ſit præ collegis authoritatis προνόμιον, ſive præcipuũ. Sed & illud conſtat, Hieronymum, pluresque alios ex veteribus ſcriptores nobiliſſimos ſenſiſse, litteriſque mandaſſe illud Epiſcopi ſupra presbyterum jus, non ab Apoſtolis inſtitutum, ſed Eccleſiæ tantum uſu, atque decretis inductum eſſe, ut jam ſupra ad Conſtitutiones fuſius docuimus. Ergo neque hi canones, qui id exſertiſſime conſtituunt, ab Apoſtolis conditi ſunt, neque eos ab Apoſtolis conditos ſciverunt Hieronymus, & cæteri idem cum Hieronymo hac de re ſentientes Patres. Neque eos priſcis temporibus pro Apoſtolicis habuerat tota Alexandrinorum Eccleſia, in qua uſq; ad Dionyſium (id eſt a. D. 246.) epiſcopum, teſte, quod alibi diximus, Hieronymo, non, quod jubent hi canones, à duobus tribuſve epiſcopis conſecrari, ſed communi presbyterorum judicio atque authoritate conſtitui, totique Eccleſiæ præponi, mos fuit.

III. Huc accedit, quod utraque collectio miniſtratum ab hæreticis baptiſmum explodit *a*: Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν

a c. 45. (46)

κῶν δεξάμενον βάπτισμα, ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προςάσσομεν. Epiſcopum, aut presbyterum, hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma, damnari præcipimus. Tum; ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν, ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω, ὡς γελῶν τὸν σταυρόν. *Epiſcopus, aut presbyter, ſi eum, qui ſecundum veritatem habuerit baptiſma, denuo baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur tanquam deridens crucem.* Sic etiam in poſteriori parte Sylloges; τοὺς παρὰ τῶν τοιούτων (αἱρετικῶν) βαπτισθέντας, ἢ χειροτονηθέντας οὔτε πιστοὺς οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν. *Qui ab eis* (hæreticis) *baptizati, vel ordinati ſunt, ut fideles vel clerici ſint, fieri non poteſt.* Hæc canones; quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt omnem, jam à vetuſtiſſimis temporibus, Eccleſiam in graviſſimo errore verſari; præſertim Romanam, quæ Stephano duce, & authore, urbis circa a. D. 254. Epiſcopo, hæreticorum baptiſmum valere ab illo ſæculo ad hęc tempora conſtanter ſenſit; & Africanam, quæ Donatiſtas idem cum iſtis canonibus de baptiſmo ſentientes Auguſtini calamo, acerrime confutavit; & Nicænam denique ipſam Synodum, quæ ſolos ex omnibus hæreticis Paulianiſta

a c. 67.

b c. 19.

lianiſta, rebaptizandos pronunciavit. Cum ergo ipſi adverſarii veram eſſe hanc Eccleſiæ ſententiam confiteantur, niſi Apoſtolos aliquid præter verum decreviſſe velint, omnino illud quoque concedere debent, non fuiſſe hos ab Apoſtolis conditos canones. Binii nugas nil moror, cavillantis hos canones de baptiſmo, non quorumvis hæreticorum, ſed eorum tantum eſſe intelligendos, qui alia forma baptizabant, quam Eccleſiaſtica, *ut qui in tribus Patribus, ſeu in nomine trium principii expertium, aut trium filiorum, vel trium Paradotorum, vel qui in morte Domini baptizabant*, de quibus teſtantur canones 49. & 50. Sed hæc gloſſa pugnat primo cum Canoniſtæ verbis, qui non horum aut illorum hæreticorum, ſed ſimpliciter αἱρετικῶν βάπτισμα repudiat, & fideles eſſe poſſe negat, τοὺς παρὰ τῶν αἱρετικῶν βαπτισθέντας. Ergo quacunque in fidei parte laborent, ſi modo hæretici ſint, baptiſma ab iis collatum valere negat. Tum & illud Binianam gloſſam confodit, quod non baptiſmum modo, ſed θυσίαν, id eſt euchariſtiam, & χειροτονίαν *ordinationem* hæreticorum una cum baptiſmo reprobat. At non concedet, puto, Binius aliquorum tantum, non autem omnium, hæreticorum euchariſtiam & ordinationem nullam eſſe & inva-

a *in can.* 46.

b *c.* 43. (46.)

c *c.* 67.

& invalidam. Cum ergo & baptiſmi eadem ſit, ex Canoniſtæ quidem mente, ratio; omnino fatendum eſt, eum, non quorumdam duntaxat, ſed quorumvis hæreticorum baptiſma reprobare, ac pro nullo cenſere. Huc accedit ratio, quam Canoniſta ſuo huic decreto addit, non à baptiſmi forma; ſed à baptizantis perſona a c. 45. (46.) ductam; *Hæreticorum* (inquit a) *baptiſma ſuſcipi vetamus*: Quid ita? τίς γὰρ (inquit) συμφώνησις τοῦ Χριστοῦ πρὸς Βελιάλ; ἢ τίς μερὶς πιστοῦ μετὰ ἀπίστου; *Quæ enim conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Vult hęretici baptiſma rejici, quod hæretici nulla ſit cũ Chriſto communio ac conventio. Ergo Binio neceſsario fatendum eſt, vel ineptam, & à Canoniſtæ conſilio alienam allatam eſse rationem, vel certe reprobatum eſſe omnium, ſive quorumvis hęreticorum baptiſmum. Neq; enim Binium uſque adeo inſanire putaverim, ut quiſquis vere hæreticus eſt, ejus aliquam vel cum Chriſto conventionem, vel cum fidelibus partem eſſe poſse defendat. Itaque cum ſtatuat Canoniſta, cujus nulla eſt cum Chriſto conventio, ejus futile ac *nullum* (ut loquuntur) eſse baptiſmum, profecto idem quoque neceſsario decrevit, omnium hæreticorum invalidum ac pro nullo habendum eſse baptiſmum; quorum ſcilicet omnium

Digitized by Google

omnium nulla eſt vel conventio cum Chriſto, vel pars cum fidelibus. His inſuper ea adjungenda ſunt, quæ de Conſtitutionum ſententia diximus; quam eandem eſſe ac canonum liquet. Neque ſane aliter fieri poteſt, ſi ſtat Turriani hypotheſis, qui idem eſſe defendit utrumque opus, & ab eodem authore ſcriptum. Atqui ſupra demonſtravimus, Conſtitutiones, non quorumdam ſed omnium omnino hæreticorum baptiſma excludere, ac reprobare; quod quia cum univerſalis Eccleſiæ fide pugnat, Apoſtolicum cenſeri non poteſt. Neque ullos ſane extitiſſe primis Chriſtianiſmi ſæculis hujuſmodi canones, vel pro Apoſtolicis agnitos fuiſſe, in ſuperiori diſputatione clariſſime ex eo probavimus, quod cum Cyprianus, omneſque Afri Epiſcopi baptiſmum hæreticorum præter communem Eccleſiæ fidem & praxim, pro nullo habendum, adeoque iterandum docerent, neque ipſe Cyprianus in epiſtolis, quæ de hoc argumento plurimæ ab eo ſcriptæ extant, neque quiſquam 87. Epiſcoporum, qui eandem opinionem in Synodo Carthaginenſi confirmarunt, legitur in hac cauſſa, quam ſedulo petitis undequaque argumentis agunt, hos canones Apoſtolicos ſcilicet laudaſſe, vel memoraſſe, qui tamen, ſi extitiſſent ulli, inprimis

aſſerendi fuerant; utpote qui cauſam ſecundum eos plane, liquidoque decidebant. Sed neque credibile eſt, Stephanum urbis Epiſcopum illam Afrorum ſententiam oppugnaturum fuiſſe & quidem vehementer, ſi eam in ullis Apoſtolorum canonibus extare ſciviſſet. Idemque obſervari poteſt in Auguſtini contra Donatiſtas diſputationibus; in quibus nuſquam reperiuntur Donatiſtæ, pro Cypriani, quam ſequebantur, opinione ullum Apoſtolorum, vel Clementis canonem Auguſtino vel cæteris Catholicis objeciſſe. Ergo ne tum quidem, hoc eſt quinto ineunte ſæculo, extabat in Eccleſia hęc Apoſtolicorum canonum Sylloge. Quibus rationibus eo adductus eſt Albaſpineus, ut hęc de baptiſmo hæreticorum decreta inter eos canones numeraret, quos Apoſtolica authoritate ſancitos fuiſſe exerte negat. *Si canones iſti* (inquit *a*) *conſtitutioneſque ab Apoſtolis probatæ, ſancitaque fuiſſent, quis exiſtimet ea in dubium fuiſſe revocanda, quæ ab Apoſtolis decreta, ſancitaque fuiſſent? An adeo ignorantes erant illius ætatis Patres, ut ſi extitiſſent illi Apoſtolorum canones, eos continuo non produxiſſent?* Sic etiam Poſſevinus *b canonem 67. de baptiZatis ab hæreticis, adulterinum* eſſe diſerte pronunciat; adeoque falſam & ſup-

a Obſerv. *l.1.c.13. p.37 ultr. med.*

b I*n ap-par. verbo Clemens.*

& ſuppoſititiam eſse fatetur alteram ſylloges partem, in qua is continetur, id eſt canonum triginta quinque poſtremorum farraginem. Quamquam ille priorem partem, id eſt, Dionyſiacam 50. priorum canonum collectionem veram esſe contendat; ſtulte profecto, & præter omnem rationem. Nam cum canones 45. (46.) & 46. (47.) de baptizatis ab hæreticis plane idem decernant, quod canon 67. & quidem paulo luculentius, ac diſtrictius; cujus quæſo mentis eſt, cum poſteriorem partem canonum propter admixtum illum errorem inter apocrypha releges, priorem tamen, in qua idem error permixtus quoque cernitur, abſolvere, & veram atque authenticam cenſere? Eadem quoque fuit Bellarmini incogitantia, qui cum *canonem* hunc *67. de baptizatis vel ordinatis ab hæreticis*, inter eos numeret *a*, ob quos poſteriorem Sylloges Apoſtolicæ partem apocrypham eſse confitetur, ſui oblitus priorem, in qua idem error, ut ex ſuperioribus conſtat, apertiſſime docetur, pugnat eſse veram & authenticam. Hanc ſcilicet habent erroris & inverecundiæ mercedem, quotquot claram veritatem oppugnant, ut ſibi ipſis conſtare nequeant. Sed nos ad cætera pergamus.

a *l. de Script. Eccl. in Clem. §. At Contra.*

Cap. XIX.

Arg. IV. inde ductum, quod ſylloge non fuerit à Veteri Eccleſia in canonem Scripturarum Apoſtolicarum relata. Arg. V. ex eo ſumptum, quod non fuerunt iſti Canones Eccleſiaſticorum canonum codici inſerti à veteribus; quod fuſe demonſtratur. Univerſalis Eccleſiæ codex vetus.

IV. SI hęc vel tota Apoſtolicorum (quæ dicitur) canonum collectio, vel ſaltem ejus aliqua pars vere ab Apoſtolis edita, vereque aut ab ipſis, aut à Clemente conſcripta esſet; ea profecto vel tota, vel partim ſaltem, fuisſet à veteribus quatuor priorum ſęculorum Chriſtianis in ſcripturarum novi Teſtamenti canonem relata. Nulla enim eſt ratio, cur quod ab Apoſtolis editum ac traditum eſſe, & vel ab ipſis, vel certe ab aliquo ſancto & veraci eorum diſcipulo, & amanuenſi conſcriptum ſcias, id à canonicis novi fœderis libris excludas; ut à nobis alibi ſupra demonſtratum eſt. Itaque ſecutis ſæculis qui hunc iſtorum canonum librum vere Apoſtolicum fuiſſe putabat Damaſcenus, is non dubitavit eundem canonicis Scripturis accenſere, vere meritoque arbitratus, quicquid Apoſtolicum eſſe con-

ſtat, id canonicam in Eccleſia Chriſtiana authoritatem habere. Baronius ait Damaſcenum *inconſulte nimis feciſſe*; certe inquam, qui librum non Apoſtolicum Apoſtolicis, adeoque canonicis annumeravit. Sed & Turrianus, Baroni, *fortiſſimus* ille tuus *canonum defenſor*, & plerique omnes tui, & tu ipſe, ſiquidem idem cum iis ſentis: vos inquam, non minus *inconſulte*, quam Damaſcenus, facitis, qui, quem librum à canonicorum cenſu excluditis, eum tamen vere Apoſtolicum eſſe pugnatis. Ejuſdem enim eſt ſtultitiæ & librum non Apoſtolicum Novi Teſtamenti canoni inſerere, & Apoſtolicum in canonem non admittere. Prius facit Damaſcenus; poſterius adverſarii. Ergo utrorumque, quamquam diſſimilis, par tamen error atque temeritas eſſe videtur. Nam ſi quod hi ſtatuunt, vere ab Apoſtolis editi, vere à Clemente eorum diſcipulo, atque fidiſſimo velut amanuenſi ſcripti ſunt Canones, eos Damaſcenus jure meritoque in ſacro canone recenſuit; hoc enim ex illo neceſſario atque evidenter ſequitur. Quo fit, ut adverſarii, ſi bene res putetur, gravius etiam aliquanto, quam Damaſcenus, in hoc negotio, à vero rectoque aberraſſe videantur. Hic enim in eo quidem erravit, quod hos canones A-

 poſtolorum

poſtolorum (quod non ſunt) vere eſſe nulla ratione putavit; cæterum quid ex hoc ſemel poſito conſequeretur, recte vidit; nimirum augendum iis eſſe ſacrorum & divinorum canonem, quandoquidem ſunt Apoſtolici. Adverſarii vero, utroque in loco peccarunt; dum & Apoſtolorum eſſe hos, qui obtruduntur, canones, una cum Damaſceno delirantes opinati ſunt; neque tamen cum eodem quos Apoſtolicos cenſent, eos in θεοπνεύςων canone habendos exiſtimarunt. Quod ſi Damaſcenus paulo acrius ac diligentius mentem contendiſſet, facile ei erat ex eo, quod vere ſtatuebat, principio, errorem de canonibus ſuum perſpicere, eoque correcto recte de toto hoc negotio ſentire. Cum enim qui vere Apoſtolici ſunt libri, eos ille vere recteque ſtatuat in divinum novi Teſtamenti canonem eſſe referendos; profecto quem à nullo vetuſtiorum vir antiquitatis Eccleſiaſticæ peritus videbat in ſacrum hunc canonem relatum ſuum Canonum Apoſtolicorum codicem, eum inquam debuit neque vere Apoſtolicum eſſe, cenſere. Nulla enim ratio eſt, cur Apoſtolorum fuiſſe ipſe octavo demum ſæculo eum librum putaret, quem veteribus, præſertim trium primorum ſæculorum, Patribus ignotum fuiſſe, hinc clariſſime conclu-

concluditur. Nam Damaſcenus, vir, ut apparet, ſui ſæculi eruditiſſimus, & in veterum monumentis verſatiſſimus, neſcire non potuit, cum plurimi extent à veteribus traditi divinarum Scripturarum canones, nullum tamen inveniri, in quo liber Canonum Apoſtolicorum recenſeatur. Id vero uſque adeo clarum, certumque eſt, ut ne ipſe quidem Turrianus, vir alioqui omnium, qui canones defendunt, longe audaciſſimus, atque confidentiſſimus, cariſſimam illam ſuam canonum Apoſtolicorum ſyllogen in divinorum librorum cenſu habendam eſſe contendat. Nimirum videbat, aliud ſenſiſſe omnes omnis retro memoriæ (uno excepto Damaſceno) Chriſtianos; omnes Romanos Pontifices; omnes denique Synodos. Nullus enim eſt vel à Patribus, vel à Pontificibus, vel à Synodis traditus ſacer divinorum librorum canon, in quo ille Apoſtolicorum canonum codex cæteris annumeratus inveniatur. Ergo miſſis jam & Damaſceno, & Baronio, concludamus, non eſſe hunc, qui dicitur, Apoſtolorum librum, qui ſi eſſet ſcilicet, ab omnibus Chriſtianis, præſertim vero à vetuſtiſſimis, & Apoſtolico ævo proximis in ſacrum Scripturarum canonem haud dubie relatus eſſet; quod tamen à nemine ſex primorum, ac ne reli-

Digitized by Google

quorum quidem poſt ſextum ſæculorum (ſi unum Damaſcenum exceperis) factum eſſe ſatis conſtat.

V. Sed etſi negaverint adverſarii (quod tamen nulla ratione negari poteſt) debuiſſe veteres hanc collectionem, ſi eam Apoſtolicam ſciviſſent, in ſacrum Novi Teſtamenti canonem referre; illud quidem certe minime negaverint, fuiſſe eam ſaltem à veteribus, ſiquidem eam noviſſent, in Eccleſiaſticorum canonum codice inſerendam, ac ante cęteros omnes collocandam; qualiter eam Dionyſius, multoque poſt eum Iſidorus Mercator in collectionibus juris Eccleſiaſtici ſuis habuiſſe ac cenſuiſſe cernuntur, primo ſcilicet ſtatim loco ante omnes alios ſive Synodorum, ſive Pontificum, aut aliorum epiſcoporum canones. Hunc enim iis locum vindicabat tum antiquitas, tum authoritas Apoſtolorum; qui ſcilicet & primi omnium Chriſtianorum fuerunt, & ab ipſo Chriſto conſtituti ſunt totius Eccleſiæ magiſtri, ac rectores, cum ſumma authoritate tum in docenda fide; tum in ordinanda diſciplina; ut eorum canones, ſiqui revera fuiſſent, dubitari non poſſit, quin veteres magno in pretio habituri, ac primo ſtatim loco inter regulas Eccleſiaſticas, pro ſua & in Dominum pietate, & in Apo-

ſtolos

ſtolos reverentia, poſituri fuerint. Atqui veteres non modo non deprehenduntur, duplicem illam collectionem (id eſt, & Dionyſiacam 50. & Turrianicam 85, canonum) eo loco ac numero habuiſſe, ſed inſuper clariſſime, certiſſimeque inveniuntur utramque nullo plane loco, ac numero in ſuo canonum codice cenſuiſſe. Quod ut in clara, atque illuſtri luce conſtituatur, inprimis tenendum eſt, quinto ſæculo ante annum D. 451. inſtitutum fuiſſe à Chriſtianis canonum Eccleſiaſticorum codicem ſacrum; quem odoratus eruditiſſimus, & celeberrimus Juriſconſultus Jacobus Leſchaſſerius *a* ex quibuſdã Synodi Chalcedonenſis, & aliorum veterum monumentorum locis, ſolertiſſime ac fœliciſſime inveſtigavit, ac reperit; Jamque antea aliquid hujuſmodi olim extitiſſe ſubolfecerant & Baronius *, & Antonius Auguſtinus *b*. Nam, ut cętera loca nunc mittam, in Chalcedonenſi Synodo *c* citantur, ac diſcribuntur duo quidam canones, quorum unus 95. fuiſſe ibidem dicitur, alter 96. Λεόντιος ὁ εὐλαβέςατος ἐπίσκοπος Μαγνησίας ἀνέγνω,

Can. 95.

εἴτις ἐπίσκοπος σχολάζων, &c. *Leontius reverendiſſimus Epiſcopus Magneſiæ, ex codice relegit regulam nonageſimam quintam,*

a *Conſultat. de Controverſ. inter S. Pauli S. & Seren. Remp. Venet.*

* *a. D.* 341. *§.* 34.

b *l.* 1. *de emendat. Gratiani c.* 11.

c *Syn. Chalced. part.* 2. *act.* 11. *T.* 3. *Concil. p.* 406. *c.*

Siquis Epiſcopus vacans &c. Tum continenter; ὁ αὐτὸς εὐλαβέςατος Λεόντιος ἐπίσκοπος ἀνέγνω ἀπὸ τῦ αὐτῦ βιβλίυ.

a Ibid. D.

Can. 96.

Εἴτις ἐπίσκοπος χειροτονίαν λάβοι ἐπισκόπυ, &c. *Idem reverendiſſimus Leontius epiſcopus ex eodem codice legit regulam nonageſimam ſextam.* Siqus Epiſcopus ordinationem acceperit epiſcopatus, &c. Sed & præter hos duos à Clariſſ. Leſchaſſerio obſervatos canones, ex eodem codice in eadem quoque Synodo duo alii ſimiliter citati, ac deſcripti leguntur, quorum prior octogeſimus tertius dicitur, poſterior octogeſimus quartus; Ἡ ἁγία Συνοδος εἶπεν· οἱ θεῖοι τῶν πατέρων κανόνες ἀναγινωσκέσθωσαν, καὶ ἐμφερέσθωσαν τοῖς ὑπομνήμασι· Καὶ λαβὼν τὴν βίβλον Αέτιος ἀρχιδιάκονος, καὶ πριμμικήριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἀνέγνω.

b Ibid. act. 4. p. 324. d.

c Id canon ſub eodem numero 83. citatur itidem ab Epiſcopis Piſidiæ ep Synodica ad Leon. imperat. part. 3. Conc. Chalced. p. 523. e.

Κανὼν πγ′.

Εἴτις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδυ καθαιρεθεὶς, &c. περὶ τῶν ἑαυτὺς ἀφοριζόντων.

Κανὼν πδ′.

Εἴτις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, καταφρονήσας τῦ ἰδίυ ἐπισκόπυ, &c. *Sancta Synodus dixit; Sacri Patrũ canones legantur, & commentariis inſerantur. Sumptoque libro Aetius archidiaconus, & primicerius magnæ Eccleſiæ (C P. æ.) legit.*

Canon

Canon octogeſimus tertius.

Siquis Epiſcopus à Synodo depoſitus, &c.

Alius canon octogeſimus quartus.

De iis, qui ſe ipſos ſeparant.

Siquis presbyter, aut diaconus contempto proprio epiſcopo, &c. Alibi quoque in eadem Synodo, cum judices canones legi juſſiſſent, Beronicianus, Magiſtrianus, & Secretarius divini conſiſtorii, *ex codice dato ab Eunomio* dicitur legiſſe *CAN. VI.* (omnino in hoc numero mendum eſt; legendumque IV. pro VI. ut mox patebit) in hæc verba a, ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων καθίστασθαι, *Epiſcopum oportet quidem præcipue ab omnibus epiſcopis provincialibus ordinari,* &c. Ex his clariſſime conficitur, quod & pluribus demonſtravit Leſchaſſerius, & omnes nunc ſequuntur eruditi, Concilii Chalcedonenſis tempore, hoc eſt a. D. 451. extitiſſe in Eccleſia corpus, ſive codicem canonum perpetua numerorum ſerie diſtinctum, eo ordine, ut primum in codice locum occuparent Nicænæ Synodi Canones; inde ſequerentur Ancyranæ primo, tum Neocæſarienſis, mox Gangrenſis Synodorum canones, quos Antiocheni exciperent; conjunctim omnes ſub continuatis numeris decurrentes, ſic ut qui primus eſt Ancyrani

a *Ibid. act.* 13. *p.* 417. *F.*

cyrani

cyrani Concilii canon, is eſſet hujus codicis 21. qui Neocæſarienſis primus, is 46. loco in hac collectione occurreret, atque ita deinceps primus Gangrenſis ſub numero 60. Antiochenus primus ſub numero 80. reperiretur. Qui enim in Synodo Chalcedonenſi *Codicis ab Eunomio dati quartus* (ſic enim legendum eſt) *canon* dicitur, is deprehenditur Synodi Nicænæ quartus eſſe canon; qui vero ejuſdem codicis canones in eadem Synodo dicuntur *octogeſimus tertius*, *octogeſimus quartus*, *nonageſimus quintus*, & *nonageſimus ſextus*, eos conſtat eſſe Antiochenæ Synodi canones *quartum*, *quintumque*, *decimum ſextum*, & *decimum ſeptimum*; quibus ipſis locis evidenter occurrunt, Si Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, & Antiochenos canones perpetua (ut diximus) numerorum ſerie aſtrinxeris, ac in unum corpus vinxeris. Sunt enim (ut omnes norunt) Nicæni quidem canones viginti; Ancyrani vero viginti quinque, Neocæſarienſes quatuordecim, Gangrenſes viginti, Antiocheni viginti quinque; qui omnes ſi uno hoc ordine conjungantur, canones omnino fient quatuor, & centum; quorum hac ſerie diſpoſitorum octogeſimus tertius præciſe erit, qui Antiocheni Concilii ſeorſim ſumpti numeratur quartus;

Item

Item 84. qui ejuſdem Synodi eſt quintus; itidemque duo alii qui in Synodo Atiochena ſunt 16. & 17. numeris in Synodo Chalcedonenſi notatis accuratiſſime reſpondebunt. Eadem ex Chalcedonenſi Synodo jampridem obſervaverat Hincmarus *a*, cujus verba non pigebit deſcribere; *Sed & actio XII.* (inquit) *Chalcedonenſis Concilii, in qua ſcriptum habetur,* Regula 95. de Vacante Epiſcopo, *Et paulo poſt Leontius ex eodem codice legit* regulam 96. de his, qui ad epiſcopatum vocati evitant. *Quas regulas connumeratis à capite viginti capitulis Nicæni Concilii, ſiquis per ſingula conſequentia Concilia ex ordine numeraverit, in Antiocheno Concilio loca præfatorum numerorum tenere inveniet.* Hactenus Hincmarus. Atque hunc Synodicorum canonum ordinem omnes Græcorum, Latinorumque antiquæ collectiones exhibent; retinentque adhuc Græci Canoniſtæ; ut ex Zonaræ, & Balſamonis commentariis liquet. Sed & poſt Antiochenam Synodum, cujus à Patribus Chalcedonenſibus citati ſunt & deſcripti canones quatuor, eædem collectiones uno pariter omnes conſenſu exhibent Laodicenos canones, Conſtantinopolitanos, Epheſinos, & Chalcedonenſes; ut nullum ſuperſit dubium, quin is codex ipſe ille fuerit, quem clariſſ. Iuſtellus

a *op.* 55. *cap. c.* 21. *p.* 463. *extr. T.* 2.

Digitized by Google

ante annos 27. Lutetiæ hoc titulo publicavit *a*, Βίβλος κανόνων τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας, *Codex Canonum Ecclesiæ univerſalis*;

*a a.*1610

idque ipſum luculentiſſime confirmat codex Dionyſii Exigui ab eodem ex vetuſtiſſimis manuſcriptis libris a. D. 1628. ibidem editus; in quo ſuperiores illæ omnes regulæ in unum pariter corpus collectæ ſub perpetuis itidem, ut Græce, numeris decurrunt. Videat, qui plura deſiderat, Leſchaſſerium in libello nuper memorato, & ipſum Iuſtellum in præfationibus, quas & Codici Græco, & Dionyſio Exiguo præfixit. Nobis ad rem inſtitutam ſatis eſt, hæc delibaſſe, & quamquam breviter, valide tamen confirmaſſe. Nam cum ex his conſtet in veteri univerſalis Eccleſiæ codice anno adhuc 451. (quo habita eſt Chalcedonenſis Synodus) primos fuiſſe Nicænos Canones, vel cæcus videt, Eccleſiam ne tum quidem ullos habuiſſe Apoſtolorum canones; quos ſi habuiſſet ſcilicet, haud dubie Nicænis antepoſitura fuerat. Idem autem ille canonum publicus & univerſalis codex apud Latinos quoque extabat; ut ex Dionyſii ad Stephanum præfatione conſtat, in qua *priſcæ regularum Eccleſiaſticarum tranſlationis* diſerte meminit, aitque ejus confuſione offenſum Laurentium quemdam familiarem ſuum,

aſſidua

Digitized by Google

aſſidua cohortatione ſe ad eaſdem regulas de græco transferendas pepuliſſe. In hoc vero priſco Latinorum codice nullos fuiſſe Apoſtolorum canones abunde fatetur idem Dionyſius, dum alia quædam præfatus, Stephanum nominatim monet, *ſe in principio canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de græco tranſtuliſſe.* Quod ipſum inde quoque perſpicitur, quod Dionyſius regulas quidem Nicænas, Synodorumque conſequentium ad Conſtantinopolitanam uſque *ſub ordine numerorum, id eſt à primo capite uſque ad 165. ſe digeſſiſſe profitetur*, & digeſſit ſane; Canones vero Apoſtolorum ſeorſim initio extra hunc numerorum ordinem collocavit; non auſus ſcilicet veterem canonicorum numerorum catenam, ſolas Nicænæ, & ſequentium Synodorum regulas complectentem abrumpere. Sed & nullos in veteri Latina codicis tranſlatione Apoſtolicos canones extitiſſe, ex eo videre eſt, quod (ut acutiſſime obſervavit Vſſerius noſter *a*) Iſidorus Mercator, *cum in reliquis Conciliorum Græcorum canonibus antiquam verſionem retinuerit, in quinquaginta iſtis Apoſtolicis tranſlatione Dionyſii uti coactus eſt.* Nulli nempe tranſlati erant à veteri Latino interprete Apoſtolorum canones. Itaque non Latinis magis, quam Græcis, quarto

a *Diſſert. de Ignat. c. 6. p. 37.*

quarto ſæculo, quintoque jam ad annum 51. adulto cogniti erant iſti Apoſtolorum canones. Ac tametſi ſexto ineunte ſæculo quinquaginta Dionyſiaci jam extarent, ne tum quidem inter regulas Eccleſiaſticas ab omnibus admiſſi ſunt. Nam neque iis Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus locum ullum in Breviario canonum dedit, quod circa ſexti ſæculi principia concinnavit, atque publicavit; neque qui in Hiſpania a. D. 580. obiit, Martinus Bracarenſis, eos vel memoravit, vel uſurpavit, aut inſeruit in ſua illa Græcorum Canonum interpretatione, quam *Collectionis Orientalium canonum* nomine ad Nitigeſium a. D. 572. miſſam edidit. Huc & illa Gregorii Turonici *a*, jam ab aliis quoque obſervata, in Concilii Pariſienſis de Prętextati cauſſa narratione pertinent; *Ipſe vero* (Chilpericus) *diſceſſit, tranſmittens librum canonum, in quo erat quaternio NOVUS adnexus, habens Canones quaſi Apoſtolicos continentes hæc*, Epiſcopus in homicidio, adulterio, perjurio deprehenſus à ſacerdotio divellatur (quæ in canone 35. Dionyſiaco, tametſi non iiſdem plane verbis, leguntur.) Hinc vides illis temporibus (hoc eſt circiter annum D. 580. ignotos vulgo apud nos fuiſſe Canones iſtos Apoſtolorum Dionyſiacos;

a *l.* 5. *hiſt. Franc. c.* 18.

eos; vides eos in vetuſtioribus exemplaribus defuiſſe, ut Chilperici codici adnecti neceſſe fuerit NOVUM *quaternionem*, in quo deſcripti exhiberentur. Vides denique Gregorium inter ſuæ gentis Epiſcopos primarium, id velut novum atque inſolitum annotare, & canones iſtos veluti dubios, atque incertæ fidei non ſimpliciter *Apoſtolicos*, ſed *quaſi Apoſtolicos* vocare. Ergo ne ſæculo quidem ſexto præcipiti vulgo, paſſimque apud noſtros in regularum Eccleſiaſticarum codice habebantur Apoſtolici illi, tametſi à Dionyſio editi, quinquaginta canones. Sed & apud Hincmarum, noni ſæculi ſcriptorem, præter ea, quæ nuper notavimus, luculentiſſimus eſt de canonum Eccleſiaſticorum codice locus; in quo primo affirmat extare certos quoſdam canones *a*, *quos & Apoſtolica ſedes, & omnes Epiſcopi per univerſum orbem à primæ* (inquit) *ſedis Pontifice uſque ad illum, qui modo noviſſime, etiam poſt te* (Hincmarum Laudunenſem alloquitur) *eſt ordinatus Epiſcopus; imo & omnis Catholica Eccleſia* Canones *appellant*. Tum qui qualeſque ſint, clarius ac diſertius, ſigillatim hæc continenter ſubjiciens, ediſſerit; *quique à Nicæno Concilio* (inquit) *quod* PRIMUM *in noſtris codicibus (quos ab Apoſtolica ſede majores noſtri accepe-*

a l. capit. 55. capite 43. T. 2 Hincm. p. 543. extr.

 runt)

runt) ſequendos per ordinem uſque ad Africanum Concilium pro Canonibus recipiendis, venerandis, & obſervandis retinent, & Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelaſius, Hormiſda, Gregorius, & cæteri quique obſervandos canones nominant. Hactenus Hincmarus; ex quo liquet *primo* etiam tum (hoc eſt a. D. 870.) in Galliis noſtris extitiſſe Canonum Eccleſiaſticorum codicem; *ſecundo* in eo codice primo loco poſitos fuiſſe Nicænos canones; *tertio*, exinde in eodem diſpoſitos extitiſſe Synodorum ſequentium canones uſque ad Africanam; qui codex plane, ut utrumque comparanti conſtabit, ille ipſe eſt, quem Græco-Latinum publicavit clariſſ. Juſtellus a. D. 1610. *quarto* eum codicem à Sede Romana in Gallias ad majores Hincmari miſſam. Atque hinc apparet, cur quaternio, qui in Chilperici codice canones quaſi Apoſtolicos continebat, novus fuerit. Nempe in codicibus vetuſtiſſimis, Roma ſcilicet miſſis, PRIMUM, teſte Hincmaro, fuit Concilium Nicænum; itaque canones iſtos *quaſi Apoſtolicos* de novo, recentiori manu, ac opere ſuperadditi erant. *Quinto* deniq; docet nos Hincmarus, hujus codicis canones à Patribus, qui poſt eorum collectionem vixerunt, *canones*

nes ſimpliciter vocari; item *obſervandos canones* ab iiſdem nominari; quibus vocabulis ſupra diximus Turrianum ſuos illos falſo Apoſtolicos dictos canones voluiſſe ſignificari; quod quam falſo, ac præter rationem fecerit, nunc quidem nos luculentiſſime docet Hincmarus. Atq; ex his jam ſatis, ni fallor, conſtat totis prioribus quinque Chriſtianiſmi ſæculis neque apud Græcos, neque apud Latinos, in codice Eccleſiæ inter publicas regulas extitiſſe ullam Apoſtolicorum canonum ſyllogen, ſive priorem Dionyſiacam, quę 50. tantum canonum eſt, ſive poſteriorem Græcanicam, quæ triginta quinque capitulis auctior eſt. Hoc vero luculentiſſimum eſt, atque invictiſsimum veritatis, quam defendimus, argumentum; quod ſi vel unum eſſet, liquido & ineluctabiliter demonſtrat, neutram collectionem veteri illorum temporum Eccleſiæ cognitam fuiſſe; neutram adeo vel ab Apoſtolis ipſis editam, vel à Clemente Romano ſcriptam; quam ſcilicet (ſi qua hujuſmodi Chriſtianorum præpoſitis ab illis tradita eſſet) vel neſciviſſe, vel cognitam abjeciſſe, & à regulis Eccleſiaſticis eas, quas Apoſtolicas ſcirent, excluſiſſe omnes illorum quatuor & amplius ſæculorum homines, neque credibile eſt, neque poſſibile.

Cap. XX.

Arg. VI. inde ductum, quod omnes iſti canones omnibus quatuor priorum ſæculorum Chriſtianis ignoti fuerint; ut ex eo apparet quod à nullo iſtorum temporum ſcriptore uſpiam memorati reperiantur. Concluditur tota contra Canones iſtos diſputatio.

VI. Postremo illud ipſum inde quoque evidentiſſime apparet, quod veteres illi primorum quatuor & amplius ſæculorum Epiſcopi, non modo & hanc, & illam collectionem, Dionyſiacam inquam, & Græcanicam, vel in Scripturarum canonem, vel certe in regularum Eccleſiaſticarum codicem (quod utrumque fieri decebat) non retulerunt, ſed & inſuper neutrius in ullo ſuorum monumentorum, quæ propemodum innumerabilia ſuperſunt, mentionem uſpiam feciſſe reperiuntur; quod quidem quam vere affirmemus, ſatis eo ipſo demonſtravimus, quod ex omnibus Scriptorum illius ævi locis, quæ ſunt à Turriano, maximo antiquitatis helluone, adhæc impigerrimo & diligentiſſimo diſputatore, in hanc cauſſam inducta, plane nullum eſſe oſtendimus, qui ad iſtam Apoſtolicorum canonum collectionem

Digitized by Google

lectionem pertineat. Huc accedit, quod ſparſim multa in illorum Patrum contróverſiis ac cauſis obſervavimus, in quibus quam res ipſa poſcebat ac flagitabat horum Canonum fieri mentionem, ne talibus quidem locis ac temporibus factam fuiſſe ullam docuimus. Duo tantum iis, quæ ſuperius diximus, ad ejuſdem rei probationem addenda operæ pretium eſſe duximus. Unum eſt, quod neque Euſebius, neque Hieronymus, viri (ut notum eſt) eruditiſſimi, dum & Apoſtolorum & Clementis opera ſumma uterque diligentia recenſent, & ea, quæ iis falſo affingebantur, pari ἀκριβείᾳ exſequuntur, ac ſugillant, in neutro ordine Canones ullos Apoſtolicos memorant. Cur eos præterviſerunt, ſiquos vel veros vel falſos norant? Talibus viris ignotos fuiſſe Apoſtolorum Canones, (ſiquidem ii vere Apoſtolorum, & ea, quam tantus titulus depoſcit, veneratione vere digni ſunt) id inquam, tam ab omni rationis ſpecie abhorret, ut in hominis ſani ac ſapientis mentem venire non poſſit. Quis enim Chriſtiani totius orbis reverentia, ac religione conſecratas (ſi Turriano quidem credimus) regulas, à majoribus ſumma fide traditas, à poſteris pari cura ac ſtudio ſuſceptas, perpetua præteritorum ſæculorum praxi ſancitas, illu-

ſtriſſimum Apoſtolicæ ſapientiæ monumentum, unicum Eccleſiæ theſaurum, ac peculium; quis inquam, rem adeo publicam ac ſalutarem neſciviſſe putaverit viros clarisſimos, & eruditionis Eccleſiaſticę ſuo utrumque ſęculo facile principes? Sin iis notos quidem canones fuiſſe dicas; cæterum quos probe noverant, eos vel oblivionem, vel de induſtria prætermiſiſſe; quis abſurdiſſime, neque ulla veri ſpecie fucato mendacio fidem habuerit? Euſebio ſcilicet, vel Hieronymo non venerit in mentem inter Apoſtolorum opera, id quod inprimis nobile erat, ac neceſſarium, & ſi non primo, certe ſecundo loco dicendum, commemorare? idem fuerit eorum torpor, dum Clementis ſcripta recenſent; cujus quidem manus nihil iſtis Canonibus vel præſtantius, vel Eccleſiæ utilius elucubravit, ſiqua iſtis Turrianicarum partium hominibus fides. Atqui ne craſſi quidem, ac pingues de vulgo ſcriptores tantum flagitium commiſerint; nedum ut in id incidiſſe credamus Euſebium, aut Hieronymum. Hos vero eos conſulto prætermiſiſſe, abſurdius dictu eſt, quam ut refelli mereatur. Quæ enim ratio viros ſapientiſſimos id conſilii capere ſubigebat? Verſent ſe in omnes partes Turriani, Biniique, ac Bellarmini; Nunquam ullam

Digitized by Google

ullam afferent tam abſoni, tamque abſurdi facti rationem. Hoc Euſebii, hoc Hieronymi (ut cæteros taceam, quorum omnium eadem fuit oblivio) ſilentium omni voce clarius clamat, omnique ſermone diſertius loquitur nullos ab Apoſtolis editos, nullos à Clemente ſcriptos iſtos Canones. Alterum ſecundo hic loco obſervandum eſt, quod cum quatuor, iſtorum primorum ſæculorum Patres & in Synodicis actis ſæpe, & in propriis ſinguli operibus interdum quædam vel conſtituant, vel commemorent, quæ in ea, quam habemus, Apoſtolicorum canonum ſylloge decreta quoque, ac perſcripta leguntur, nullus tamen hujus generis locus occurrit, in quo veteres illi authores hujus Apoſtolicę Sylloges vel verba nominatim citent, ac deſcribant, vel ſaltem canonis, in quo id ipſum, quod præcipiunt, decernitur, numerum annotent. Pauca è multis exempla hic obſervare lubet. Ecce verbi gratia, quod in primo ſtatim Sylloges canone decernitur, ut *Epiſcopus à duobus, tribuſve Epiſcopis ordinetur*; id ipſum inquam, & Synodus Nicœna *a*, & Arcelatenſis utraque *b*, & Carthaginenſis *c* 2. decernunt, & Theodoretus *d* memorat; ſed ita ut neque illæ Synodi, neque hic ſcriptor idem ab Apoſtolis canone primo conſtitutum

a *can.* 4.
b. *Syn. Arel.* 1. *c.* 21. *Secunda c.* 5
c *can.* 21.
d *hiſt. l.* 5. *c.* 9.

Digitized by Google

ſuiſſe vel dicant, vel innuant. Sic etiam quod eadem Apoſtolicorum canonum ſylloge canone 13 (14) vetat epiſcopum alienam parœciam invadere, id ipſum Nicæna *a* quoque & Antiochena *b* Synodus vetat; neutra Apoſtolicam, vel Clementinam Syllogen memorat. Eadem quoque ejus eſt ratio, quod Apoſtolico canone 14 (15) adverſus presbyteros deſerta ſua parœcia in aliam migrantes decretum Antiochena *c* itidem & Nicæna *d* Synodus præcipit. Canone Apoſtolico 31 (33) ſtatuitur, nequis Epiſcopus presbyterum vel Diaconum ab alio Epiſcopo ſegregatum ſuſcipiat. Idem nuper memoratæ Synodi, ſed nulla de Apoſtolis injecta mentione, præcipiunt. Sed & Antiochena *e* eodem quoque modo vetat Epiſcopum extra ſuam parœciam ordinationes facere; quod itidem prohibet Apoſtolicæ ſylloges canon 34 (36) Apoſtolicus canon 36 (38.) duas quotannis Synodos provinciales celebrari jubet; priorem quarta Pentecoſtes hebdomade; alteram Hyperberetæi (id eſt Octobris) die duodecimo. Nicæni *f* & Antiocheni *g* Patres idem quoque ut fiat decernunt; niſi quod Nicæni priorem ante quadrageſimam, Antiocheni itidem, ut Apoſtolicus canon, quarta Pentecoſtes hebdomade colligi volunt; & hi alteram ad

a c. 15.
b c. 21.
c c. 3.
d c. 16.
e c. 5.
c. 6.
c. 13.
f c. 5.
g c. 20.

decimum

decimum Hyperberetæi (non in duodecimum) indicunt, quam Nicæni ſimplicius, ac ſolutius *circa tempus autumni* haberi ſciſcunt. Apoſtolici canonis, neque ubi cum eo conveniunt, neque ubi ab eo diſcedunt, neutri meminerunt. Antiocheni *a* ea quoque decernere reperiuntur, quæ Apoſtolicis canonibus 37 (39) & 39 (40) de Eccleſiaſticis, & Epiſcopalibus rebus, utrarumque diſtinctione, præcipiuntur; ſed nullis nominatis vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis canonibus. Multa alia ſunt in veterum libris, præſertim vero in Antiochena hac Synodo, quæ ad ea pertinent, quæ Apoſtolicis canonibus continentur. Rogo, cur Nicæni, cur cæteri, cur præſertim illi Antiocheni, non ſignificent diſerte, ſe iſta ex Apoſtolorum ſylloge Clementis manu, atque authoritate tradita habere? Atqui Scripturę locum aliquem quoties uſurpant, toties fere ſolent authorem loci edere, vel certe divinas Scripturas, aut Apoſtolos nominare. Cur in ſolis canonibus aliter inſtituunt? Atqui id talibus locis diſerte monere, & ad Apoſtolorum laudem, & ad ipſorum ſcriptorum pietatem, & ad rerum, quas præcipiunt, authoritatem inprimis pertinebat. Scio, quid reſpondeat Turrianus, ſæpe iſtos in hujuſmodi locis *canones*, vel *antiquos*, vel *Eccleſiaſticos*,

a c. 24.

& *mores*, & *conſuetudinem* nominare; his autem vocabulis ſuæ ſylloges librum ac decreta ſignificari. Sed primo neque ſemper id faciunt, ſed raro; neque qui *antiquos* aut *Eccleſiaſticos Canones*, aut *mores*, & *conſuetudinem* nominat, is ſtatim Apoſtolicos Turrianicæ Sylloges canones vel ſignificat, vel ſignificare intelligitur. Plane contra videtur potius aliquid ab Apoſtolico diverſum ſignificari; hujuſmodi ſcilicet, quod non quidem ab Apoſtolis decrerum fuerit, ſed tamen Eccleſiæ vel more, & uſu tacito, vel etiam præcepto conſtitutum invaluerit. Quid opus erat iſtis ambagibus, ſi Apoſtolis in Clementino codice hæc, quæ ipſi decernunt, decreta jam fuiſſe, ſignificare Patres volebant? Cur hoc non dicunt aperte? cur non ſimpliciter & bona fide eloquuntur? Hoc quidem multo fuerat, ut quivis videt, ad rem aptius. Itaque poſtquam iſta Sylloge innotuit, hoc eſt poſt ſæculum ſextum inchoatum, quotquot aliquid ex ea citare cupiunt, ii fere librum aperte nominant, & ea dicunt, ex quibus omnes intelligunt, eos, non Eccleſiæ, vel Patrum decreta, ſed (quod multo amplius eſt) ipſorum Apoſtolorum canones, & quidem ex aliqua vel ab ipſis, vel à Clemente, vel certe ab antiquiſſimis facta collectione. Ita

Septi-

Septima Synodus *a* a. D. 787. *Divinos* (inquit) *canones amplectimur, quod S. Apoſtoli, Spiritus S. clariſſima tubæ ediderunt.* Et paulo poſt, *Fiat* (inquit *b*) *ſecundum canonem Apoſtolorum, qui ait,* Siquis epiſcopus pecunia hanc dignitatem obtinuerit, aut presbyter vel Diaconus, privetur omnino communione, ut Simon Magus à me Petro. Canon autem iſte eſt Apoſtolicæ collectionis 28. (30) totus de verbo ad verbum deſcriptus. Et alibi de eo, qui bona Eccleſiæ alienat, *Sit* (inquit *c*) *irritum ſecundum canonem Apoſtolorum, qui ait,* Omnium bonorum Eccleſiaſticorum; & cætera. Recitat autem Turrianicæ collectionis canonem 37 (39) totum. Ita etiam Synodus Pariſienſis ſub Ludovico; *In canonibus qui Apoſtolorum prænotantur* (inquit *d*) *titulo* 41. *ita legitur*; tum canonem illum (qui grecis eſt 40. Latinis ex Dionyſio 41.) ad verbum recitat. Neque fere aliter cæteri. Cur non ſic quoque primorum quatuor ſæculorum ſcriptores? è quibus, ſi unum dederit Turrianus, qui canones ſuos Apoſtolicos ita citaverit ut iſti Pariſienſes, non pugnabo, quin triumphet. Nimirum hi quidem recentiores iſtam canonum ſyllogen norant, & vere Apoſtolicam putabant: Illi veteres nullam ſciebant; nullam ab Apoſtolis editam

a c. 1.

b c. 5.

c c. 12.

d c. 15.

Digitized by Google

editam credebant. Hæc vera eſt diſcriminis ratio. Fruſtra aliam quæſieris.

Itaque cum tam multis tamque evidentibus argumentis, & cujuſque partis propriis, & utriuſque communibus, tum à rebus ipſis, tum à veterum teſtimonio petitis, demonſtratum ſit, neutram collectionem, id eſt, neque Dionyſiacam, neque Turrianicam, vel Apoſtolorum eſſe, vel Clementis; illud poſtremo quod probandum ſuſceperamus, concludendum eſt, Gelaſium urbis Epiſcopum, ſeptuagintaque Romanæ Synodi Patres, quidquid illius libri eſt, qui *Canonum Apoſtolicorum* dicitur, vere ſane, meritoque, ac ſapienter in *apocryphorum* cenſum rejeciſſe; graviterque hallucinari omnes ſive Græcos, ſive Latinos homines, qui ſpreto ac conculcato venerandorum illorum Patrum judicio, illam Syllogen vel totam, vel certe priorem ejus partem, vere Apoſtolicam eſſe, inanibus recentiorum ſomniis, ac præjudiciis faſcinati contendunt; quaſi ſcilicet vel Trullanum Conciliabulum, vel Ieſuitæ nudius tertius nati melius intelligant, qui veri ſint Apoſtolorum libri, quam Gelaſius & æquales Epiſcopi, qui ducentis annis ante Trullanum conventum, mille & quod excurrit ante exortum Ieſuitarum parentem

Igna-

Ignatium, in Eccleſia floruerunt, maximaſque dignitates geſſerunt.

CAPUT XXI.

Expenditur, ac refellitur, & exploditur Albaſpinei de Canonibus conjectura; diverſis temporibus ab Apoſtolicis viris conditos, ſenſimque alios aliis additos, in eam, quam habemus, Syllogen, paulatim excreviſſe, præter omnem rationem hariolantis. Syllogen quinto ſæculo, ſed jam adulto, factam ac publicatam videri.

ID unum jam ſupereſſe videtur, ut Albaſpinei Aurelianenſis Epiſcopi, ſingularem de his Canonibus ſententiã expendamus. Is enim, ut ſupra diximus, concedit, imo & validis rationibus probat hos Canones, quod veriſſimum eſt, & ex ſuperioribus patet, non uno eodemque ſeculo omnes fuiſſe conditos, ſed aliis alios temporibus; quoſdam primo ſecundoque Chriſtianiſmi ſæculo ab Apoſtolicis, id eſt Apoſtolorum ſucceſſoribus, quoſdam, ut verbi gratia, eos, qui de admittendis ad pœnitentiam lapſis, præcipiunt, tertio ſæculo, Cypriani demum ævo ab aliis Epiſcopis; atq; ita de cęteris: ac cum initio primi illi ab Apoſtolicis viris facti in unum collecti eſſent,

a l. 1. obſerv. c. 13. p. 38. init.

Syllogen

logen ipſam ab authorum nomine *Apoſtolicorum canones* appellatam fuiſſe : auctamque poſtea diverſis temporibus, cum prioribus canonibus ſubinde alii adiicerentur, & eodem volumine comprehenderentur, vetus Canonum *Apoſtolicorum* nomen, quod primæ partis proprie fuerat, penes totam Syllogen hæſiſſe, tametſi non omnes, ſed primi tantum & vetuſtiſſimi Apoſtolicorum proprie eſſent; alii vero à diverſis vel Epiſcopis, vel etiam Synodis diu poſt primos illos conditi eſſent, & in hunc codicem ſuis quique temporibus relati; itaque nihil aliud eſſe hanc canonum ſyllogen, quam *breviarium & epitomen privatorum Conciliorum, & rerum ab Epiſcopis privatis ſancitarum, qui Eccleſias Græcas ante Concilium Nicænum adminiſtrarunt.* Cæterum ex *Apoſtolicorum Canonibus*, quod prius, veriuſque fuerit Sylloges nomen, *nonnullorum Latinorum ignorantia, aliquot litterarum detractione, factos, dictoſque eſſe* Apoſtolorum canones. Hæc viri eruditiſſimi, & in antiquitatibus Eccleſiaſticis verſatiſſimi ſententia, prima fronte magnam præ ſe fert veri ſpeciem; ſed tamen ſi penitus & accuratius excutiatur, deprehendetur & ipſa multa continere à vero & recto aliena. Vt autem clarius eluceſcat, quid ſit de ea tota

tota ſtatuendum, hujus Sylloges, (quæ vulgo dicitur *Canones Apoſtolorum*) *forma* inprimis à *materia* (ut loquuntur in ſcholis) diſtinguenda eſt. *Materiam* hujus ſylloges appello res ipſas, quæ in canonibus vel præcipiuntur, vel vetantur, ſingulaque decreta, ex quibus coagmentatis, & inter ſe colligatis facta eſt ſylloge. *Formam* vero intelligo & ipſum illum ordinem, quo canones per numeros decurrunt, iis tanquam hamis conſerti; & orationis totius ſpeciem, hoc eſt & verba, quibus illa decreta hic expreſſa habentur, & perſonas quæ inducuntur, hæc decernentes, & loquentes. Hęc enim plurimum inter ſe differre nemo adeo craſſus eſt, qui non videat; ut in juris Canonici corpore, quod à Gratiano compilatum *decretum* vulgo dicitur, aliud eſt *materia*, ex quâ id conflatum eſt, ſcilicet Synodorum & Pontificum conſtituta, Patrumque ſententiæ; aliud *forma*, quam operi author indidit, illa tam multa, & ex tam variis locis, ac temporibus comportata certo inter ſe ordine diſponens, ac connectens; unde totum opus *Gratiani* dicitur; tametſi pene omnia, quę continet, non Gratiani, ſed longe aliorum authorum ſint. Ergo, ut ad inſtitutum veniam, ſi ipſam Canonum Apoſtolicorum *materiam*

riam ſeorſim ab ea forma, quam in hac ſylloge habet, ſumptam nude, ſimpliciterque ſpectemus; fateor equidem ei propemodum convenire, quod ait Albaſpineus, ejuſque adeo ſententiam proxime ad verum accedere, ſi de hac Canonum materia ſic ut dixi, intelligatur. Apparet enim, plurima ac fere omnia, ex quibus hæc ſylloge conſtat, decreta, ſi per ſe ſingula conſiderentur, variis temporibus, aliis alia ſæculis, & locis, toto quatuor primorum ſæculorum decurſu in Eccleſia Orientali facta fuiſſe: idque optime demonſtrant argumenta ab Albaſpineo allata; inde ducta, quod multa in hac ſylloge diſerte conſtituta, decretaque legantur, quæ ad controverſias, ſæculis Apoſtolorum tempora conſecutis exortas pertinent; item quod in eadem Sylloge *aliquot canones inveniantur, quos ex Concilio Gangrenſi deſumptos eſſe vel ipſa lectione conſtet.* Cui Albaſpinei obſervationi illud quoque adjecerim, videri & ex Antiocheno Concilio deſumptos non paucos hujus Apoſtolicæ farraginis canones, ut alteros cum alteris conferenti liquebit. Sed ne in hac quidem parte plane, penituſque in Albaſpinei ſententiam poſſum concedere, & cum eo fateri omnia; quæ in his Canonibus habentur, ex privatis Græcorum, ſive Conciliorum, ſive

Digitized by Google

ſive Epiſcoporum actis decretiſque ſumpta fuiſſe. Nam quædam in his legimus, quæ ab omnis Græcanicæ Eccleſiæ, præſertim ante Nicænam Synodum doctrina ſic abhorrent, ut non ſit veriſimile, ea unquam ab ullo Græcorum Catholicorum ſive Concilio, ſive Epiſcopo, fuiſſe tradita; quale eſt, verbi gratia, quod 84. & 85. canonibus de libris divinis decernitur. Quis enim quæſo vetuſtiorum, non dico Latinorum, ſed & Græcorum Patrum, tertium librum Maccabaïcum in ſacrum veteris Teſtamenti, vel Clementinarum Conſtitutionum octo volumina in novi canonem ante hujus Sylloges patrem retulerat? Hic vero error uſque adeo craſſus eſt, ut neminem Catholicorum veterum authorem habuiſſe videatur. Hoc quidem conſtat, nulla ejus in trium primorum ſæculorum monumentis, quantumvis levia occurrere uſquam veſtigia; ut illud mittam, fieri non potuiſſe, ut Conſtitutionum Clementinarum libros quiſquam ante Nicænæ Synodi tempora in canonem ſacrum referret, quas ſcilicet nondum tunc extitiſſe, ſed temporibus eam Synodum conſecutis efficta ac conſarcinatas fuiſſe ſatis, ni fallor, ſuperiori diſputatione demonſtratum eſt. Cæterum his, & pauculis ſi forte aliis canonibus demptis, libens confiteor, quæ in aliis

pleriſque omnibus decernuntur, ea ex Græcæ Eccleſiæ ſive Synodicis conſtitutis, ſive etiam epiſcopalibus reſcriptis, adhæc moribus & ritibus obſervationibuſque, uſu ac conſuetudine invectis ac confirmatis, deſumpta videri. Atque hæc quidem de Canonum *materia* ſeorſim ſpectata. Si vero opus quale circumfertur, totum conſideremus, habita ratione non *materiæ* modo, ex qua compoſitum eſt & conflatum, ſed & *formæ*, ad quam effictum & concinnatum id cernitur; hic profecto ab Albaſpinei ſententia diſcedere, & in alia omnia ire cogimur. Nam ſi res accuratius expendatur, nihil eorum, quæ ille ponit, poterit conſiſtere; facileque deprehendetur iſta Sylloge longe aliter, quam ille narrat, facta fuiſſe; ab eaque forma, quam ipſe ei tribuit, plurimum abhorrere. Nam ut hic ordiar, id inprimis procul à vero eſſe videtur, quod ille ait hunc codicem *breviarium eſſe, atque epitomen Eccleſiaſticorum ante Nicænam Synodum apud Græcos decretorum*. Si enim res ita ſe haberet, omnino hanc Syllogen codici canonum Eccleſiæ univerſalis ejus authores inſeruiſſent; imo primo codicis loco poſuiſſent, velut & à viris Apoſtolicis exortum, & ipſa antiquiſſimi temporis vetuſtate venerabile monumentum. Quale enim quæſo iſtud

iſtud eſt, ut qui Antiochenos canones ab authoribus parum probatis Arianiſmique merito ſuſpectis conditos, Codici Eccleſiaſtico inſeruerunt, iidem nullum in ſuo codice locum iis canonibus darent, quibus totius Eccleſiaſticæ antiquitatis jam inde à viris Apoſtolicis ad Nicæna uſque tempora ductæ *breviarium* ac *epitomen* contineri ſcirent? Tum ſiquis extitiſſet hujuſmodi codex, cur nunquam eum diſerte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæſarienſes, Antiocheni, alii Patres? cur non interdum aliquem ex iſtius codicis canonibus indicato, ac nominato numero, ſub quo in eo poſitus extat, citarunt, ac laudarunt? verbi gratia hoc modo; *decernit canon Apoſtolorum primus*, vel *triceſimus*, vel *quinquageſimus*, &c. Sicuti à Patribus Chalcedonenſibus in Codice Eccleſiæ univerſalis uſurpatum eſt; quo ſcilicet ejus codicis canonem *quartum*, *octogeſimum tertium*, *quartumque*, & *nonageſimum quintum*, *ſextumque* his diſerte numeris expreſſis, laudaſſe ac deſcripſiſſe nuper demonſtravimus? Nimirum hi quem ita laudarent Eccleſiaſticum canonum codicem in promptu habebant; Illi, quem ita citarent, Apoſtolicum nullum habebant. Denique hunc Apoſtolicum codicem (ſi is vere tum fuiſſet habitus

pro breviario) quis Gelaſium, ſapientiſſimum, ut ferunt, antiſtitem; quis Epiſcopos Romani Concilii ſeptuaginta, inter apocrypha procul ab Eccleſiaſticis libris rejecturos fuiſſe crediderit? Hæc vero neſcio quibus perſuaſurus ſit Albaſpineus: mihi quidem certe non perſuadet. Eadem eſt cęterorum, quæ cum his connexa ponit, ratio. Statuit horum Canonum codicem jam inde à principio incœptum, inchoatumque, & ex Apoſtolicorum virorum paucis primo decretis collectum, adjectorum poſtea ſequentibus ſubinde temporibus canonum acceſſione paulatim auctum in eam tandem, quam videmus, ſpeciem ac formam ante Concilii Nicæni tempus coaluiſſe. At huic figmento repugnat ipſa totius operis ratio. Primo enim ſi verum eſſet, quod ſtatuit Albaſpineus, canones pro ipſorum temporum, quibus ſinguli conditi ſunt, ordine, in hæc ſylloge diſpoſiti occurerent; ſub primis numeris, qui primi ab Apoſtolicis viris conditi eſſe dicuntur; ſub ſec[illegible] [illegible]ntibus ſæculis facti [illegible]

[illegible] rrentiu[illegible]

veniebant, in medium conjecta, confuſaque, non temporibus, non rebus ipſis ſed ſolis numerorum notis cohęrentia reperiuntur. Ecce habemus veteris Eccleſiæ illum, de quo paulo ante diximus, Græcum codicem, omnino ejus formæ ac rationis, cujus Apoſtolicam farraginem eſſe vult Albaſpineus. In eo nemo non videt, accuratiſſime habitam eſſe temporum rationem; præcedere Nicænæ Synodi Canones, utpote vetuſtiſſimæ, a. D. 325. habitæ; ſubſequi ſecutis temporibus habitarum Synodorum regulas, Gangrenſis eodem anno, ſed poſt Nicænam; Antiochenæ, a. D. 341. Laodicenæ, a. D. 364. Conſtantinopolitanæ, a. D. 381. Epheſinæ, a. D. 431. Chalcedonenſis, a. D. 451. Ac ſicubi eum ordinem ob gravem aliquam rationem violari placuit, ut in Ancyranis, & Neocęſarienſibus canonibus factum eſt, qui Nicænis [illegible] tempore an[illegible],poſtpoſiti ſu[illegible],de eo dili[illegible]onitus eſt [illegible] ſi-[illegible] his negl[illegible] qui [illegible] vatus eſt [illegible] m [illegible] cx; *(Co[illegible] ni [illegible] dem p[illegible] i- [illegible] poſiti [illegible] u- [illegible] Decur[illegible]* in [illegible] nſiu [illegible] *eo-[illegible] nſis*

3

Cæſarienſis canones 14. *qui quidem ſunt Ancyranis poſteriores, Nicænis vero antiquiores.* Ergo, ſi ad hanc formam, quod vult Albaſpineus, factus quoque fuiſſet Apoſtolicorum (ut vocant) canonum codex, dubitandum non eſt, quin, quem ipſa recta ratio ſuadebat temporum ordinem in eo concinnando collectores perinde ſecuturi fuerint, ac ii ſecuti eſſe cernuntur, qui codicem Canonum Eccleſiæ univerſalis collegerunt. Imo neceſſario iſte temporum ordo in hoc codice ſervatus inveniretur, quem ſtatuit Albaſpineus, non ab uno collectore ſimul ac ſemel concinnatum, ſed à pluribus diverſis, quorum ſuo quiſq; tempore, alii aliis ſuccedentes, illis, quæ à majoribus jam perſcripta & collecta inveniebant, ea, quæ ſua memoria in Eccleſia conſtituta norant, adjecerint. Atqui nihil (ut diximus) hujuſmodi in hac canonum Apoſtolicorum ſylloge deprehenditur. Ergo eam neceſſe eſt aliter, quam ſtatuit Albaſpineus, factam eſſe. Præterea ſi vera eſſet ejus ſententia, nulla ratio dici poteſt, cur non fuerit in hoc codice perſcriptum, atq; diſerte annotatum, quorum ſive Conciliorum, ſive Epiſcoporum vere ſint ſinguli canones, ex quibus totus codex conflatus eſt, qualiter in omnibus Græcorum collectionibus, quæ ſunt hujus generis ex diverſo-

Digitized by Google

diverſorum authorum canonibus coagmentatę, factum videmus. In iis enim diſerte annotatur, quorum ſint authorum ſingulæ totius ſylloges partes: hos eſſe Nicænæ, illos Baſilii, & ſic de cæteris. Fateor, quod hoc loco ait Albaſpineus, *Græcos ſolitos fuiſſe uno eodemque quaſi titulo & volumine complecti, cum antiquos canones, tum recentes.* Quod vero ibidem ſubjicit, hoc eos feciſſe, *nulla concilii, temporis, authorumque mentione facta, quique præcedentibus addebantur canones eos, tacito ordine numeroque, quem in Conciliis, unde decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accepiſſe, quibus in illa collectione adjiciebantur; ut ſi jam centum canones præpoſiti fuiſſent, qui de novo addebatur, centeſimus primus cenſeretur; parque eſſet in cæteris ratio*; id inquam Albaſpinei dictum non poſſum totum planeque admittere. Cætera vera ſunt; illud nunquam probabit Albaſpineus in hujuſmodi Græcorum collectionibus *nullam* factam fuiſſe *mentionem Conciliorum, nullam authorum*, à quibus conditi eſſent canones, qui iis continebantur; nullum unquam afferet tam abſurdi ineptique atque indigeſti codicis è Græcis exemplum; in quo ſcilicet diverſorum authorum canones confuſi ſimul, permixtique ja-

a *ub. ſupr. p.* 58.

 ceant,

Digitized by Google

ceant, nulla authorum, quorum ſinguli ſunt, nomenclatura adhibita, inter ſe diſtincti. Neque verum eſt, id à Baronio *a*, aut Antonio Auguſtino, quod ait Albaſpineus, annotatum eſſe; Nihil aliud uterque annotant, niſi hoc unum, jam ante Chalcedonenſem Synodum *extitiſſe quandam communem canonum collectionem communi majorum authoritate probatam*; & in ea *ſuum locum habuiſſe Antiocheni Concilii canones*; quod ſane veriſſimum eſt, & à nobis nuper ex iis ipſis Chalcedonenſis Synodi locis, ex quibus id iſti ſubodorati ſunt, luculentiſſime demonſtratum. Hinc vero non modo non firmatur, ſed clariſſime etiam refellitur, ac coarguitur, quod probare ſtudet Albaſpineus. Nam illa Chalcedonenſi Synodo antiquior à Baronio, & Auguſtino memorata collectio; illa inquam, quod paulo ante oſtendimus, nihil aliud erat, quam prima ejus *codicis* pars, qui Lutetiæ a. D. 1610. publicatus eſt, hoc titulo, *Codex canonum Eccleſiæ univerſalis*, quemque olim Dionyſius Exiguus Latine de novo interpretatus eſt ob veteris tranſlationis confuſionem. Iam vero conſtat tum ex Græca, tum ex Latina Dionyſiaca hujus codicis editione, diſerte *factam fuiſſe* in eo *mentionem Conciliorum, atque authorum*, à quibus conditi ſunt

a *Baron. a. D.* 341. §. 34.

b *Ant. Auguſt. de emend Grat. dial.* 11.

ſunt ii canones, quos tota collectio continet. Numeri, fateor, ſub quibus apud ſuos quique authores extabant, mutati ſunt, proque iis, quod optime obſervavit Albaſpineus, alii notati ex ordine, ac loco, quem in communi hoc codice habent; ut, verbi gratia, qui Ancyrani Concilii primus eſt canon, is in hoc communi codice, cenſetur & indigetatur viceſimus primus, quod primo poſt 20. Nicænæ Synodi canones loco occurrat; & ſic deinceps de cæteris res habet. Cæterum in hujus numeri capite diſerte monet codex, qui ſequuntur canones, eos Ancyranos eſſe; & Ancyranis in 45. numero explicitis, itidem docet, qui poſt illum 45. numerum ſubjiciuntur canones, eos eſſe Neocæſarienſes; atque ita deinceps canonum authores præfixi ſingulis partibus tituli edunt. Si ergo ad hoc exemplum, quod ſtatuit Albaſpineus, facta eſſet Apoſtolicorum canonum collectio, tametſi numeri canonum perpetua ſerie à capite ad calcem decurrant, tamen additum ſignificatumque eſſet ſingulis locis (ut in codices univerſalis Eccleſiæ factum eſt) quos quique canones authores habuiſſent; nihil autem in iſta Sylloge tale occurrit; nihil ex quo intelligi poſſit vel diverſos fuiſſe canonum authores; nedum ut inde diſcere liceat,

 quinam

quinam revera ſinguli authores fuerint. Ergo falſum eſt, eam fuiſſe, quam vult Albaſpineus, hujus collectionis rationem. Sed quid ego, quaſi res obſcura ſit, argumentis utor? Ipſe codex, Albaſpineo ita clare valideque reclamat, ut mirum ſit tali viro tam alienum à re ipſa figmentum in mentem venire potuiſſe. Non enim qui hoc codice continentur canones, authores ſuos, quod ille vult, *tacent*; ſed eos edunt, profitentur, eloquuntur, identidemque inculcant; non diverſorum, quod ille pertendit, ſæculorum, ſed unius ejusdemque temporis homines; non denique (quod ille ſomniat) Apoſtolicos viros, non Epiſcopos, ſive ſeorſim ſingulos, ſive una in Synodis congregatos jura dictantes; ſed ipſos Domini Chriſti Apoſtolos. Mitto, quæ Apoſtoli his Canonibus in Conſtitutionum Turrianicarum calce præfantur: mitto, quæ poſt 85. hoc eſt ultimum canonem perorant; horum ſibi canonum opus vindicantes. Ipſos canones interrogemus. Nonne canon 28. (30) contra Simoniacos, Petrum ex authorum ſuorum numero unum fuiſſe diſerte teſtatur, adeoque Petri collegas, unaque cum iis ipſum Petrum, hoc eſt omnes Apoſtolos authores ſe habere docet? Sic enim de Simoniaco præcipit; καθαιρείσθω καὶ

αὐτὸς

Digitized by Google

αὐτὸς καὶ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ Μάγος ὑπὸ ἐμοῦ Πέτρου. dejiciatur & ipſe & ordinator ejus, & a communione modis omnibus exſcindatur, ut Simon Magus a me Petro. Id ipſum profitetur canon 50. (49) qui hæc apud Dionyſium habet; *Non enim dixit NOBIS Dominus, In morte mea baptizate, ſed,* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qui hos canones condunt, aperte affirmant, ſe eos ipſos eſſe, ad quos hæc verba fecit Chriſtus, hoc eſt (ut omnes intelligunt) Apoſtolos. Quo & illud pertinet, quod canone 81. ubi de ſervo ſermo eſt ad miniſterii Eccleſiaſtici gradum idoneo, *οἷος* (inquiunt) *καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, qualis noſter quoque Oneſimus viſus eſt.* Clare, ut quivis videt, Oneſimum Philemonis fugitivum, Pauli diſcipulum, intelligunt; quem ideo ſuum vocant. Denique nequid dubii ſuperſit, Apoſtolos ſe diſerte vocant canone ultimo, dum Actus Apoſtolorum, quos in divinorum librorum canonem poſt Clementinas Diataxes referunt, ſic deſcribunt, *καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, & actus noſtri Apoſtolorum.* Ergo quicumque ſint, qui hos canones collegerunt, eorum certe mens ea non fuit, quam fingit

Albaſpi-

pleriſque omnibus decernuntur, ea ex Græcæ Eccleſiæ ſive Synodicis conſtitutis, ſive etiam epiſcopalibus reſcriptis, adhæc moribus & ritibus obſervationibuſque, uſu ac conſuetudine invectis ac confirmatis, deſumpta videri. Atque hæc quidem de Canonum *materia* ſeorſim ſpectata. Si vero opus quale circumfertur, totum conſideremus, habita ratione non *materiæ* modo, ex qua compoſitum eſt & conflatum, ſed & *formæ*, ad quam effictum & concinnatum id cernitur; hic profecto ab Albaſpinei ſententia diſcedere, & in alia omnia ire cogimur. Nam ſi res accuratius expendatur, nihil eorum, quæ ille ponit, poterit conſiſtere; facileque deprehendetur iſta Sylloge longe aliter, quam ille narrat, facta fuiſſe; ab eaque forma, quam ipſe ei tribuit, plurimum abhorrere. Nam ut hic ordiar, id inprimis procul à vero eſſe videtur, quod ille ait hunc codicem *breviarium eſſe, atque epitomen Eccleſiaſticorum ante Nicænam Synodum apud Græcos decretorum*. Si enim res ita ſe haberet, omnino hanc Syllogen codici canonum Eccleſiæ univerſalis ejus authores inſeruiſſent; imo primo codicis loco poſuiſſent, velut & à viris Apoſtolicis exortum, & ipſa antiquiſſimi temporis vetuſtate venerabile monumentum. Quale enim quæſo iſtud

iſtud eſt, ut qui Antiochenos canones ab authoribus parum probatis Arianiſmique merito ſuſpectis conditos, Codici Eccleſiaſtico inſeruerunt, iidem nullum in ſuo codice locum iis canonibus darent, quibus totius Eccleſiaſticæ antiquitatis jam inde à viris Apoſtolicis ad Nicæna uſque tempora ductæ *breviarium* ac *epitomen* contineri ſcirent? Tum ſiquis extitiſſet hujuſmodi codex, cur nunquam eum diſerte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæſarienſes, Antiocheni, alii Patres? cur non interdum aliquem ex iſtius codicis canonibus indicato, ac nominato numero, ſub quo in eo poſitus extat, citarunt, ac laudarunt? verbi gratia hoc modo; *decernit canon Apoſtolorum primus*, vel *triceſimus*, vel *quinquageſimus*, &c. Sicuti à Patribus Chalcedonenſibus in Codice Eccleſiæ univerſalis uſurpatum eſt; quo ſcilicet ejus codicis canonem *quartum*, *octogeſimum tertium*, *quartumque*, & *nonageſimum quintum*, *ſextumque* his diſerte numeris expreſſis, laudaſſe ac deſcripſiſſe nuper demonſtravimus? Nimirum hi quem ita laudarent Eccleſiaſticum canonum codicem in promptu habebant; Illi, quem ita citarent, Apoſtolicum nullum habebant. Denique hunc Apoſtolicum codicem (ſi is vere tum fuiſſet habitus

pro breviario) quis Gelaſium, ſapientiſſimum, ut ferunt, antiſtitem; quis Epiſcopos Romani Concilii ſeptuaginta, inter apocrypha procul ab Eccleſiaſticis libris rejecturos fuiſſe crediderit? Hæc vero neſcio quibus perſuaſurus ſit Albaſpineus: mihi quidem certe non perſuadet. Eadem eſt cęterorum, quæ cum his connexa ponit, ratio. Statuit horum Canonum codicem jam inde à principio incœptum, inchoatumque, & ex Apoſtolicorum virorum paucis primo decretis collectum, adjectorum poſtea ſequentibus ſubinde temporibus canonum acceſſione paulatim auctum in eam tandem, quam videmus, ſpeciem ac formam ante Concilii Nicæni tempus coaluiſſe. At huic figmento repugnat ipſa totius operis ratio. Primo enim ſi verum eſſet, quod ſtatuit Albaſpineus, canones pro ipſorum temporum, quibus ſinguli conditi ſunt, ordine, in hæc ſylloge diſpoſiti occurerent; ſub primis numeris, qui primi ab Apoſtolicis viris conditi eſſe dicuntur; ſub ſequentibus, qui ſequentibus ſæculis facti ſunt; ſub noviſſimis denique, qui ultima memoria couſtituti fuerunt. At nihil tale in tota ſylloge cernitur; nullus temporum, nullus decurrentium ſæculorum ordo obſervatus deprehenditur; omnia promiſcue, prout in mentem ſcriptori

veniebant,

veniebant, in medium conjecta, confuſaque, non temporibus, non rebus ipſis ſed ſolis numerorum notis cohęrentia reperiuntur. Ecce habemus veteris Eccleſiæ illum, de quo paulo ante diximus, Græcum codicem, omnino ejus formæ ac rationis, cujus Apoſtolicam farraginem eſſe vult Albaſpineus. In eo nemo non videt, accuratiſſime habitam eſſe temporum rationem; præcedere Nicænæ Synodi Canones, utpote vetuſtiſſimæ, a. D. 325. habitæ; ſubſequi ſecutis temporibus habitarum Synodorum regulas, Gangrenſis eodem anno, ſed poſt Nicænam; Antiochenæ, a. D. 341. Laodicenæ, a. D. 364. Conſtantinopolitanæ, a. D. 381. Epheſinæ, a. D. 431. Chalcedonenſis, a. D. 451. Ac ſicubi eum ordinem ob gravem aliquam rationem violari placuit, ut in Ancyranis, & Neocęſarienſibus canonibus factum eſt, qui Nicænis, licet tempore anteriores, poſtpoſiti ſunt in codice, de eo diligenter admonitus eſt lector, expoſitaque ratio, cur in his neglectus fuerit qui in aliis ſedulo obſervatus eſt ordo. Sic enim hoc loco habet codex; *Concilii Ancyrani canones 25. qui quidem priores ſunt Nicænis, ſed ideo poſtpoſiti ſunt propter authoritatem Synodi Oecumenicæ.* Ita & in canone Neocæſarienſium; *Concilii Neocæſarienſis*

caſarienſis canones 14. *qui quidem ſunt Ancyranis poſteriores, Nicanis vero antiquiores.* Ergo, ſi ad hanc formam, quod vult Albaſpineus, factus quoque fuiſſet Apoſtolicorum (ut vocant) canonum codex, dubitandum non eſt, quin, quem ipſa recta ratio ſuadebat temporum ordinem in eo concinnando collectores perinde ſecuturi fuerint, ac ii ſecuti eſſe cernuntur, qui codicem Canonum Eccleſiæ univerſalis collegerunt. Imo neceſſario iſte temporum ordo in hoc codice ſervatus inveniretur, quem ſtatuit Albaſpineus, non ab uno collectore ſimul ac ſemel concinnatum, ſed à pluribus diverſis, quorum ſuo quiſq; tempore, alii aliis ſuccedentes, illis, quæ à majoribus jam perſcripta & collecta inveniebant, ea, quæ ſua memoria in Eccleſia conſtituta norant, adjecerint. Atqui nihil (ut diximus) hujuſmodi in hac canonum Apoſtolicorum ſylloge deprehenditur. Ergo eam neceſſe eſt aliter, quam ſtatuit Albaſpineus, factam eſſe. Præterea ſi vera eſſet ejus ſententia, nulla ratio dici poteſt, cur non fuerit in hoc codice perſcriptum, atq; diſerte annotatum, quorum ſive Conciliorum, ſive Epiſcoporum vere ſint ſinguli canones, ex quibus totus codex conflatus eſt, qualiter in omnibus Græcorum collectionibus, quæ ſunt hujus generis ex diverſo-

diverſorum authorum canonibus coagmentatę, factum videmus. In iis enim diſerte annotatur, quorum ſint authorum ſingulæ totius ſylloges partes: hos eſſe Nicænæ, illos Baſilii, & ſic de cæteris. Fateor, a quod hoc loco ait Albaſpineus, *Græcos ſolitos fuiſſe uno eodemque quaſi titulo & volumine complecti, cum antiquos canones, tum recentes.* Quod vero ibidem ſubjicit, hoc eos feciſſe, *nulla concilii, temporis, authorumque mentione facta, quique præcedentibus addebantur canones eos, tacito ordine numeroque, quem in Conciliis, unde decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accepiſſe, quibus in illa collectione adjiciebantur; ut ſi jam centum canones præpoſiti fuiſſent, qui de novo addebatur, centeſimus primus cenſeretur; parque eſſet in cæteris ratio*; id inquam Albaſpinei dictum non poſſum totum planeque admittere. Cætera vera ſunt; illud nunquam probabit Albaſpineus in hujuſmodi Græcorum collectionibus *nullam* factum fuiſſe *mentionem Conciliorum, nullam authorum*, à quibus conditi eſſent canones, qui iis continebantur; nullum unquam afferet tam abſurdi ineptique atque indigeſti codicis è Græcis exemplum; in quo ſcilicet diverſorum authorum canones confuſi ſimul, permixtique ja-

a *ub. ſupr. p. 58.*

 ceant,

ceant, nulla authorum, quorum ſinguli ſunt, nomenclatura adhibita, inter ſe diſtincti. Neque verum eſt, id à Baronio *a*, aut Antonio Auguſtino, quod ait Albaſpineus, annotatum eſſe; Nihil aliud uterque annotant, niſi hoc unum, jam ante Chalcedonenſem Synodum *extitiſſe quandam communem canonum collectionem communi majorum authoritate probatam*; & in ea *ſuum locum habuiſſe Antiocheni Concilii canones*; quod ſane veriſſimum eſt, & à nobis nuper ex iis ipſis Chalcedonenſis Synodi locis, ex quibus id iſti ſubodorati ſunt, luculentiſſime demonſtratum. Hinc vero non modo non firmatur, ſed clariſſime etiam refellitur, ac coarguitur, quod probare ſtudet Albaſpineus. Nam illa Chalcedonenſi Synodo antiquior à Baronio, & Auguſtino memorata collectio; illa inquam, quod paulo ante oſtendimus, nihil aliud erat, quam prima ejus *codicis* pars, qui Lutetiæ a. D. 1610. publicatus eſt, hoc titulo, *Codex canonum Eccleſiæ univerſalis*, quemque olim Dionyſius Exiguus Latine de novo interpretatus eſt ob veteris tranſlationis confuſionem. Iam vero conſtat tum ex Græca, tum ex Latina Dionyſiaca hujus codicis editione, diſerte *factam fuiſſe* in eo *mentionem Conciliorum, atque authorum*, à quibus conditi ſunt

a *Baron. a. D.* 341. §. 34.
b *Ant. Auguſt. de emend Grat. dial.* 11.

ſunt ii canones, quos tota collectio continet. Numeri, fateor, ſub quibus apud ſuos quique authores extabant, mutati ſunt, proque iis, quod optime obſervavit Albaſpineus, alii notati ex ordine, ac loco, quem in communi hoc codice habent; ut, verbi gratia, qui Ancyrani Concilii primus eſt canon, is in hoc communi codice, cenſetur & indigetatur viceſimus primus, quod primo poſt 20. Nicænæ Synodi canones loco occurrat; & ſic deinceps de cæteris res habet. Cæterum in hujus numeri capite diſerte monet codex, qui ſequuntur canones, eos Ancyranos eſſe; & Ancyranis in 45. numero explicitis, itidem docet, qui poſt illum 45. numerum ſubjiciuntur canones, eos eſſe Neocæſarienſes; atque ita deinceps canonum authores præfixi ſingulis partibus tituli edunt. Si ergo ad hoc exemplum, quod ſtatuit Albaſpineus, facta eſſet Apoſtolicorum canonum collectio, tametſi numeri canonum perpetua ſerie à capite ad calcem decurrant, tamen additum ſignificatumque eſſet ſingulis locis (ut in codices univerſalis Eccleſiæ factum eſt) quos quique canones authores habuiſſent; nihil autem in iſta Sylloge tale occurrit; nihil ex quo intelligi poſſit vel diverſos fuiſſe canonum authores; nedum ut inde diſcere liceat,

quinam revera ſinguli authores fuerint. Ergo falſum eſt, eam fuiſſe, quam vult Albaſpineus, hujus collectionis rationem. Sed quid ego, quaſi res obſcura ſit, argumentis utor? Ipſe codex, Albaſpineo ita clare valideque reclamat, ut mirum ſit tali viro tam alienum à re ipſa figmentum in mentem venire potuiſſe. Non enim qui hoc codice continentur canones, authores ſuos, quod ille vult, *tacent*; ſed eos edunt, profitentur, eloquuntur, identidemque inculcant; non diverſorum, quod ille pertendit, ſæculorum, ſed unius ejuſdemque temporis homines; non denique (quod ille ſomniat) Apoſtolicos viros, non Epiſcopos, ſive ſeorſim ſingulos, ſive una in Synodis congregatos jura dictantes; ſed ipſos Domini Chriſti Apoſtolos. Mitto, quæ Apoſtoli his Canonibus in Conſtitutionum Turrianicarum calce præfantur: mitto, quæ poſt 85. hoc eſt ultimum canonem perorant; horum ſibi canonum opus vindicantes. Ipſos canones interrogemus. Nonne canon 28. (30) contra Simoniacos, Petrum ex authorum ſuorum numero unum fuiſſe diſerte teſtatur, adeoque Petri collegas, unaque cum iis ipſum Petrum, hoc eſt omnes Apoſtolos authores ſe habere docet? Sic enim de Simoniaco præcipit; καθαιρείσθω καὶ

αὐτός

αὐτὸς καὶ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ Μάγος ἀπὸ ἐμοῦ Πέτρου. *dejiciatur & ipſe & ordinator ejus, & a communione modis omnibus exſcindatur, ut Simon Magus a me Petro.* Id ipſum profitetur canon 50. (49) qui hæc apud Dionyſium habet; *Non enim dixit NOBIS Dominus, In morte mea baptizate, ſed,* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qui hos canones condunt, aperte affirmant, ſe eos ipſos eſſe, ad quos hæc verba fecit Chriſtus, hoc eſt (ut omnes intelligunt) Apoſtolos. Quo & illud pertinet, quod canone 81. ubi de ſervo ſermo eſt ad miniſterii Eccleſiaſtici gradum idoneo, οἷος (inquiunt) καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, *qualis noſter quoque Oneſimus viſus eſt.* Clare, ut quivis videt, Oneſimum Philemonis fugitivum, Pauli diſcipulum, intelligunt; quem ideo ſuum vocant. Denique nequid dubii ſuperſit, Apoſtolos ſe diſerte vocant canone ultimo, dum Actus Apoſtolorum, quos in divinorum librorum canonem poſt Clementinas Diataxes referunt, ſic deſcribunt, καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, *& actus noſtri Apoſtolorum.* Ergo quicumque ſint, qui hos canones collegerunt, eorum certe mens ea non fuit, quam fingit

Albaſpi-

Albaſpineus ; nempe ut hæc eorum Sylloge pro breviario Synodicorum, epiſcopaliumque decretorum haberetur, diverſis ante Nicænum Concilium temporibus conditorum. Eos longe aliud voluiſſe clarum certumque ex his ſermonibus eſt, nimirum, ut hi canones vere ab Apoſtolis omnes conditi, atque editi crederentur; & hic, qui eos continet codex, ab ipſis Apoſtolis factus, digeſtus, conſcriptuſque & promulgatus cenſeretur. Quod enim de Clemente ſcriptore vel Turrianus, & Latini, vel Græci fabulantur, id ipſorum commentum eſt, cujus neque vota, neque veſtigium in ipſis canonibus ullum cernitur. Sed homines quidlibet ex uſu ac commodo ſuo fingere prompti, à Clemente ſcriptum opus audacter affirmarunt, quod ita & minus invidioſum fore, & facilius defendi poſſe putaverunt, quam ſi ab ipſa Apoſtolorum manu profectum diceretur. Verum illi fruſtra ſunt. Cum enim canones ipſi *Apoſtolos* authores, atque editores profiteantur, Clementis velut ſcriptoris ſui nuſquam meminerint; profecto neceſſe eſt vel (quod nos quidem certo credimus) canones ipſos mentiri, vel, ſi veraces cenſeas, ab Apoſtolis ipſis, non à Clemente poſt Apoſtolorum mortem (quod volunt Turrianus & adverſarii) editos, ac con-

ſcriptos

Digitized by Google

ſcriptos fuiſſe. Atque ex his illud etiam patet, quam vana ſit Albaſpinei de *Apoſtolicorum* nomine hariolatio in *Apoſtolorum* nomen ex quadam Latinorum nonnullorũ ignorantia demutato. Binio enim hæc pro libidine dictavit Albaſpineus. Nullum de veteribus ſuæ hujus conjecturæ authorem; vel teſtem edit, aut edere poteſt. Quotquot canonum iſtorum meminerunt (meminerunt autem poſt quintum expletum ſæculum plurimi) ii omnes conſtanter *Apoſtolorum* canones vocant, nemo plane *Apoſtolicorum*, excepto uno Albaſpineo, cui noſtra demum memoria id ſomniare libuit. Tum manifeſta eſt nominis ex iis, quæ nuperrime diximus, ratio. Cum enim ii, qui in hac Sylloge decernentes, ac præcipientes inducuntur, ſe non *Apoſtolicos*, ſed *Apoſtolos ipſos* eſſe clare, liquidoque profiteantur, eorum decreta, non *Apoſtolicorum*, (quod præter omnium veterum conſenſum fruſtra fingit Albaſpineus) ſed *Apoſtolorum* canones dici, cenſerique decuit ab iis quidem, qui librum, quo continentur, velut ſincerum, ac veracem admiſerunt. His ergo exploſis ac confutatis omnibus adverſariorum de Apoſtolicorum canonum codice ſententiis, diverſis quidem, ſed tamen juxta falſis, unum id verum eſſe relinquitur, quod nos defendi-

defendimus; nimirum, librum illum, non ab Apoſtolis, vel à Clemente ſcriptum, aut editum, (quod ſomniat Turrianus) non ab Apoſtolicis viris cœptum & inchoatum, ab aliis ante Synodum Nicænam perfectum, atque adeo à pluribus authoribus conſarcinatum (quod fingit Albaſpineus) ſed ab uno eodemque impoſtore, vel certe à duobus in hanc quam videmus ſpeciem compoſitum, Apoſtolorum nomen impudentiſſime mentitis, ut ſuis decretis pondus darent. Authorem operis materiam ex iis, quæ in Eccleſia ſui ævi Græca, vel omni, vel aliqua, uſitata erant, furatum confitemur: eo factum eſſe, ut plurima in toto opere reperiantur, quæ vel Synodorum decretis, vel epiſcoporum authoritate, vel ipſo denique hominum uſu in Eccleſiam invecta, apud Chriſtianos, vel omnes, vel quoſdam quarto, quintoque ſæculis obtinebant; quorum nomine temere atque inſcite abuſus eſt Turrianus, ut codicem hunc antiquiſſimum, imo & Apoſtolicum eſſe vinceret. Cæterum non ita vel prudentem, vel ſobrium caſtumque fuiſſe impoſtorem, ut nulla his Eccleſiaſticis peregrina, vel nova, & inuſitata miſceret; ut ex iis apparet, quæ de Maccabaicorum tertio, Clementinarumque Conſtitutionum octo libris in divinum canonem præter omnis

Eccleſiæ

Eccleſiæ ſententiam relatis diximus; item de repudiando hæreticorum quorumvis baptiſmo, ac de ſabbati à jejunio immunitate. Vnde clare conficitur, Gelaſium, Synodumque Romanam nequiſſimi impoſtoris fœtum merito damnaſſe, & erepto Apoſtolorum titulo, quo falſo ac impudenter ornatus incedebat, in *apocryphorum* tenebras abjeciſſe; merito Iſidorum eadem ſecutum eſſe, veriſſimeque ſcripſiſſe, *quamvis* in his canonibus *utilia inveniantur* (quæ ſcilicet planus ex Eccleſiæ ſuæ ævo vigentis uſu mutuatus eſt) *eos tamen ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos dignoſci*; quod nimirum non facile credendum ſit, hominem eum Catholicum fuiſſe, qui vel illa falſa & ab Eccleſiæ ſententia abhorrentia decernere non dubitaverit; vel etiam ſuo operi ſanctiſſimum Apoſtolorum nomen imponere auſus ſit.

Denique ſi de tempore quæratur, quo pſeud-apoſtolica illa, & apocrypha Canonum collectio facta & edita primum fuerit, apparet ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, eam neque ante quintum ſæculum adultum innotuiſſe, & quinto exeunte jam extitiſſe, publicarique cœptam eſſe. Prius demonſtrat univerſale omnium, qui ante a. D. 451. vixerunt, de ea ſilentium; quod abunde ſupra demonſtratum eſt.

eſt. Neque enim credibile eſt, nullam ejus mentionem, ſi extitiſſet, facturos fuiſſe Euſebium, Hieronymum, & alios illorum temporum eruditiſſimos ſcriptores, qui etiam ea, quę apocrypha judicabant, præcipue quæ Apoſtolis afficta erant, diligenter perſequi, & refellere ſolent. Poſterius vero ex Gelaſii decreto a. D. 494. facto patet; in quo ſcilicet ea collectio damnata eſt. Ergo paucis ante illud tempus annis ab homine hæretico, Gręci generis, conſarcinatam fuiſſe probabile eſt, & in 50. tantum canones digeſtam; (neque enim plures exhibuit Dionyſius, qui codicem ſuum annis poſt factum Gelaſianum decretum 28. aut triginta Latine edidit) mox paucis poſt editum Dionyſii codicem annis apud Græcos, quos benevolentiores ac clementiores experta eſt, quam Latinos, triginta quinque canonibus, vel ab eodem vel ab ejuſdem certe ſpiritus impoſtore auctam eſſe; ut inde perſpicitur, quod quem Iuſtinianus commendavit, & Ioannes Epiphanienſis in nomocanonem retulit, Apoſtolicum codicem, is 85. canonibus conſtaret, ut ſupra diximus. Iuſtinianum autem & Ioannem illum certum eſt paulo poſt a. D. 560. floruiſſe. Quæ vero à Iuſtiniani temporibus ad noſtram memoriam fuerint de illa ſylloge tum Græcorum, tum

tum Latinorum judicia, ſupra fuſe oſtendimus. Sed qui, Gelaſii ſententiam ſecuti, falſum & adulterinum librum inter apocrypha cenſuerunt, eos verius, quam cæteros ſenſiſſe, evidentibus invictiſque, ni fallor, argumentis, ſatis probavimus. Atque hæc de Canonibus Apoſtolorum 85. dicta ſunto.

Cap. XXII.

Altera quæſtio de 9. canonibus, quos velut in Concilio Antiocheno ab Apoſtolis conditos obtrudit Turrianus, & ex eo Binius, ac Baronius. Totam hujus ſylloges canonum Antiochenorum molem una Turriani fide niti; quæ quam ſubleſta ſit, exemplis comprobatur.

Sed ecce novam nobis Apoſtolorum fœturam obtrudunt Baronius *a*, & Binius *b*, novos canones in Antiocheno quodam concilio editos ſcilicet, numero novem; de quibus quoque paucis, antequam opus concludam, diſputandum eſt. Principio ab iſtis quæro, unde hos canones habeant? Baronius quidem fabulam ſic orditur; *Tradunt alii* (inquit) *Antiochiæ ab Apoſtolis ad ſedandas controverſias illic exortas, habitam eſſe Synodum, idque authoritate Pamphili Martyris, cujus fragmenta recitat*

a *a. D.* 102. §. 19. 20.
b *T.* 1. *Conc. p.* 23.

Turrianus, ſibi vendicant, qui & canones illos in compendium redactos recenſet. Hæc ille. Quinam illi *alii* ſunt, quos hæc tradere ait? An Lucas, an Euſebius vel Socrates, aut Theodoretus? an Sozomenus, & Euagrius, aut Ruffinus, vel hiſtoriæ tripartitæ author Senator Caſſiodorus? à quibus & Apoſtolorum, & Eccleſiæ deinceps Chriſtianæ hiſtoriam deſcriptam habemus? Atqui certiſſimum eſt, omnes iſtos neque de Antiochena ulla Apoſtolorum Synodo, neque de novem iſtis canonibus vel unum verbum uſpiam feciſſe. Quinam ergo illi *alii* ſunt, qui hanc hiſtoriam tradunt? An Iuſtinus vel Irenæus vel Clemens Alexandrinus? An Tertullianus, aut Cyprianus, vel eorum Patrum quiſquam, quorum opera habemus? An Latinorum aliquis, qui totis quindecim ſuperioribus ſæculis vixerunt? Atqui ne unum quidem fabulæ iſtius authorem, vel teſtem edere poſſunt. Iam veteres Canonum Eccleſiaſticorum tabulas adeamus: Codicem antiquiſſimum univerſalis Eccleſiæ in Chalcedonenſi Synodo laudatum, Dionyſiacum circa a. D. 524. editum, Ferrandi eodem propemodum tempore factum breviarium, Creſconii Afri, Martini Bracarenſis, Iſidori Mercatoris, Burchardi Moguntini, Ivonis Carnotenſis, Gratiani ipſius

ipſius collectiones, Ioannis Epiphanienſis, Photiique Nomocanones; Zonaræ; Balſamonis, aliorum Græcorum de canonico jure commentarios, omnes Synodorum Græcas, Latinaſque, veteres, ac recentiores ad Binianam uſq; editiones. Nuſquam in his omnibus apparent novem iſti Antiocheni Apoſtolorum à Baronio commemorati canones. Quinam ergo tandem illi *alii* ſunt, à quibus hæc tradi ait magnus Annalium parens? Illi vero *alii* nulli ſunt; neque ipſe ullos edit, vel citat; quos non erat prætermiſſurus vir, etiam in nugis diligens, ſi quos habuiſſet. Nam Binium quidem non intelligit, qui, cum ſcriberet Baronius, nondum ſuam Conciliorum farraginem ediderat; quique ſua hac in parte omnia, ut fere ſolet, à Baronio habet, eumque authorem diſerte laudat. Unus ſupereſt Turrianus, qui totius fabulæ verus, ac unicus parens. Sed illum Baronius nominat, & præter iſtos *alios*, à quibus hæc tradi dicit, ſeorſim cenſet. Nimirum Baronium pudebat confiteri nullo alio teſte atque authore niti rem tantam, niſi uno Turriano, homine recentiſſimo, adhæc Jeſuita, & inter omnes illius nominis ſodales fabularum amantiſſimo, audaciſſimo, & procaciſſimo. Itaque ut cauſſæ hujus ſuæ inopiam obumbraret, *alios* eadem tra-

 dere

dere finxit; ſperans bonum lectorem, tametſi iſtos *alios* nullos videat, multos tamen, ſaltem *aliquos* eſſe, ſibi crediturum. Ergo, ut detractis verborum inanibus fucis, id quod res eſt, ſimpliciter dicamus, nullum hujus ſuæ temeritatis alium authorem habent Baronius, & Binius, præter unum Turrianum; qui primus omnium totam hanc fabulam domi apud ſe vel natam, vel repertam, ut erat ingenio quiſquiliarum & feraciſſimo & cupidiſſimo, anno demum Chriſtianiſmi 1573. edidit. Sed ne putes iſtum hæc *gratis* (quod non ſolet illa natio) mentitum, aut fabulatum; tota fabula inventa, inſtructa, ornata, facta, editaque eſt ad imaginum, quas Romanum genus impenſe diligit, venerationem Apoſtolica authoritate conſtituendam. Fertur enim quoddam Apoſtolis à Gregorio Peſſinuntis Epiſcopo jam olim in Synodo 7. impudenter affictum de *Icone Chriſti* verbum, quod vel Turrianus, vel alius aliquis firmare, & authoritate aliqua donare operæ pretium putavit. Id ut conſequeretur, canones alios excitavit hujus veluti comites, pediſſequos, vel anteambulones futuros; Antiochiæ ſcenam adornavit, in qua eos conderent Apoſtoli; denique Turrianus tanti eſſe cenſuit illud pro ſuis imaginibus teſtimonium, ut ejus firmandi

firmandi gratia fabulam ipſum facere, vel certe ab alio factam edere non piguerit. Nunc ego ab iſto; ut nuper à Baronio, quęro, unde homo novus habeat, Apoſtolos Antiochię canones iſtos olim annis, ante quam ipſe animum ad ſcribendum appelleret, mille fere & quinquentis condidiſſe? Reſpondet homo verecundiſſimus, ſe à Pamphilo martyre habere. Quæro ubi, & quando id teſtatus ſit Pamphilus? quibus dixerit? in quo opere id ſcriptum reliquerit? *Ego* (inquit) *ſic reperi in antiquiſſimo codice Græco ſcriptum*, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Παμφίλου ἐκ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ τῶν Ἀποστόλων συνόδου, τουτέστιν ἐκ τῶν συνοδικῶν αὐτῶν κανόνων μέρος τῶν εὑρεθέντων εἰς τὴν Ὠριγένους βιβλιοθήκην. *Sancti hieromartyris Pamphili ex Antiochena Apoſtolorum Synodo, id eſt pars ex Synodicis ipſis canonibus inventis in Origenis Bibliotheca.* Hoc unum ponit Turrianus hujus cauſæ fundamentum; plane, ut omnes vident, futile ac ficulneum. Principio illum ipſum *codicem antiquiſſimum*, in quo ſe hæc ſcripta reperiſſe dicit, nemo mortalium unquam, præter ipſum, vidit; nemo ſe vidiſſe, quantumvis magna ſit paſſim fingendi mentiendique audacia, hactenus profeſſus eſt. Neque ipſe dicit, quis qualiſque ſit ille codex: ubi ſit, & in quibus ſive cryptis,

a *l. de can. Apoſt. c. 25.*

ſive bibliothecis tot jam ſæcula abditus & omnibus ignotus deliteſcat. Nimirum homo aſtutus merito veritus eſt, ne ex indicio, ſi quod ederet, mendacium proderetur, atque deprehenderetur. Nunc ei facile eſt tuto ac impune mentiri, viſum à ſe librum, quem nemo coarguere poteſt, quod omnes libri inveſtigandi vias obſepſerit, neque ubi ſit, neque apud quos reperiri poſſit, docens. Ego vero, ſi neſcirem, quæ ſit hominis frons, etiam ſimplici ejus aſſeveratione nonnihil commoverer. Sed aliunde didici, qua ille protervia, quaque inverecundia in fingendis, comminiſcendis, ac pro libidine adulterandis veterum & ſcriptis, & rebus, graſſari ſoleat. Hic enim ipſe ille eſt Turrianus, qui vetuſtiſſimis Romę Epiſcopis impudentiſſime affictas ſtramineas neſcio quas epiſtolas, ab omnibus cordatis, & eruditis, etiam Romanarum partium, ſcriptoribus vel plane exploſas, vel certe in dubium vocatas, ſollicitataſque, ipſe immani, ac giganteo auſu, veras germanaſque, ac geminas aſſerere non dubitavit. Hic eſt, qui Euſebium Alexandrinum in ſermonibus *a*, Magnetem adverſus Theoſthenem *b*, Theophanem *c* in Symphonia veteris & novi Teſtamenti, & alias hujuſmodi ſcriptorum in Eccleſiæ hactenus

a *l.* 1. *pro epiſt.c.* 21. *l.* 2. *c.* 6. & 12. 20.
b *Ibid. l.* 1. *c.* 5. *l.* 2. *c.* 3. 13. *l.* 4. *c.* 7.
c *Ibid. l.* 2. *c.* 18. *l.* 4. *c.* 13.

nus inauditorum larvas, pro libidine effictas adverſariis ſuis, veluti totidem μορμολυκεῖα objicit. Ac ut cætera vel impudenter, vel inſcite & imperite ab eo in his diſputationibus geſta prætermittam, quorum luculentum noſter Blondellus catalogum contexuit *a*, hic inquam, ille ipſe Turrianus eſt, quem & Conſtitutiones, & 85. Canones Apoſtolis non minus inverecunde quem indocte affinxiſſe, nuper probavimus. Tali viro, cui vel jurato nemo ſapiens crediderit, quis injurato crediderit, aliquem revera manuſcriptum antiquum codicem extare, in quo ipſa illa, quæ deſcribit, legerit? quem nemo præter ipſum legit, vidit, commemoravit? Sed etiamſi tale aliquid veteres libri continerent, non ideo tamen fieret, ut id ſtatim pro vero habendum eſſet. Quam multa enim manuſcripti, etiam antiqui codices authoribus tribuunt non ſuis? Magno omnino judicio in veteribus libris opus eſſe ad diſcernenda vera à falſis, omnes eruditi conſentiunt. Quod ſi codicem illum (ſiquis tamen revera eſt hujuſmodi codex, neque omnia pro ſua vanitate finxit Turrianus) ſi inquam, codicem illum, quiſquis eſt haberemus totum, fortaſſe in eo ipſo deprehenderemus clara falſimoniæ argumenta; ut in aliis plurimis accidit.

a Contr. epiſt. præfat p. 7.

Digitized by Google

cidit, in quibus ipſa opera titulos ſæpenumero revicerunt. In iſto vero Turrianico codice (ſi quis vere eſt in rerum natura) tale aliquid ſubeſſe, ex quo coargui & labefactari poſſit ejus fides, duo faciunt, ut non modo ſuſpicer, ſed etiam propemodum credam. Prius eſt, quod librum ipſum Turrianus non edidit in publicam lucem, ſatiſque habuit fragmenta quædam ex eo deſcribere. Alterum eſt, quod etiam nunc, cum tot anni à Turriani morte fluxerint, in iiſdem tamen tenebris deliteſcit liber; neque manum adhuc invenit, quæ ei jam pridem ad exitum maturo, obſtetricaretur. Quis enim vel Turrianum, vel ejus ſocios, qui quotidie hujuſmodi merces avidiſſime extrudunt, & vera falſaque nullo diſcrimine habentes, quicquid cauſæ ſuæ vel in ſpeciem favet, per fas nefaſque honeſto antiquitatis nomine commendatum publicant; quis, inquam, eos ſibi perſuaſerit tantum imaginum fautorem, quantus eſt, ſi verus eſt hic canonum Antiochenorum liber, tamdiu tenebris & umbra mortis clauſum in arcanis ſcriniis detenturos fuiſſe, niſi aliquid timerent? niſi falſorum, mentitorumque natalium notas in eo aliquas animadverterent?

Cap.

CAP. XXIII.

Falſos & fictitios eſſe hos Canones probatur, 1. ex ipſo illo, qui à Turriano editur, eorum teſte ac authore Pamphilo Martyre, qui librum ſcripſiſſe impudenter fingitur, contra diſertam Euſebii vocem negantis, eum quicquam ſcripſiſſe. Turriani cum Ruffino germanitas. 2. idem probatur ex Euſebii de iſtis ſilentio. 3. ex eo quod & Euſebio & Origeni ipſi, in cujus bibliotheca fuiſſe finguntur, plane ignotos fuiſſe deprehendatur. 4. ex eo quod Synodus illa Apoſtolorum Antiochena in omni retro Eccleſia ignota fuerit. Inſignis Hincmari locus. Objectus à Baronio pro illa Synodo ex Innocentio ep. 18. locus mendoſus emendatur & aſſeritur. Gregorii Piſinuntenſis Epiſcopi ex 7. Syn. teſtimonium exploditur. Peſſima Patrum Syn. 7. fides.

SED hęc ipſa tamen videamus, quæ Turrianus exhibet ex *antiquiſſimo* ſcilicet *codice* decerpta, ac delibrata fragmenta. Primo ille titulus impoſtorem arguit. *Pamphylum* enim *Martyrem* libri illius, quicunque tandem ſit, authorem profitetur. Atqui Euſebius, Sanctiſſimi Martyris familiaris, cujus res geſtas proprio opere exſecutus eſt, quem ſic amavit, ac coluit, ut ab eo etiam cognomen nactus ſit (ab hoc enim viro dictus eſt Euſebius Pamphili) ille inquam Euſebius, teſtis hac in cauſa omni exceptione

 major

major dixit Pamphilum nihil ſcripſiſſe, exceptis brevibus epiſtolis ad amicos. Mentitur ergo, cujuſcunque authoris ſit, *antiquiſſimus* Turriani *codex*; fingens contra Euſebii fidem, Pamphilum neſcio quem librum ſcripſiſſe de Antiochenæ Synodi canonibus. Author locupletiſſimus Hieronymus, qui Euſebii & hiſtoriam (quam habemus, & in qua, cum non uno in loco Pamphili mentionem factam reperiamus, nihil plane invenimus ab eo ſcriptum) & (quos non habemus) de Pamphili vita libros viderat. Is autem retractans, quod olim à Ruffino deceptus, Pamphilum inter Chriſtianos ſcriptores cenſuerat, *Ante annos* (inquit a) *ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui præfecturam adminiſtravit prætorii, me rogaſſet, ut authorum noſtræ religionis ei indicem texerem, inter cæteros tractatores poſui & hunc librum à Pamphilo editum* (Apologiam Origenis intelligit, Pamphili nomine à Ruffino latine publicatam) *ita putans eſſe, ut à te, & tuis diſcipulis fuerat divulgatum. Sed cum ipſe dicat Euſebius, Pamphilum nihil ſcripſiſſe, exceptis brevibus epiſtolis ad amicos; & primus liber ſex voluminum illius, eadem & eiſdem verbis contineat, quæ ſub nomine Pamphili à te ficta ſunt; perſpicuum eſt, te idcirco librum hunc diſſeminare voluiſſe, ut ſub*

a *l. 2. Apol. adverſus Ruffin. T. 2. Hier. fol. 80. D.*

ſub perſona Martyris hæreſim introduceres. Hactenus Hieronymus: hanc Ruffini fraudem & aliis locis non ſemel exagitans *a*. In Pamphilo quod olim Ruffinus, idem nunc Turrianus audet: viri plane ſimiles. Geminos diceres, ſi eodem tempore vixiſſent; uſque adeo eadem eſt utriuſque audacia, ac in vitiandis, adulterandiſque authoribus licentia; ad hæc ventoſa de Græcæ Latinæque linguæ cognitione jactantia. Bilinguis enim uterque fuit; & quos ubi Græciſſant Latinos diceres; ubi Latine loquuntur, Græcos. Noſtri tamen vel inverecundia, vel certe ſtultitia major fuit. Nam Ruffinus quidem Pamphilo Origenis, cujus eum ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtabat, non abſque aliqua veri ſpecie defenſionem affingebat. Noſtri drama abſurdiſſimum eſt, omnique etiam fuco caret. Cui enim unquam fando auditi erant Apoſtolici iſti canones de quibus novus Ruffinus, Turrianus, nullo nunc colore Pamphilo librum ſupponit? Sed bene eſt, quod utriuſque impudentia eodem Euſebii teſtimonio convincitur; nihil Pamphilum ſcripſiſſe affirmantis præter epiſtolas, cui iſti præter epiſtolas, alia neſcio quæ opera tribuere non erubeſcunt. Præterea ſi, quod Turrianus fingit, canones iſtos in Origenis Bibliotheca reperit Pamphilus, ſi librum de iis

a *Ep. ad Cteſiph. contr. Pelag. ep. 65. ad Pammach. & Ocean. Dial. adverſ. Pelag. in Ezech. c. 18.*

de iis ſcripſit; profecto fieri non poteſt, ut ii Euſebio ignoti fuerint, quocum Pamphilus vixit conjunctiſſime. Atqui canones iſtos Euſebio ignotos fuiſſe, non eſt obſcurum. Eos enim ſi ſcivisſet, in Eccleſiæ hiſtoria haud dubie memoraſſet, in rebus Apoſtolorum, quas fuſe, & quoad ejus fieri potuit, diligentiſſime exſequitur, narraſſet, habitam ab iis Antiochiæ Synodum; conditoſque ſaluberrimos canones. Hæc enim, ut quivis videt, admodum memorabilia, nulla cauſa dici poteſt, cur, ſi ſcivit, tacuerit. Eſt & alius in hiſtoria Eccleſiaſtica locus, in quo horum canonum mentionem fieri ab Euſebio decebat, ſi eos notos habuiſſet; nimirum ubi continetur de Paneadenſibus ſtatuis narratio;
a l. 9. c. 18. (14) quam exſecutus Euſebius *a*, *καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν* (inquit) *τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ταῦτα πεποιηκέναι*, *Nihil autem mirum, eos, qui ex Gentibus erant, beneficiis à Servatore noſtro affectos, hæc feciſſe*, ſimulacra ei poſuiſſe. Hic omnino, ut mirandi occaſionem præciperet, commemorandus veniebat canonum Turrianicorum octavus, diſerte præcipiens *pingi* ſive *effingi τὴν θεανδρικὴν στήλην τοῦ Σωτῆρος*, *divino-humanam Chriſti effigiem*. At nihil hujuſmodi eo loco Euſebius. Non enim

nim Apoſtolorum præceptum, ſed Ethnicorum morem adfert, velut veram iſtius facti cauſam; quod ſcilicet cum Ethnici Servatores, ſive benefactores ſuos hujuſmodi ſimulachris atque imaginibus honorare ſolerent, mirandum non ſit eos, qui inter Ethnicos nati, atque educati erant, hunc ſibi ſuiſque inolitum morem ad honorandum Chriſtum uſurpaſſe. Sed extat in Synodo 7. a quædam ejuſdem Euſebii ad Conſtantiam Conſtantini Auguſti ſororem epiſtola, quæ multo omnium clariſſime oſtendit, huic viro plane penituſque ignotos fuiſſe iſtos canones. Cum enim illa mulier Chriſtianiſmum recens profeſſa, ex Ethnico ritu, in quo antea cum viro ſuo Licinio, infenſiſſimo Chriſtianiſmi hoſte vixerat, Chriſti imaginem ſibi mitti ab Euſebio petiviſſet, ille ſe miſſurum negat; imo vel poſci hujuſmodi Chriſti effigiem nefas eſſe docet; cujus nempe naturam vel divinam, vel humanam, nulla mortalium ars vel exprimere vel adumbrare ullis coloribus poſſit. Atqui ex canonibus iſtis Antiochenis non modo licet, ſed etiam decet, ac neceſſe eſt, Chriſtianos ſui Servatoris imagiginem effingere. Ergo qui Conſtantiæ ſic reſpondet Euſebius, iſtos Apoſtolorum canones plane, penituſque neſcivit. Neſciviſſe porro incredibile eſt, ſiquidem ii Pam-

a *act.* 6.

Digitized by Google

ii Pamphilo noti, & ab eo in aliquo libro diſcripti erant. Ergo falſum eſt, quod ait Turrianicus codex, à Pamphilo nunquam viſos, deſcriptoſque fuiſſe. Sed neque verius eſt, quod Turrianicus codex narrat, *hos canones Antiochenos in Origenis bibliotheca à Pamphilo repertos eſſe.* Id enim ſi verum eſſet, nunquam ea Origenes contra imaginum in religione uſum ſcripſiſſet, quæ in veris & indubitatis ejus libris leguntur; quale eſt, verbi gratia, quod negat à Chriſtianis tales Deo honores exhiberi, quales à Paganorum populis ſolebant Diis exhiberi (hos autem honores in eo ſitos eſſe dixerat, quod *templa & ſimulacra iis ponerent*) imo hujus generis honores *dæmonibus magis* quam Deo *congruere* pronunciat; Item *Chriſtianos homines & Judæos ſibi temperare à ſtatuis, & earum cultibus propter illud Legis,* Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſervies; Non erunt tibi Dii alieni præter me, & non facies tibi ſimulacrum, nec ullam effigiem eorum quæ in cœlo ſunt, &c. Ita ſcilicet de ſimulacris & imaginibus ſcriberet, qui ab Apoſtolis decretum ſciret, ut fideles Chriſti effigiem, Sanctorum ſimulacra ex oppoſito Gentium effingant? Hanc Chriſtianorum cum Iudæis communem cauſam faceret, qui ab Apoſtolis di-

a *l.* 3. *contr. Celſ. p.* 135. *gr.* 132. *lat.*

b *l.* 7. *p.* 386. *Lat.* 382.

lis diſerte vetitum ſciret, ne ſimiles Iudæis hac in parte ſiamus? At hæc ſciſſet Origenes, ſi codex ille Turrianicus in ejus bibliotheca extitiſſet. Ergo fieri non poteſt, ut verum ſit, quod liber à Turriano viſus narrat, canonum illorum codicem in Origenis bibliotheca repertum eſſe. Denique quod idem ille codex *de Antiochena Apoſtolorum Synodo* narrat, id inquam, apud omnes veteris, recentiſque memoriæ Chriſtianos Græcos, Latinoſque incognitum, & inauditum eſt, & evidenter falſum. Nam ſiquam Apoſtoli Antiochiæ Synodum habuiſſent, id vetuſtiſſimi quatuor primorum ſæculorum ſcriptores ſciviſſent, poſteriſque tradidiſſent; quod ab eorum nemine factum videmus. Certe ne inferioribus quidem ſeculis in Eccleſia Latina notam fuiſſe illam Antiochenam Synodum, teſtis & author luculentus eſt Hincmarus, qui a. D. 871. ut canones illos 50. quos nuper confutavimus, demonſtret non fuiſſe ab Apoſtolis conſcriptos, quas Apoſtoli Synodos habuiſſe ab omni ſui temporis Eccleſia credebantur, fuſe his verbis exſequitur; *Cæterum* (inquit) *iidem canones, qui vocantur Apoſtolorum, non ab Apoſtolis conſcripti eſſe creduntur, quoniam, ſicut in ſacra hiſtoria legimus, & inde ſcriptum ob Eccle-*

a *l. 55. cap. c. 24. T. 1. Hincm. p. 474.*

ſiæ

ſiæ magiſtris accepimus; prima Synodus Apoſtolorum habita eſt Hieroſolymis de electione duodecimi Apoſtolorum pro Iuda a. *Secunda de electione ſeptem diaconorum* b; *tertia* c *de circumciſione, ne credentibus ex gentibus imponeretur; quarta* d *facta eſt de credentibus ex Iudæis illo tempore, ne prohiberentur, ubi neceſſitas exigeret, etiam legalibus ceremoniis initiari, ob devitandum ſcilicet eorum ſcandalum, qui putabant eos iſta Moſaica decreta, tanquam idololatriæ dogmata damnaſſe, quod etiam ante facere conſueſſe Timothei maxime circumciſione probatum eſt. Quintam* e *demum Synodum Apoſtolorum Patres noſtri fuiſſe tradunt, quando ſecundum quod prædictum eſt tempus adimpletionis advenit, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & ſecundum Domini dictum, Euangelium prædicaretur in toto mundo per Apoſtolos, quibus dixit* f, Ite, docete omnes gentes. *Et tunc Symbolum, ſicut univerſalis tenet Eccleſia, condiderunt, ſinguli ſingulas ſententias proferentes, ſicut & Leo ad Pulcheriam Auguſtam demonſtrat* g; Tum recitatis Leonis verbis, *Denique* (inquit) *poſt hæc nulla Synodus ab Apoſtolis legitur celebrata, qui fuerunt per omnem terram ad verbum fidei ſeminandum progrediendo diſperſi.*

a *act. c.* 1. *a.* D. 34. *ex* Not. *in* 1. *C. conc. p.* 1.
b *act.* 6. *a.* D. 34. *ibid. p.* 2.
c *act.* 15. *a.* D. 51. *ibid.*
d *act.* 21. *a.* D. 58. *ibid. p.* 3.
e *de ea nihil in act. Apoſt.*
f Matth. 28.
g Ep. 15. *in fine.*

diſperſi. His Hincmari congruunt, quæ ex Gloſſa ordinaria, adeoque ex antiqua communique Eccleſiæ Latinæ fide, initio Conciliorum de *quatuor Apoſtolorum conventionibus*, ſive *conciliis* fuſe deſcripta habentur; hoc uno diſcrepant, quod hic quatuor tantum priora Concilia recenſentur; quintum, in quo Symbolum ab Apoſtolis conditum ex quorundam Patrum opinione dicit Hincmarus, omittitur; non abs re, ut videtur: nam quatuor quidem priora Hieroſolymis habita eſſe, ex divino Actuum Apoſtolicorum libro certa fides eſt; quinti nulla in ſacra Hiſtoria mentio. Utcunque ſit, (neque enim nunc neceſſe eſt ea de re diligentius diſputare) illud quidem ex his clarum certumque eſt, præter hos quatuor, vel ad ſummum ex Hincmaro quinque nullam aliam Apoſtolorum Synodum jam à vetuſtis temporibus ad noſtram memoriam Eccleſię fuiſſe cognitam. Hincmarus diſertiſſime; *Denique poſt hæc nulla Synodus ab Apoſtolis legitur celebrata.* Cum ergo Synodicum Apoſtolorum conventum, præſertim in quo non pauca de religione decreta facta fuerint, vetus & nova omnium à Chriſtianiſmi initiis ſæculorum Eccleſia non potuerit neſcire, apparet, quam antiquus Turriani liber loquitur, Antiochenam Apoſtolorum Synodum,

eam, (quippe quam omnis hactenus neſcivit Eccleſia) fictitiam ac commentitiam eſſe. Sane rem ipſam accuratius intuenti apparebit, nullam unquam Apoſtolorum Synodum Antiochiæ conveniſſe. Inprimis enim ante annum æræ Chriſtianæ 58. non conveniſſe ex ſano Actuum libro conſtat; qui cum res ab Apoſtolis geſtas ad illum uſque temporis articulum exſequatur, nullam hujus conventus mentionem fecit; qui tamen ſi revera habitus eſſet, cum *celeberrimus*, adhæc de rebus tantis habitus fuiſſe dicatur, omitti præfecto ſine piaculo non poterat. Iam ut poſt a. D. 58. (hoc eſt ab aſcenſione Chriſti 26.) diſperſis, ut liquet, in varias, longeque inter ſe diſſitas gentes ad prædicandum Euangelium Apoſtolis, pluribuſque ex eorum numero forταſse jam miniſterio, ac vita defunctis, habita fuerit Synodus illa Antiochena; id inquam, ab omni veri ſpecie abhorret. Ex his porro videre eſt, quam temere, quamque prẹter omnem rationem ad hanc ſuam (quẹ nulla unquam fuit) Antiochenam Synodum verba quædam Innocentii I. referant Turrianus *a*, & Baronius *b*. *Certe quidem* (inquit Baronius) *Innocentius Romanus Pontifex, in epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum ejuſmodi Synodi Apoſtolicæ meminiſſe videtur.* Verba In-

a c. 25. p. 94. recte.
b a. D. 102. §. 19.

ba Innocentii ſunt de Eccleſia Antiochena, ubi (inquit *a*) *& nomen accepit religio Chriſtiana, & qua conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit.* Baronius legit, *conventum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit*, expuncto verbo *fieri.* Ego vero, cur ſic legat neſcio; & ſiquid ſit mutandum, multo rectius ac verius voculas *apud ſe* expugnandas putaverim, quam verbum fieri, ut ſic legatur locus, *& qua conventum Apoſtolorum fieri celeberrimum meruit.* Imo, hoc verum puto, neque dubito, quin ita ſcripſerit Innocentius. Sic enim res omnis plana eſt, ac expedita, quæ alioqui magnas & inextricabiles habet difficultates. Nam ſi lectio vel Baroniana, vel vulgata retineatur; obſecro tuam fidem, quis ille *conventus eſt Apoſtolorum celeberrimus* Antiochiæ habitus? Profecto nullus in tota Eccleſiæ hiſtoria occurrit, cui id nominis conveniat. Ut donem Baronio, fuiſſe aliquem Antiochiæ Apoſtolorum conventum, res tamen & ratio non ſinunt, ut ab Innocentio putemus celeberrimum dictum fuiſſe eum *conventum*, qui (ſiquis fuit) adeo *celeberrimus* non fuit, ut ne ab uno quidem Eccleſiæ ante Innocentium ſcriptore memoratus ſit. Niſi ergo Innocentium uſque adeo deſipuiſſe fingamus, ut *celeberrimam*

a Ep. 18. T. 1. Conſ. p. 762. A.

berrimam dixerit eam Synodum, quæ apud totam Eccleſiam inaudita, ne uni quidem authori dicta, vel memorata fuit; neceſſe eſt hunc, quem *celeberrimum* vocat *Apoſtolorum conventum*, omnino alium ab eo eſſe, quem Turrianus, & Baronius ex unius, & quidem obſcuriſſimi, & à nullo præter Turrianum, lecti vel viſi codicis fide, Antiochiæ habitum contendunt. Si vero Innocentii verba ſic, ut diximus, legas, omnia clara erunt. Nimirum, ille *Apoſtolorum conventus*, quem intelligit Innocentius, is ipſe eſt, qui de cauſa Antiochenæ Eccleſię, & ejuſdem rogatu, ab Apoſtolis habitus eſt Hieroſolymis, cujuſque & hiſtoria, & Synodica epiſtola ad Antiochenos, & alios Syros miſſa extat à Luca in Actibus *a* deſcripta. Hic vero conventus merito *celeberrimus* dictus eſt, qui & à divino authore litteris traditus, & ex eo ab omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus memoratus, & apud omnes omnis memoriæ Chriſtianos vulgatiſſimus ac decantatiſſimus eſt, & apud Gloſſam ordinariam veriſſime perhibetur fuiſſe *plenaria Conciliorum forma, poſtmodum à ſummis Pontificibus, & ſanctis Patribus obſervata, & obſervanda.* Sed & is *conventus*, licet non Antiochiæ, ſed Hieroſolymis habitus, ad Eccleſiæ tamen Antioche-

tiochenæ gloriam, quo eum refert Innocentius, evidentiſſime pertinet; cujus pax & voluntas ſcilicet, tanti Apoſtolis fuit, ut ad ea explicanda, de quibus ſciſcitatum miſerant Antiocheni, omnes in unum convenire, capitibuſque collatis quid verum eſſet, indagare, & decretum ab omnibus, qui tunc erant, Chriſtianis obſervandum poſtulante Antiochia condere, & ei ipſi ante omnes, veluti primariæ cuidam, matricique Gentilium Eccleſiæ inſcribere operæ pretium eſſe putaverint; quo honore nullum Antiochena, nullum ulla alia Chriſtianorum Eccleſia, majorem unquam adepta eſt. Hoc ergo eſt, quod ſignificat Innocentius, cum ait *Antiochenam Eccleſiam meminiſſe conventum Apoſtolorum celeberrimum fieri.* Nimirum Eccleſia Antiochena fuit, quæ *meruit*, ut *celeberrimus* ille *conventus fieret*, quem Lucas ab Apoſtolis habitum Hieroſolymis fuiſſe capite Actuum 15. narrat; ejuſque habendi occaſionem fuiſſe refert tum exortam apud Antiochiam controverſiam, tum inde miſſos Paulum, & Barnabam, & alios, ſciſcitatum ab Apoſtolis, quid facto opus eſſet; ut omnes norunt. Nihil igitur ad fictitiam Turriani Synodum Innocentianus locus. Sicui vero religio eſt vulgatam lectionem ſollicitare (quamquam equidem

non videam, quæ religio eſſe debeat, duas voculas *apud ſe* à loci ſententia penitus alienas exterere) fatebor equidem ſcripſiſſe hic Innocentium habitum eſſe, *Antiochiæ Apoſtolorum conventum*; vere & conſulto ſcripſiſſe negabo; dicam (quod ſæpe, maximis etiam authoribus contingit) imprudentem, & aliud agentem, ex memoriæ, non ex meptis culpa id Antiochiæ tribuiſſe, quod Hieroſolymis convenit; eaque in re labi eo fuiſſe proclivius, quod totus ille conventus, tametſi non Antiochię, de Antiochenæ tamen Eccleſiæ cauſſa, & quidem ipſius rogatu, ab Apoſtolis fuerit habitus. Sed neq; nos ab antiqua Eccleſiæ de Apoſtolicis Synodis ſententia abſterrere debet Gregorii Piſinuntenſis Epiſcopi in Synodo ſeptima oratio *a*, qui neſcio quam κατ' Ἀντιόχειαν σύνοδον τῶν Ἀποστόλων *Apoſtolorum apud Antiochiam Synodum* memorat. Primo enim ex omni Chriſtianæ Eccleſiæ memoria iſte unus reperitur, qui hoc affirmet; apud cæteros omnes altum de ea Synodo ſilentium. Imo diſerte eam, ut audivimus, negant & Hincmarus, & Gloſſa ordinaria. Quin & ipſe Anaſtaſius Synodi interpres, de ea dubitaſſe videtur; dum illa Gregorii verba ſic reddit: *In Synodo Sanctorum Apoſtolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur*. Cur non

a *Act.* 1. T.5. *Concil.p.*532. *e.*

non ſimpliciter dixit, *quæ congregata eſt?* cur præter græca, illud de ſuo addidit, congregata dicitur? Nimirum ſciebat inauditam eſſe hanc Synodum, eoque non auſus ſimpliciter affirmare *congregatam fuiſſe*, rei fidem penes Gregorium relinquens, dixit, *congregatam dici.* Tum hic Gregorius a. D. 787. illa, quæ adverſarii recitant, pronuntiavit, ſeptem pene ſæculorum intervallo diſſitus, unde nam didicit hanc ab illis habitam Antiochię Synodum? Omnino neceſſe eſt hunc, ſi vera certaque ſunt quæ dicit, ea ab aliquo veterum accepiſſe. Atqui nullus eorum eſt, qui Synodi iſtius meminerit. Ergo relinquitur, ut quæ aliunde non didicerat, ipſe finxerit; adeoque nulla in iis fide dignus ſit. Adhæc unus ille fuit ex Synodi ſeptimæ Patribus; quibus ludus, ac jocus fuit apocrypha pro veris, atque authenticis in hoc imaginum negotio obtrudere, & falſos, ſpurioſque libros authoribus non ſuis affingere. Hoc iis crimen jampridem graviſſime exprobavit, anno poſt peractam ipſam Synodum tertio, vir immortalis in Eccleſia gloriæ, & ab ipſis adverſariis in Sanctos relatus Carolus Magnus *a*; negans Chryſoſtomi eſſe, quæ boni illi Patres *b* ejus nomine attulerant; & quas veluti veras laudabant Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Chri-

a *l.* 3. *de Imag. c.* 20

b *Syn.* 7. *act.* 6.

ſtum epiſtolas, eas in apocryphorum cenſum Gelaſio authore rejiciens. Quibus addi poſſunt, ac debent, ut cętera nunc mittam, quæ magni Athanaſii nomine de Berytenſis imaginis miraculo vel ipſi confinxerunt, vel ab aliis conſicta uſurparunt *b*; item quę veluti Baſilii ex neſcio qua ad Julianum epiſtola recitant. Ipſi adverſarii hęc pene omnia rotundę confitentur. Nam & illam Chryſoſtomi homiliam inter notha ejus opera Fronto Ducæus *c*, nobilis Jeſuita, cenſuit, & Abgari ad Chriſtum, Chriſtique ad Abgarum epiſtolas ſpurias eſſe ac fictitias Bellarminus ex profeſſo probat, & idem *e* quoque libellum de paſſione imaginis Domini, demonſtrat nequaquam eſſe magni Athanaſii. Nihil ergo mirandum eſt, quod Gregorius ex iſtorum adulteratorum numero, ipſe quoque Apoſtolis Synodum Antiochenam præter verum, cæterorumque omnium Patrum fidem auſus ſit affingere. Sed iſtius proprie Gregorii quam ſubleſta ſit fides, vel ex eo poteſt intelligi, quod qui nunc tanto ſtudio imaginum cauſam tuetur, is paulo ante Iconoclaſta fuerat, & in Iconoclaſtarum Synodo ſederat. Homo ſcilicet vanus, & religionem ex commodo pro temporum diverſitate mutare ſolitus, cum ad demerendum Irenes Auguſtæ, impotentiſſimæ imagi-

a *Car. M. de im. l. 4. c. 10.*
b *Syn. 7. act. 4.*
c *Præfat. not. in T. 6. Chryſ.*
d *De ſcript. Eccl. in Petro.*
e *Ibid. Athan. obſerv. in T. 4. §. Liber de paſſione.*

imaginum cultricis, animum, retinendamque Epiſcopatus dignitatem, Iconoclaſtarum caſtra deſeruiſſet, & imaginum defenſoribus nomen dediſſet, putavit mutationem ſuam apud novos amicos inſigni aliquo facinore affirmandam, neque de ejus animo ſuſpicio remaneret. Itaque non ſatis habuit Iconoclaſtis nuntium remittere, & Iconodulorum dogma profiteri, eorumque rationes & argumenta laudare; Ipſe novi aliquid ad eam cauſam conferendum ratus, Apoſtolicam Synodum impudentia neſcio an ſtultitia majore confinxit, & à ſe repertam jactavit; cui vel deſultoria illa, & pro rebus ac temporibus vela contorquens levitas omnem apud probos fidem merito detrahere debet. Poſtremo omnem omnibus ſeptimæ Pſeudo-Synodi hominibus fidem abrogavit magnum annis poſt ipſam non pluribus quam ſeptem Francofurti habitum Concilium *a*, quod trecentorum epiſcoporum fuiſse accepimus; qui uno omnes conſenſu Græcam illam Pſeudo-Synodum, ſeptimæ nomen præferentem, reprobarunt. Ergo teſtimonii, quod in ea dixit Gregorius, nulla eſse debet apud nos vis, vel authoritas. Sed quod mox iterum de eodem dicendum erit; hæc nunc quidem ſatis ſunt ad omnem ipſi fidem in hac cauſa detrahendam. Cum ergo unius teſtis, &

a *Syn. Franc. c. 2.*

quidem pene ſexcentis poſt rem de qua quæritur, nati, adhæc merito in hoc negotio ſuſpecti, nulla haberi vel poſſit, vel debeat ratio, concluſum eſto, quod omnis ſemper credidit Eccleſia, quatuor tantum, vel ad ſummum quinque fuiſse Apoſtolorum Synodos; falſam adeo eſse & commentitiam ſextam illam, quæ dicitur *Antiochena*; falſum pariter & mendacem *antiquum* Turriani *librum*, qui eam impudenter Apoſtolis affingit.

Caput XXIV.

Expenduntur ipſi illi à Turriano editi Canones, & ex ineptis atque abſurdis plurimis, quæ in iis deprehenduntur, demonſtratur, eos falſos & fictitios eſſe 1. can. abſurda, fingentis decretum eſſe, ut in Dominum credentes Chriſtiani dicerentur. Baronii & Binii à Turriano in canonis lectione diverſitas. Tum can. 2. abſurditas, in circumciſione vetanda. Can. 9. prodigioſæ ineptiæ, & immanis in depravanda Scriptura impudentia. Sed & 3. can. ineptum eſſe, & ridicule Apoſtolis affictum.

SED jam ipſa canonum fragmenta conſideremus, à Turriano ex illo libro decerpta. Ea vero multa continent abſurda, & Apoſtolis indigna; unde eorum falſimonia clariſſime deprehenditur. Turrianus hunc canonem

nonem primo loco recitat, *ut credentes in Dominum Jeſum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Chriſtiani deinceps vocarentur.* Sed Baronius & Binius aliter canonem efferunt, nempe; *Ut credentes in Dominum Jeſum, quos illius temporis homines (ut habent Acta) appellabant diſcipulos, dicerentur Chriſtiani.* Primo hæc iſtorum diverſitas canoni fidem abrogat; iſtoſque arguit Babelis eſſe architectos, lingua diſſonos, mendacii operarios. Neque enim effugere poſſunt, quin ipſorum alter, id eſt vel Turrianus, vel Baronius mentitus ſit. Tum à Baronio quæro, unde hanc, quam exhibet, lectionem habeat? Nullum à ſe, nullum ab alio, præterquam à Turriano, viſum hujus Synodi codicem memorat. Cur ergo, quod Turrianus ex uno illo codice repræſentat, mutat? Hic quidem mendacii manifeſtus eſt, captus, ut ajunt, ἐπ' αὐτοφώρῳ. Sed vir bonus, qui probe ſciret fabuloſam eſse totam hanc materiam, ſibi in ea pro libidine ludere jus faſque eſse putavit. Itaque cum intelligeret, quod ſtolide & abſurde finxerat impoſtor Turrianus, *credentes in Dominum* tempore Apoſtolorum *vocatos fuiſſe Galilæos*, id ob omni hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fide abhorrere; quæ noſtris *Galilæorum* nomen narrat, non initio, ſed quarto de-

to demum ſæculo jam adulto, ſub Juliano deſertore, fuiſſe impoſitum; vir Urbanus Baronius ſtultum & abſurdum mendacium alio minus incredibili permutandum ac corrigendum exiſtimavit. Sed non, ſi ex ejus uſu hoc comminiſci commodum fuit, ideo & licuiſſe putandum eſt. Ergo vel Baronii ipſius, Biniique judicio falſus, perperamque fictus eſt allatus à Turriano canon; quem ſcilicet nunquam mutaturi fuiſſent, ſi rectum, verumque eſſe cenſuiſſent. Sed neque ſtare poteſt, quod hi pro Turrianicis verbis impudenter ſupponunt. Ex actis liquere concedo, & Apoſtolos, & Lucam credentes dixiſſe *diſcipulos*; *Illius temporis homines*, hoc eſt vulgum, eo quoque vocabulo ita uſos eſſe, ut cum diſcipulos ſimpliciter dicerent, eos, qui in Chriſtum crederent, intelligerent; hoc inquam nulla Apoſtolorum, nulla aliorum Acta, nulla veterum monumenta docent. Id merum eſt Baronii ſomnium, ex cauſæ ſtudio, atque uſu natum. Tum quod utriq; narrant Apoſtolorum decreto Chriſti diſcipulos vocari cœpiſſe *Chriſtianos*; id inquam, à Lucæ divini ſcriptoris mente & verbis alienum eſt. Ille quidem narrat, cum Barnabas & Paulus annum totum Antiochiæ converſati turbam multam docuiſsent, factum *eſſe, ut ibi pri-*
mum

mum Chriſtiani cognominarentur diſcipuli a (unde impoſtor hujus fingendi canonis occaſionem arripuit) cæterum id decreto Apoſtolorum factum eſſe, neque Lucas, neque quiſquam, præter hunc maleferiatum ſimium, litteris unquam mandavit. Neque ſane quicquam hujuſmodi decreviſſe Apoſtolos veriſimile eſt. Quid enim neceſſe erat, legem de eo ferre, quod per ſe res ipſa docebat? Hæc lex vel ipſis diſcipulis, vel exteris facta eſt, Diſcipulis ſupervacanea fuit quos ipſa illa Chriſti religio, quam profitebantur, cujuſq; præcipua pars erat in Chriſtum ipſum fides, ſatis per ſe monebat, ut ſe Chriſtianos dicerent. Exteris vero, & ab Euangelio alienis, in quos nihil juris habebant Apoſtoli, legem fuiſſe latam, ridiculum dictu eſt. Cum ergo à virorum graviſſimorum atque ſanctiſſimorum ſapientia abhorreat legem ferre vel ſupervacaneam, vel ridiculam, apparet Apoſtolos legem, quam iſtis affinxit craſſus impoſtor, nunquam revera tuliſſe.

a *Act.* 11. 26.

Secundo loco, hunc Antiochenum ſcilicet canonem promit Turrianus; *ut baptizati non jam circumciderentur more Iudæorum, ſiquidem ſit baptiſmus circumciſio non manu facta.* Huic conjungendus eſt alius, ſeptimo loco à Turriano & Binio memoratus, à Baronio nugarum, credo, pertæſo omiſſus,

omiſsus; *quo* (inquit Turrianus) *renovatum, ac confirmatum eſt decretum Synodi Hieroſolymitanæ, ut abſtinerent Chriſtiani à ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Sed & ejuſdem farinæ eſt nono, eoque ultimo loco recenſitus à Turriano canon, verboſiſſimus & nugaciſſimus; quem Latine ex Turriano deſcribam; *Ne* (inquit *a*) *Chriſtiani à cibis abſtinendo Iudæos imitentur; imo veſcantur ſuilla, cum Dominus pronuntiaverit*, quæ in os intrant, non inquinare hominem, ſed quæ ex ore exeunt, *utpote ex corde exeuntia; Et ne ſecundum litteram eos ſectentur, ſed ſpiritualiter & anagogicè vivant. Belluina enim Iudæorum ſynagoga ſuem quidem abominatur; turpem vero vitam vivit, & improbitate tenetur conſtricta; ſicut ait Propheta:* Saturati ſunt ſuilla, & reliquerunt reliquias parvulis ſuis. *Similiter non eſt interdictum Chriſtianis veſci piſce teſtam habente; & piſce item ſquamis carente. Hoc enim eſt ſecundum ſpiritum piſce teſtaceo veſci, cum quis ſtupido & imprudenti corde veritatis prædicationem inſtar teſtæ abjicit.* Hos tres canones, ut liquet, ex Apoſtolorum decreto in Hieroſolymitana Synodo facta, fabricatus eſt impoſtor. Quod enim primus & tertius Canones Chriſtianos circumciſionis, & abſtinentiæ à ſuilla, & à piſcibus

a p. 93. *verſa.*

piſcibus vel teſtaceis, vel non ſquamoſis, jugo ac obſervatione ſolverunt, id Apoſtoli, & quidem multo melius, ac luculentius in Synodo Hieroſolymitana præceperant *a*; *non eſſe imponendum jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos* (inquiunt) *portare potuimus*. Tum in Synodica Epiſtola *b*; *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione.* His verbis, & quod habet ſecundus Turriani canon, de Idolothytis, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione vitandis diſerte præcipiunt Apoſtoli, & quod duo reliqui canones de circumciſione & ſuillæ piſciumque eſu edicunt, id ſatis docent, dum ſe profitentur *nihil ultra oneris* fidelibus *imponere*, præter eam, quam ſubjiciunt, à quatuor illis nuper commemoratis abſtinentiam. Nam cum his quatuor, neque circumciſio, neque à ſuilla carne, & à piſcibus certi generis abſtinentia contineatur, clarum eſt, utriuſque obſervationis, ut & aliorum Moſaicorum rituum jugo, exſolutos fuiſſe per hoc Apoſtolorum decretum fideles. Cum ergo iſta ab Apoſtolis jam antea fuiſſent Hieroſolymis, frequentiſſima Synodo, luculentiſſimo

a *Act.* 15. 10.

b *Ibid.* 28. 29.

lentiſſimo decreto, ampliſſima authoritate conſtituta, ad Antiochenos, & reliquos Syros per Barnabam, & Paulum *a*, alioſq; fideliſſimos diſcipulos miſſa, ab omni multitudine magno cum gaudio excepta, à Paulo inſuper in Syria, Ciliciaque omnibus paſſim Eccleſiis commendata, atque præcepta *b*; quid quæſo opus fuit eadem parvo poſt intervallo eoſdem Apoſtolos in Antiochena Eccleſia, cui illa & notiſſima erant, & cariſſima, decernere, ac inculcare? vel novos canones condere, quaſi prius decretum vel mutilum eſſet, vel obſcurum? Certe ſiqua repetendi decreti (quæ non demonſtratur ulla fuiſſe) neceſſitas extitiſſet, ea ſuaſiſſet ſuperiorem Apoſtolorum conſtitutionem, qua nulla unquam in terris à Domini Chriſti aſcenſione, majori authoritate facta eſt, de integro edi, ac commendari; novos, ac numero plures ea de re, quæ ſapientiſſime, ac pleniſſime uno decreto conſtituta erat, canones fieri, nihil omnino cogebat; omnia ne fierent potius repugnabant. Novis enim legibus, veterum, ſi non evertitur, certe labefactatur, ac quodammodo ſugillatur authoritas; quaſi ſcilicet eæ vel male fuerint, vel aliquo ſaltem vitio laboraverint, minuſque vel plenæ, vel claræ fuerint. Quæ enim ab omni parte recte, ſapien-

a *Act. c.* 15. 30. 31.

b *Ibid. verſ.* 40. 41.

ſapienterque conſtitutæ ſunt, eas interpolare, ac demutare, hominis eſt, ut videtur, parum prudentis. Cum ergo omnium mortalium longe ſapientiſſimi fuerint Chriſti Domini Apoſtoli, plane eſt incredibile eos, quam paucis ante annis divine conſtituerant de iſtis legem, tribus his canonibus, quod mentitur impoſtor, voluiſſe commutare. Huc accedit, quod in tertio canone non pauca occurrunt ab Apoſtolis penitus aliena. Quale eſt, quod ibi legitur Chriſtianos debere ἀναγωγικῶς πολιτεύεσθαι, *anagogice converſari*, vel *vivere?* Quis Apoſtolorum, quis divinorum ſcriptorum, imo quis homo ſanæ mentis ſic locutus eſt? *Anagogice* aliquid *interpretari* Chriſtianorum Theologi dicunt, (quamquam ne ſic quidem uſpiam loquuutur divini ſcriptores) *anagogicè* vero *converſari*, qui dixerit, præter iſtum Turriani impoſtorem, ſcio neminem. Tum & quod ſtatim Judæorum *Synagogam* κτηνώδη *belluinam* vocat, id ab Apoſtolorum & gravitate & modeſtia, imo & ſapientia abhorret; quod Iudæos delinire, & ſibi inprimis conciliare in illis Chriſtianiſmi initiis ſtuderent, ut vel ex decreto de idolothytis, & ſuffocatis vitandis apparet, quod in eorum gratiam factum eſſe conſtat. Veri quidem Apoſtoli, capite Actorum 15.

in quo idem, quod hic canon, præcipiunt, ab omni in Iudæos convitio ſedulo abſtinent; neque quicquam de re tota gravius dicunt, quam hoc unum, neque ſe, neque majores ſuos potuiſſe portare illud Moſaicorum rituum jugum. Præterea hic canon ſacram ſcripturam & impudenter, & ſane iocculariter corrumpit. Hæc enim ex Propheta citat, ἐχορτάσθησαν ὑείων, καὶ ἀφῆκαν τὰ κατάλοιπα τοῖς νηπίοις αὐτῶν, id eſt, interprete Turriano, *Saturati ſunt ſuilla, & reliquerunt reliquias parvulis ſuis.* Hic vero impoſtoris ſtultitia an impudentia major
a Pſ. 16. ſit, neſcio. Nam cum apud Prophetam
14. (Heb. ſcriptum ſit, *Saturati ſunt filiis, & dimi-*
17. 14.) *ſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis*, impoſtor ex eo quod in Gręco legebat, ἐχορτάσθησαν υἱῶν, *Saturati ſunt filiis*, levi litterarum mutatione, ut locum ad ſuillæ ſuæ eſum inflecteret, fecit, ἐχορτάσθησαν ὑείων, *Saturati ſunt ſuillis carnibus*, quod uſque adeo puerile, joculare, ac ridiculum eſt, ut qui hoc ſcripſiſſe Apoſtolos putat, eum non ſuillam, ſed fœnum & carduos eſſe oporteat. Denique, nonne & Apoſtolico ingenio digniſſima eſt illa præclara allegoria, qua *teſtaceo piſce veſci ſecundum ſpiritum*, idem eſſe ait, quod *veritatis prædicationem inſtar teſtæ abjicere?* Vere *teſtaceum* ἀλληγόρημα. At tibi male ſit, impoſtor;

poſtor; ita non modo impudens es & nequam, ſed etiam ſtultus & væcors.

Quid de illo tertio canone dicam, in quo Turrianus ait cautum fuiſſe, *ut ex omni natione, & genere ad fidem Orthodoxam admitterentur*? Quaſi vero poſt diſertum Domini Chriſti mandatum, oblatamque cœlitus Petro viſionem, & ſermones de hoc argumento ultro citroque ab Apoſtolis habitos, & ipſa Gentium converſione repræſentatam cœleſtium mandatorum fidem, quiſquam inter Chriſtianos remanſerit, qui dubitaret, an alicujus vel generis, vel gentis homines à Chriſti fide excludi deberent! Eadem ratione licebat impoſtori Apoſtolos facere decernentes, ut in poſterum jus quibuſvis eſſet pœnitentiam agere, & Deum invocare. Non enim hæc illo clariora, aut in Chriſti diſciplina notiora. Sed quia impoſtor inaudiverat fuiſſe initio aliquid inter primos diſcipulos ideo turbatum, quod Petrus & alii homines Ethnicos ad baptiſmum, & Eccleſiæ communionem præputiatos admiſiſſent: eo putavit, bellam ſibi canonis cudendi oblatam occaſionem, quo, quod ab Apoſtolis factum ſciebat, id ab omnibus fieri decerneret.

CAP. XXV.

Octavus canon expenditur, & quam falſus ſit & vanus oſtenditur, 1. ex ipſa lectionis triplicis varietate. 2. ex Apoſtolica doctrina. 3. ex vetuſtiſſimorum Patrum fide. 4. ex ipſius Synodi 7. totiuſque Græcæ Eccleſiæ de imaginibus ſententia, & praxi; quo loco Binii fraus detegitur in voce ςήλη, cujus etymon, & ſenſus explicatur. Tota de pſeudepigraphis Apoſtolicis diſputatio concluditur.

DENIQUE octavus canon, ob quem unum cæteros omnes fictos ſuiſſe apparet, evidentiſſime falſus eſt. Idque primo arguit ipſa lectionis diverſitas; Nam canon in Septimę Synodi (in qua à Gregorio Piſinuntis epiſcopo recitatur) antiqua tranſlatione Latina ita legitur; *Servatos non debere amplius ad idola aberrare, ſed certandum eſſe ante columnam Dei hominiſque Ieſu Chriſti Domini noſtri.* In recentiori vero Anaſtaſii Bibliothecarii verſione, hominis in imaginum negotio, fidei vehementer ſuſpectę longe aliter; *Ne ultra errent hi, qui ſalvi fiunt, circa idola, ſed pro eis imaginentur deivirilem ſtatuam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Denique in Turriani libro hoc modo expreſſus habetur; τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλὰ ἀντει-

a *act.* 1. T. 6. *Conc. p.* 7. 6.
b *act.* 1. T. 5. *Conc. p.* 532. *e.*
c *l. pro can. Apoſt. c.* 25. *p.* 91. *verſa.*

ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, καὶ μηκέτι πλανᾶσθαι εἰς εἴδωλα, μηδὲ ὁμοιοῦσθαι τοῖς Ἰουδαίοις. quę Latine ſic exhibet Binius; *Ut ne errent ſalvati in idola, ſed pingant ex oppoſito divinam humanamq; manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac ſalvatoris noſtri Ieſu Chriſti ipſiuſque ſervorum, contra idola, & Iudæos. Neque errent in idolis, neque ſimiles fiant Iudæis.* Hæ tres ſunt hujus canonis, multum, ut quivis videt, diverſæ, diſcrepanteſque lectiones. Prima, omnium antiquiſſima, de imaginibus verbum ſacit nullum; tantum ait *certandum eſſe ante columnam Domini noſtri Ieſu Chriſti*; quod quid ſit, difficile eſt dicere, niſi forte hoc velit, in conſpectu Eccleſiæ, quæ Chriſti in terris columna eſt, divinæque veritatis στύλος καὶ ἑδραίωμα, fortiter contra idola, & idololatras pugnandum. Vel fortaſſe per στήλην Χριστοῦ *crucem Dominicam* intelligit; nam cruci στήλης quoque vocabulum convenire, ex iis, quæ de hujus vocis uſu & etymo mox dicemus, apparebit. Secunda longe hinc abit; & pro eo, quod prior *certandum eſſe* dicebat, hæc ait *imaginandum*; pro ęa quod illa habet, *ante columnam Dei hominiſque*

 miniſque

miniſque Ieſu Chriſti, hęc *deivirilem Chriſti* ſtatuam reponit. Inter quæ quam immane ſit diſcrimen, omnes vident. Illa *certare* nos jubet *ante Chriſti columnam*; quod ſi eſt, ut diximus, ante Chriſti vel crucem, vel Eccleſiam, verum eſt, & apud omnes confeſſum; hæc præcipit *nobis imaginari ſtatuam Chriſti*, quod neque divinæ litteræ, neque Eccleſiaſticorum hominum quiſquam ante ſextum ſęculum docuiſſe legitur; ut ipſam locutionis ineptiam mittam. Quis enim præter Anaſtaſium dixit unquam *imaginari ſtatuam*, ut ſignificaret ſtatuam facere & effingere? Illa denique Chriſtum *Deum hominemque* vocat, quod ſanum eſt; hæc *imaginariam* illam, ſive potius *imaginatam* Chriſti ſtatuam *Deivirilem* appellat; quod novum eſt, & in omni Eccleſia ante iſtum Anaſtaſium inauditum. Ex quibus liquet, textum Græcum peſſime ab Anaſtaſio acceptum fuiſſe, penituſque corruptum, ſubſtituto verbo ἀντεικονίζειν (quod ipſe *imaginari pro idolis*, ſive *in vicem idolorum* reddidit) pro verbo ἀγωνίζεσθαι *certare*; quod veriſimile eſt in primis illis codicibus extitiſſe, quibus uſus eſt antiquus, qui idem ſimpliciſſimus eſt, interpres. Tum pro eò quod in veteri codice fuiſſe videtur, θεανθρώπου Χριστοῦ Dei hominis Chriſti, iſte finxit τὴν θεαν-

δρικὴν

δρικὴν Deivirilem Christi ſtatuam. Turrianicus impoſtor Anaſtaſianas corruptelas ſecutus eſt; ſed eas aliis inſuper auxit; ut fere eſt immoderatum, & inexſaturabile mendacii & ſuperſtitionis ingenium. Cum enim Christi *ςήλην statuam* Anaſtaſius ſimpliciter dixiſſet *θεανδρικὴν*, iſte eam inſuper novis elogiis cohoneſtat, *ἄκρατον, impermixtam, & χειροποίητον manufactam* appellans; quod ultimum ideo adjeciſſe videtur, nequis quod ipſe de ſculpta ab artifice ſtatua intelligit, ad aliam aliquam Christi ſive ſtatuam, ſive columnam, referret. Adhæc cum Anaſtaſius ſolius Dominicæ effigiei meminiſſet, recentior iſte planus *Servos* quoque *Christi*, id eſt *Sanctos* diſerte commemorandos cenſuit. Ac denique mercem, ut vendibiliorem faceret, novo colore à Judæorum odio, & lepida quadam antitheſi ducto, commendandam, ac exornandam putavit. Anaſtaſius dixerat, *pro idolis imaginentur Deivirilem ſtatuam Domini noſtri Ieſu Christi*; hic prætęrea iſta addidit, *ipſiuſque ſervorum contra idola & Iudæos. Neque errent in idolis, neque ſimiles fiant cum Iudæis.* Nos Chriſtianos medio inter Paganos Iudæoſque loco conſiſtere vult; ut neque ſcilicet cum illis falſorum numinum ſimulacra colamus; ſed neque cum his Domini & ſan-

ctorum imagines repudiemus. Sui ergo canonis verba inter ſe concilient, ſi poſſunt, Binius ac Baronius; Neque enim fieri poteſt, ut verum ſit, quod unum non eſt, ſed varium ac multiplex. Quod enim ait
a *a*. D. 102. §. 20. bonus Baronius hujus canonis verba *conciſe & perperam traſlata* ab antiquo 7. Synodi interprete fuiſſe *perſacile colligi ex Græca editione, quam* Turrianus *deſcribit*; id inquam, falſo ac temere, & ex uno cauſæ ſtudio dictum fuiſſe reſpondeo. Imo vero ex iis, quæ nuper diximus, *perſacile colligitur* primo, corruptum ab Anaſtaſio homine aſtuto, magno imaginum patrono, Græcæ Synodi textum; quem vetus interpres vere & ſimpliciter (ut ſolet) repræſentaverat; ſecundo, ipſam Anaſtaſii fœtum novis inſuper modis à recentiore illo Turriani impoſtore adulteratum fuiſſe, additis iſtis, quas nuper deſcripſimus, laciniis, quæ neque in Anaſtaſiana tranſlatione, neque in Græco Synodi ſeptimæ ex ea vitiato, ut videtur, codice, comparent. Itaque cum antiquiora recentioribus, ſimplicia artificioſis anteferenda ſint, ſi quos hujuſmodi canones ab Apoſtolis Antiochiæ conditos conſtaret (quod quam non modo incertum, ſed & falſum ſit demonſtravimus) hæc canonum iſtorum hoc loco verba ex veteris interpretis fide legenda eſſent;
ſent;

ſent; & ex eo Anaſtaſii, Turrianicique codicis corruptelæ corrigendæ, ac emendandæ; quos ſcilicet veteri illo ſeptimę Synodi interprete recentiores fuiſse clarum eſt. Sed viderint adverſarii. Nos, qui canonem hunc omnino falſum ac fictitium eſſe putamus, neque ullam ejus lectionem Apoſtolorum vere eſſe arbitramur, ultimam illam Turrianicam, quam Baronius, tametſi præter omnem rationem, cæterarum, noviſſimam antiquiorum normam eſſe vult, nunc ſigillatim expendamus. Hunc ergo canonem à Turriano deſcriptum falſo & inverecunde Apoſtolis tribui; primum ex iis, quibus conſtat, verbis probo. Nam vox θεανδρικὸς *deivirilis*, quæ in eo extat, ab omni Apoſtolorum ſermone aliena eſt, neque uſpiam in veris eorum litteris oſtendi poteſt. Tum idem ex rebus ipſis multo etiam luculentius demonſtro. Nam quod hic canon ſtatuit, ut Christi ϛήλη *ſtatua* fiat, id à vero Apoſtolorum dogmate abhorret; idque liquet primo ex veris canoniciſque Apoſtolorum libris, in quibus nihil uſpiam tale fidelibus præceptum invenimus; nuſpiam oppoſitas Paganorum ſimulacris Chriſti & ſervorum ejus ſtatuas. Secundo idem ex eo probatur, quod canon Chriſtianos Judæorum hac in parte diſſimiles eſſe vult; id vero non modo nuſquam

ab Apoſtolis in divinis litteris decernitur; ſed neque decretum revera unquam fuiſſe patet; tum quod hoc Iudæos nunquam Apoſtolis objeciſſe, exprobraſſeque legamus, quod (ſi verum eſſet) nemo dubitat, quin ante omnia velut capitale ſcelus, iis objecturi fuerint; tum quod id falſum ſit, & cum divina lege diſerte pugnet. Cum enim Dei lex, in qua cujuſquam rei ſimulacrum fieri prohibetur, excepta ea parte, quæ *cærimonialis* & *politica* dicitur, tam Chriſtianorum, quam Iudæorum ſit; apparet, niſi (quod ſtultum eſt) fingatur, illud de ſimulacris præceptum ad cærimonialem legem pertinere; eandem omnino eſſe Chriſtianorum, quæ Iudæorum eſt, rationem. Tertio, idẽ quoq; validiſſime ex totius veteris Chriſtianæ praxi, ac ſententia demonſtratur: quam quia proprio opere fuſe exſecuti ſumus, nihil neceſſe eſt hic pluribus explicare.

a l. 1. & 2. de Imag. In illa enim diſputatione oſtendimus nullas apud vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Chriſtiano... fuiſſe Chriſti & Sanctorum im...

l. 2. c. 6. dam ex vetuſtiſſ...

mente...

Ori...

h...

dam veterum voces recta cum iſto canone pugnantes attulimus; qualis illa eſt Eliberitanorum Patrum; *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*; & hæc Epiphanii, *In Eccleſia Chriſti contra Scripturarum authoritatem eſt hominis pendere imaginem*; quam ſententiam Epiphanius ipſo facto comprobavit, *ſciſſo*, Anablatenſis Eccleſiæ *velo*, quod *in eo depictam* vidiſſet *imaginem quaſi Chriſti vel ſancti cujuſdam*. Cætera mitto, quæ in illa diſputatione videat, qui volet. Abſurdum autem eſt, planeque incredibile, ſanctiſſimos illos viros de his ita ſenſuros fuiſſe; ſi Apoſtoli quod hic canon decernit, id revera ſtatuiſſent. Sed neque veriſimile eſt Synodum Conſtantinopoli a. D. 754. ex 338. Epiſcopis conſtantem una voce, concordique ſententia definiturum fuiſſe Chriſtum Do[illegible] impie vel dividere, vel confun- d[illegible] qui ejus ima[illegible]m pingunt; I- [illegible]s imagi[illegible] ex Chriſti, [illegible]oſtolo[illegible]trum tra- [illegible]abere[illegible]irginis & [illegible]agine[illegible]ſſe, & in [illegible] cont[illegible]eque item [illegible]ande[illegible]l depoſi- [illegible]nath[illegible]ram fuiſſe [illegible]qui[illegible]ſmodi vel con-

a *Ibid. l. 2. c. 2. c. Elib. 36.*

b *Ep. ad Joan. Hier.*

c *In Syn. 7. act. 6. T. 3. Synodi Iconocl. ibid. T. 4.*

d *Ibid. tom. 5.*

conſtruxiſsent, vel in Eccleſia, privatiſve ædibus collocaviſsent, ſi hic Turrianicus canon vere ab Apoſtolis conditus, publicatuſque in Eccleſia fuiſset. Quinto. Carolus Magnus, cujus ore omnis loquebatur Galliarum, , ac Germaniarum Eccleſia, diſertiſſime negat *rem* à Synodo ſeptima definitam (id eſt imaginum cauſsam) *ab Apoſtolis vel ab eorum ſuccceſſoribus ſtatutam fuiſſe.* Sexto. Idem quoque ex eo deprehenditur, quod eorum omnium, qui Chriſti & ſanctorum imagines probarunt ac defenderunt, nemo unquam hunc diſertiſſimum, quique ſi verus eſset, unus abunde ſufficeret, canonem Antiochenum in hac cauſsa attuliſse, adverſariiſque objeciſſe legitur, non Gregorius Magnus Sereno Maſſilienſi, non Damaſcenus, non Germanus, non Nicephorus Greci ſuæ gentis Iconoclaſtis, non Adrianus Carolo, non Ionas Aurelianenſis Claudio, non Valafridus Strabo, non cæteri, qui imagines vel colendas, vel duntaxat ad ornatum, aut inſtructionem habendas ſenſerunt. Vnus ex omni iſtorum ingenti numero repertus eſt Gregorius ille Piſinuntis Epiſcopus, homo ignobilis, neque uſpiam, quod ſciam niſi in illa 7. Synodo, cui interfuit, nominatus, qui peregrinum iſtum, totique hactenus Chriſtiano orbi indictum, & inaudi-

a L. 3. de im. c. 11. p. 353. vid. & l. 2. c. 25.

tum

tum canonem, ex neſcio quibus latebris erutum in lucem primus edidit, ſed & ipſũ longe alium (ut diximus) ab eo, quem nunc obtrudit Turrianus. Iſtum vero canonem quis Gregorio Romano, quis Damaſceno, & Germano, aliiſque nuper memoratis viris, quorum incomparabiliter major in Eccleſia eſt, quam iſtius Piſinuntenſis fama, gloria, atque authoritas, ignotum futurum fuiſſe putaverit, ſi revera eſſet Apoſtolicus? Poſtremo non cum Iconoclaſtarum modo fide pugnat iſte canon, ſed & ipſorum Septimæ Synodi Patrum, Græcorumque ejus placita ſequentium, ſententiam pulſat. Nam Græci, quod omnes ſciunt, ſolas imagines ex coloribus pictas probant; ſculptas, & eminentiam expreſſionum repudiant; Septima vero pariter Synodus non alias conſtituit, quam τὰς ἐκ χρωμάτων καὶ ἐκ ψηφῖδος, *ex coloribus & teſſellis*, id eſt operis (ut vocant) *muſivi*; & Germanus ſimiliter negat *ſtatuas æneas faciendas*. Turrianici Apoſtoli plane contra, nullas alias vel Chriſti, vel ſanctorum effigies commendant, quam vel ſculptas, vel conflatas, ac denique ſtantes. Id enim ſignificat nomen ϛήλη *ſtatua*, quo utitur canon; omninoque perverſe ac falſo eam vocem Binius *effigiem*, multo latiori, quam decebat, vocabulo reddidit. Στήλη enim à

a *act.* 7.
b *In Syn.* 7. *act.* 4.

ϛῶ

στῶ, unde Latinum *ſto* factum eſt, neque id nominis de imagine penicillo, & coloribus in plano expreſsa dictum reperitur. Etymologicum magnum, στήλη παρὰ τὸ στῶ, στήσω· σημαίνει δὲ τὸν ἐν τῇ κεφαλῇ κείμενον τοῦ τεθνεῶτος λίθον· ἐξ οὗ καὶ στηλίτης, καὶ στηλιτεύω τὸ θριαμβεύω· Euſtathius argutius. στήλη δὲ κυρίως, ἡ ἐκ λίθου, ὡς ἀπὸ τοῦ στήσω τοῦ λᾶας ὁ λίθος, ὁ ἐκ λίθου δηλαδὴ ἀνεστηκὼς ἀνδριάς. *Rectum ex lapide ſignum.* Vult componi ex στῶ & λᾶας lapis. Unde & ipſe quoque στηλιτεύειν factum dicit, σκωπτικῶς τὸ στήλαις ἐγγράφειν τὰ κατά τινων. Inde στηλιτευτικοὶ λόγοι, quales habemus hoc ipſo nomine dictas Gregorii Nazianzeni adverſus Julianum Auguſtum deſertorem orationes invectivas duas. Hujuſmodi στήλην Suidas ſic definit, στήλη λίθος ἐστὶν ἢ χαλκὸς ἐπιμήκης, τετραγώνῳ σχήματι ἱδρυμένος, ἐν ᾗ γέγραπται ἡ τοῦ στηλιτευομένου ὕβρις. Ergo στήλη cippus eſt, columna lapis è terra extans, quales ſepulcrales columnæ. Suidas θεμελίους quoque *fundamenta* στήλας interpretatur, & λίθον καμπτῆρα, in ſtadio lapidem, *ad quem flectebant currum aurigæ*, à Sophocle στήλην dictum docet. Tum de columnis accipit, quæ vel ſepulcris imponebantur, vel victoribus erigebantur, καὶ ἐπιγράμματα (inquit) ἐπιδέχονται. Iis ſcilicet victoris nomen,

a In Iliad. λ. p. 849. 60. edit. Rom.

men, & certamen, & laus inſcribebatur. In genere ςῆλαι columnæ; ut Herculis, quæ Græcis apud eundem Suidam ςῆλαι Ηρακλεῖαι. Cum ergo Turrianici Apoſtoli ςήλας Chriſto & ſanctis fingi & poni jubeant, de imaginibus penicillo in plano expreſſis nihil dicant, apparet eos plane aliud ſentire quam ſeptimæ Synodi patres, & Græcos, qui ſigna, & ſtatuas ex lapide, vel ære, vel ligno erectas, ſtanteſque ac ſolidas reprobant; ſolas coloribus illuſas, pictaſq; tabulas, & icones in religionis uſum admittunt. Unde videre eſt Gregorium illum Piſinuntenſem ne ei quidem, cui interfuit, Synodo perſuaſiſse hunc vere Apoſtolorum eſse canonem; quem haud dubie ſecuti eſsent, ſi Apoſtolicum eſse putaſsent. Sed ne ipſe quidem fortaſse Gregorius illum Turrianicum canonem, ſi vidiſset, agnoviſset; plane, ut oſtendimus, ab eo diverſum, quem ipſe citat.

Atque ita ſatis ſuperque demonſtratum eſt non modo Apoſtolicos non eſſe novem iſtos nuper à Turriano editos canones, ſed ne ſani quidem, aut eruditi eſse authoris; in quibus, ut nunc quidem liquet, nihil pœne ſani eſt, aut integri; omnia abſurda, ab hiſtoriæ divinæ atque Eccleſiaſticæ veritate, à doctrinæ ſacræ rationibus, ab omnium fere Chriſtianorum

rum

rum ſententia aliena;ut nō modo impudentem, ſed etiam craſſum, ac ſtupidum fuiſſe oporteat, qui tales ineptias præter omnem veri ſpeciem ſanctiſſimis Apoſtolis affingere auſus ſit. Quo fit, ut tametſi non neſciam ſummam eſſe Turriani in his adverſum nos diſputationibus audaciam, atque inverecundiam, ac non mediocrem etiam interdum inſcitiam; vix tamen queam in animum meum inducere, tam informem, abſurdumq; fœtum ab eo prognatum eſſe, potiuſque eo propendeam, ut credam impoſtorem de iſta recentiorum Græculorum caterva fuiſſe, qui dictam à Gregorio in Synodo 7. ſententiam nactus, eam arripuit, excolendamque, ac perpoliendam putavit, & ex hoc rudimento, pro captu ſuo (nihil enim eſt iſtis infimorum ſæculorum Græculis nequius, imperitus, & ad omnia in litteris flagitia projectius) hanc Synodi ſcilicet Antiochenæ fabulam, ſtultiſſime, abſurdiſſimeque inſtruxit, ac fecit; in quam cum incidiſſet Turrianus, homo omnium quiſquiliarum, ineptiarum, & anilium fabularum avidiſſimus, carbones pro theſauro nobis venditavit, Hæc autem paulo fuſius, quam fortaſſis neceſſe erat, diſputare libuit, ut omnis adverſariorum frangeretur impudentia. Nam ſi apud homines candidos, ſapientes, & verecundos,

qualès

Digitized by Google

quales etiam in iſtis partibus plurimi reperiuntnr, hæc cauſſa agatur, non dubito, quin ab ipſo ſtatim diſputationis limine ſummovendus ſit Turrianus. Cujus enim frontis eſt, poſt clauſum obſignatumque jam ante quindecim pene ſæcula Apoſtolicarum ſcripturarum canonem, repente nobis novos iſtos omnibuſque antiquiſſimis authoribus ignotos canones obtrudere, eoſque ſumma vi in Apoſtolicorum librorum cenſum inferre velle? Si hæc licent, nullus unquam erit Apoſtolici canonis finis, aut modus. Neque enim unquam deerunt procacia & inverecunda ingenia, quæ ſuos partus Apoſtolis commodent, ſuaſque fabulas ac nænias glorioſiſſimo, & ſanctiſſimo eorum nomine commendent. Atqui contra & Turriani, & Græcorum & omnium, qui fuerunt, quique erunt, impoſtorum audaciam, juſtiſſima hac æquiſſimaque præſcriptione abunde cautum erit, ſi nullus unquam liber Apoſtolicus cenſeatur, vel pro Apoſtolico obtrudatur, niſi quem in Apoſtolicorum librorum canone diſerte repoſuerint, vel omnes, vel certe plurimi priorum trium ſæculorum Patres; cæteri, vel à nemine primæ illius memorię, vel certe à pauciſſimis in hoc numero recenſiti, aut memorati, ex Eccleſiæ finibus eveſtigio exterminentur, velut apocryphi,
 & ab

ctorum imagines repudiemus. Sui ergo canonis verba inter ſe concilient, ſi poſſunt, Binius ac Baronius; Neque enim fieri poteſt, ut verum ſit, quod unum non eſt, ſed varium ac multiplex. Quod enim ait
a a. D. 102. §. 20. bonus Baronius hujus canonis verba *conciſe & perperam traſlata* ab antiquo 7. Synodi interprete fuiſſe *perfacile colligi ex Græca editione, quam* Turrianus *deſcribit*; id inquam, falſo ac temere, & ex uno cauſæ ſtudio dictum fuiſſe reſpondeo. Imo vero ex iis, quæ nuper diximus, *perfacile colligitur* primo, corruptum ab Anaſtaſio homine aſtuto, magno imaginum patrono, Græcæ Synodi textum; quem vetus interpres vere & ſimpliciter (ut ſolet) repræſentaverat; ſecundo, ipſam Anaſtaſii fœtum novis inſuper modis à recentiore illo Turriani impoſtore adulteratum fuiſſe, additis iſtis, quas nuper deſcripſimus, laciniis, quæ neque in Anaſtaſiana tranſlatione, neque in Græco Synodi ſeptimæ ex ea vitiato, ut videtur, codice, comparent. Itaque cum antiquiora recentioribus, ſimplicia artificioſis anteferenda ſint, ſi quos hujuſmodi canones ab Apoſtolis Antiochiæ conditos conſtaret (quod quam non modo incertum, ſed & falſum ſit demonſtravimus) hæc canonum iſtorum hoc loco verba ex veteris interpretis fide legenda eſſent;

ſent; & ex eo Anaſtaſii, Turrianicique codicis corruptelæ corrigendæ, ac emendandæ; quos ſcilicet veteri illo ſeptimę Synodi interprete recentiores fuiſse clarum eſt. Sed viderint adverſarii. Nos, qui canonem hunc omnino falſum ac fictitium eſſe putamus, neque ullam ejus lectionem Apoſtolorum vere eſſe arbitramur, ultimam illam Turrianicam, quam Baronius, tametſi præter omnem rationem, cæterarum, noviſſimam antiquiorum normam eſſe vult, nunc ſigillatim expendamus. Hunc ergo canonem à Turriano deſcriptum falſo & inverecunde Apoſtolis tribui; primum ex iis, quibus conſtat, verbis probo. Nam vox *θεανδρικὸς deivirilis*, quæ in eo extat, ab omni Apoſtolorum ſermone aliena eſt, neque uſpiam in veris eorum litteris oſtendi poteſt. Tum idem ex rebus ipſis multo etiam luculentius demonſtro. Nam quod hic canon ſtatuit, ut Chriſti *ςήλη ſtatua* fiat, id à vero Apoſtolorum dogmate abhorret; idque liquet primo ex veris canonicisque Apoſtolorum libris, in quibus nihil uſpiam tale fidelibus præceptum invenimus; nuſpiam oppoſitas Paganorum ſimulacris Chriſti & ſervorum ejus ſtatuas. Secundo idem ex eo probatur, quod canon Chriſtianos Judæorum hac in parte diſſimiles eſſe vult; id vero non modo nuſquam

ab Apoſtolis in divinis litteris decernitur, ſed neque decretum revera unquam fuiſſe patet; tum quod hoc Iudæos nunquam Apoſtolis objeciſſe, exprobraſſeque legamus, quod (ſi verum eſſet) nemo dubitat, quin ante omnia velut capitale ſcelus, iis objecturi fuerint; tum quod id falſum ſit, & cum divina lege diſerte pugnet. Cum enim Dei lex, in qua cujuſquam rei ſimulacrum fieri prohibetur, excepta ea parte, quæ *cærimonialis* & *politica* dicitur, tam Chriſtianorum, quam Iudæorum ſit; apparet, niſi (quod ſtultum eſt) fingatur, illud de ſimulacris præceptum ad cærimonialem legem pertinere; eandem omnino eſſe Chriſtianorum, quæ Iudæorum eſt, rationem. Tertio, idē quoq; validiſſime ex totius veteris Chriſtianæ praxi, ac ſententia demonſtratur: quam quia proprio opere fuſe exſecuti ſumus, nihil neceſſe eſt hic pluribus explicare. In illa enim diſputatione oſtendimus nullas apud vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Chriſtianos fuiſſe Chriſti & Sanctorum imagines; quinimo quoſdam ex vetuſtiſſimis Theologis, ut Clementem, ut Tertullianum, ut ipſum illum Origenem (in cujus bibliotheca præclarum hunc canonem repertum fuiſſe fabulantur) eo uſque proceſſiſſe, ut nefas eſſe docerent ullam imaginem effingere. Tum & quaſ-

a l. 1. & 2. de Imag.

l. 2. c. 6.

dam

dam veterum voces recta cum iſto canone pugnantes attulimus; qualis illa eſt Eliberitanorum Patrum; *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*; & hæc Epiphanii, *In Eccleſia Chriſti contra Scripturarum authoritatem eſt hominis pendere imaginem*; quam ſententiam Epiphanius ipſo facto comprobavit, *ſciſſo*, Anablatenſis Eccleſiæ *velo*, quod *in eo depictam* vidiſſet *imaginem quaſi Chriſti vel ſancti cujuſdam*. Cætera mitto, quæ in illa diſputatione videat, qui volet. Abſurdum autem eſt, planeque incredibile, ſanctiſſimos illos viros de his ita ſenſuros fuiſſe, ſi Apoſtoli quod hic canon decernit, id revera ſtatuiſſent. Sed neque veriſimile eſt Synodum Conſtantinopoli a. D. 754. ex 338. Epiſcopis conſtantem una voce, concordique ſententia definiturum fuiſſe Chriſtum Dominum impie vel dividere, vel confundere eos, qui ejus imaginem pingunt; Item talem ejus imaginem neque ex Chriſti, neque ex Apoſtolorum, vel Patrum traditione eſſe habere; B. vero Virginis & Sanctorum imagines & inutiles eſſe, & in ipſos Sanctos contumelioſas; neque item credibile eſt eandem Synodum vel depoſitioni, vel anathemati ſubjecturam fuiſſe eos omnes, qui imagines hujuſmodi vel con-

a *Ibid. l. 2. c. 2. c. Elib.* 36.

b *Ep. ad Joan. Hier.*

c *In Syn. 7. act.* 6. *T.* 3. *Synodi Iconocl. ibid. T.* 4.

d *Ibid. tom.* 5.

Digitized by Google

conſtruxiſsent, vel in Eccleſia, privatiſve ædibus collocaviſsent, ſi hic Turrianicus canon vere ab Apoſtolis conditus, publicatuſque in Eccleſia fuiſset. Quinto. Carolus Magnus, cujus ore omnis loquebatur Galliarum, , ac Germaniarum Eccleſia, diſertiſſime negat *rem* à Synodo ſeptima
a L. 3. de im. c. 11. p. 353. vid. & l. 2. c. 25. definitam (id eſt imaginum cauſſam) *ab Apoſtolis vel ab eorum ſuccceſſoribus ſtatutam fuiſſe.* Sexto. Idem quoque ex eo deprehenditur, quod eorum omnium, qui Chriſti & ſanctorum imagines probarunt ac defenderunt, nemo unquam hunc diſertiſſimum, quique ſi verus eſset, unus abunde ſufficeret, canonem Antiochenum in hac cauſsa attuliſse, adverſariiſque objeciſſe legitur, non Gregorius Magnus Sereno Maſſilienſi, non Damaſcenus, non Germanus, non Nicephorus Græci ſuæ gentis Iconoclaſtis, non Adrianus Carolo, non Ionas Aurelianenſis Claudio, non Valafridus Strabo, non cæteri, qui imagines vel colendas, vel duntaxat ad ornatum, aut inſtructionem habendas ſenſerunt. Vnus ex omni iſtorum ingenti numero repertus eſt Gregorius ille Piſinuntis Epiſcopus, homo ignobilis, neque uſpiam, quod ſciam niſi in illa 7. Synodo, cui interfuit, nominatus, qui peregrinum iſtum, totique hactenus Chriſtiano orbi indictum, & inaudi-

tum

tum canonem, ex neſcio quibus latebris erutum in lucem primus edidit, ſed & ipſū longe alium (ut diximus) ab eo, quem nunc obtrudit Turrianus. Iſtum vero canonem quis Gregorio Romano, quis Damaſceno, & Germano, aliiſque nuper memoratis viris, quorum incomparabiliter major in Eccleſia eſt, quam iſtius Piſinuntenſis fama, gloria, atque authoritas, ignotum futurum fuiſſe putaverit, ſi revera eſset Apoſtolicus? Poſtremo non cum Iconoclaſtarum modo fide pugnat iſte canon, ſed & ipſorum Septimæ Synodi Patrum, Græcorumque ejus placita ſequentium, ſententiam pulſat. Nam Græci, quod omnes ſciunt, ſolas imagines ex coloribus pictas probant; ſculptas, & eminentiam expreſſionum repudiant; Septima vero pariter Synodus non alias conſtituit, quam τὰς ἐκ χρωμάτων καὶ ἐκ ψηφῖδος, *ex coloribus & teſſellis*, id eſt operis (ut vocant) *muſivi*; & Germanus ſimiliter negat *ſtatuas æneas faciendas*. Turrianici Apoſtoli plane contra, nullas alias vel Chriſti, vel ſanctorum effigies commendant, quam vel ſculptas, vel conflatas, ac denique ſtantes. Id enim ſignificat nomen ϛήλη *ſtatua*, quo utitur canon; omninoque perverſe ac falſo eam vocem Binius *effigiem*, multo latiori, quam decebat, vocabulo reddidit. Στήλη enim à

a *act.* 7.
b *In Syn.* 7. *act.* 4.

ϛῶ

στῶ, unde Latinum *ſto* factum eſt, neque id nominis de imagine penicillo, & coloribus in plano expreſsa dictum reperitur. Etymologicum magnum, στήλη παρὰ τὸ στῶ, στήσω· σημαίνει δὲ τὸν ἐν τῇ κεφαλῇ κείμενον τοῦ τεθνεῶτος λίθον· ἐξ οὗ καὶ στηλίτης, καὶ στηλιτεύω τὸ θριαμβεύω· Euſtathius argutius. στήλη δὲ κυρίως, ἡ ἐκ λίθου, ὡς ἀπὸ τοῦ στήσω τοῦ λᾶς ὁ λίθος, ὁ ἐκ λίθου δηλαδὴ ἀνεστηκὼς ἀνδρίας. *Rectum ex lapide ſignum.* Vult componi ex στῶ & λᾶς lapis. Unde & ipſe quoque στηλιτεύειν factum dicit, σκωπτικῶς τὸ στήλαις ἐγγράφειν τὰ κατά τινων. Inde στηλιτευτικοὶ λόγοι, quales habemus hoc ipſo nomine dictas Gregorii Nazianzeni adverſus Julianum Auguſtum deſertorem orationes invectivas duas. Hujuſmodi στήλην Suidas ſic definit, στήλη λίθος ἐστὶν ἢ χαλκὸς ἐπιμήκης, τετραγώνῳ σχήματι ἱδρυμένος, ἐν ᾗ γέγραπται ἡ τοῦ στηλιτευομένου ὕβρις. Ergo στήλη cippus eſt, columna lapis è terra extans, quales ſepulcrales columnæ. Suidas θεμελίους quoque *fundamenta* στήλας interpretatur, & λίθον καμπτῆρα, in ſtadio lapidem, *ad quem flectebant currum aurigæ*, à Sophocle στήλην dictum docet. Tum de columnis accipit, quæ vel ſepulcris imponebantur, vel victoribus erigebantur, καὶ ἐπιγράμματα (inquit) ἐπιδέχονται. Iis ſcilicet victoris nomen

a *In Iliad.* λ. *p.* 849. 60. *edit. Rom.*

Digitized by Google

men, & certamen, & laus inſcribebatur. In genere ϛῆλαι columnæ; ut Herculis, quæ Græcis apud eundem Suidam ϛῆλαι Ηρακλεῖαι. Cum ergo Turrianici Apoſtoli ϛήλας Chriſto & ſanctis fingi & poni jubeant, de imaginibus penicillo in plano expreſſis nihil dicant, apparet eos plane aliud ſentire quam ſeptimæ Synodi patres, & Græcos, qui ſigna, & ſtatuas ex lapide, vel ære, vel ligno erectas, ſtanteſque ac ſolidas reprobant; ſolas coloribus illuſas, pictaſq; tabulas, & icones in religionis uſum admittunt. Unde videre eſt Gregorium illum Piſinuntenſem ne ei quidem, cui interfuit, Synodo perſuaſiſse hunc vere Apoſtolorum eſse canonem; quem haud dubie ſecuti eſsent, ſi Apoſtolicum eſse putaſsent. Sed ne ipſe quidem fortaſse Gregorius illum Turrianicum canonem, ſi vidiſset, agnoviſset; plane, ut oſtendimus, ab eo diverſum, quem ipſe citat.

Atque ita ſatis ſuperque demonſtratum eſt non modo Apoſtolicos non eſſe novem iſtos nuper à Turriano editos canones, ſed ne ſani quidem, aut eruditi eſse authoris; in quibus, ut nunc quidem liquet, nihil pœne ſani eſt, aut integri; omnia abſurda, ab hiſtoriæ divinæ atque Eccleſiaſticæ veritate, à doctrinæ ſacræ rationibus, ab omnium fere Chriſtianorum

rum ſententia aliena;ut nõ modo impudentem, ſed etiam craſſum, ac ſtupidum fuiſſe oporteat, qui tales ineptias præter omnem veri ſpeciem ſanctiſſimis Apoſtolis affingere auſus ſit. Quo fit, ut tametſi non neſciam ſummam eſſe Turriani in his adverſum nos diſputationibus audaciam, atque inverecundiam, ac non mediocrem etiam interdum inſcitiam; vix tamen queam in animum meum inducere, tam informem, abſurdumq; fœtum ab eo prognatum eſſe, potiuſque eo propendeam, ut credam impoſtorem de iſta recentiorum Græculorum caterva fuiſſe, qui dictam à Gregorio in Synodo 7. ſententiam nactus, eam arripuit, excolendamque, ac perpoliendam putavit, & ex hoc rudimento, pro captu ſuo (nihil enim eſt iſtis infimorum ſæculorum Græculis nequius, imperitus, & ad omnia in litteris flagitia projectius) hanc Synodi ſcilicet Antiochenæ fabulam, ſtultiſſime, abſurdiſſimeque inſtruxit, ac fecit; in quam cum incidiſſet Turrianus, homo omnium quiſquiliarum, ineptiarum, & anilium fabularum avidiſſimus, carbones pro theſauro nobis venditavit, Hæc autem paulo fuſius, quam fortaſſis neceſſe erat, diſputare libuit, ut omnis adverſariorum frangeretur impudentia. Nam ſi apud homines candidos, ſapientes, & verecundos,

quales

quales etiam in iſtis partibus plurimi reperiuntnr, hæc cauſſa agatur, non dubito, quin ab ipſo ſtatim diſputationis limine ſummovendus ſit Turrianus. Cujus enim frontis eſt, poſt clauſum obſignatumque jam ante quindecim pene ſæcula Apoſtolicarum ſcripturarum canonem, repente nobis novos iſtos omnibuſque antiquiſſimis authoribus ignotos canones obtrudere, eoſque ſumma vi in Apoſtolicorum librorum cenſum inferre velle? Si hæc licent, nullus unquam erit Apoſtolici canonis finis, aut modus. Neque enim unquam deerunt procacia & inverecunda ingenia, quæ ſuos partus Apoſtolis commodent, ſuaſque fabulas ac nænias glorioſiſſimo, & ſanctiſſimo eorum nomine commendent. Atqui contra & Turriani, & Græcorum & omnium, qui fuerunt, quique erunt, impoſtorum audaciam, juſtiſſima hac æquiſſimaque præſcriptione abunde cautum erit, ſi nullus unquam liber Apoſtolicus cenſeatur, vel pro Apoſtolico obtrudatur, niſi quem in Apoſtolicorum librorum canone diſerte repoſuerint, vel omnes, vel certe plurimi priorum trium ſæculorum Patres; cæteri, vel à nemine primæ illius memoriæ, vel certe à pauciſſimis in hoc numero recenſiti, aut memorati, ex Eccleſiæ finibus eveſtigio exterminentur, velut apocryphi,

& ab hominibus vel improbis, vel otioſis infeliciter conficti. Neque quiſquam ſit piorum adeo ſtultus, aut imperitus, qui ſibi ullius manuſcripti codicis authoritate, vel ullius ſive Turriani garrulitate, ſive Montacutii pollicitatione perſuaderi patiatur, *Apoſtolorum* ea eſſe, quæ nemo trium beatiſſimorum, & ſanctiſſimis illis viris proximorum ſæculorum memoraverit, nemo pro Eccleſiæ norma, ac regula agnoverit. Quale enim quæſo iſtud eſt, ut qui vere ſint Apoſtolorum libri, Iuſtinus quidem, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Melito Sardenſis, & alii eorundem temporum ſanctiſſimi atque antiquiſſimi viri, vel neſcierint, vel ſcribere litteriſque mandare noluerint. Turrianus vero, & Bovius, & Montacutius, & alii nudiuſtertius nati, adhæc ſuſpectæ omnes fidei, nonnulli & judicii parum ſani, id optime ſciverint, fideliſſimeque monuerint? Sed hęc quidem de his plus ſatis. Qui vere pius, vereque Apoſtolorum amans fuerit, ille non temere, neque ſine magna evidentique veterum teſtimoniorum authoritate quicquam pro vero Apoſtolorum opere ſuſcipiet; qua authoritate, præter eos libros, quos ſummus Chriſtiani orbis conſenſus jampridem, & ab ipſis Eccleſiæ initiis, in canonem ſacrum retulit, cæteri

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

teri omnes & Conſtitutionum & Canonum codices carent.

Hæc ſunt, quæ de Apoſtolicis pſeudepigraphis diſputanda habuimus. Euangelia enim, & Itineraria, & Viſiones, & cætera ejuſdem farinæ Apoſtolorum nomine olim ab hæreticis conficta, & ex fabulis, ac prodigiis immanibus conſuta, refellere nihil neceſſe eſt; quod ea omnia ſic à veteribus Chriſtianis refutata, atque abdicata, ac poſtremo ex hominum manibus excuſſa ſint, nihil ut eorum nunc fere præter ſolos titulos ſuperſit.

FINIS.

Digitized by Google

738

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google